
ANDOVER-HARVARD LIBRARY
AH 3VHG 8


PS. CXIX
169.
כדברך
הבינני
JOH XVII
17.
ὁ λόγος
ὁ σὸς
ἀλήθειά
ἐστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.



MEDII ÆVI

BIBLIOTHECA

PATRISTICA

SEU EJUSDEM TEMPORIS

PATROLOGIA

AB ANNO MCCXVI USQUE AD CONCILII TRIDENTINI TEMPORA;

SIVE

OMNIUM DOCTORUM, JURIS CONSULTORUM, SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,
AC PRÆSERTIM SUMMORUM PONTIFICUM,
QUI AB INNOCENTIO III USQUE AD PIUM IV FLORUERUNT, OPERUM QUÆ EXSTANT, VEL EDITA,
SED IN PLURIBUS LOCIS ET VOLUMINIBUS DISPERSA, VEL INEDITA,
IN QUANTUM FIERI POTUIT,

AMPLISSIMA COLLECTIO, CHRONOLOGICE RECUSA AD EXEMPLAR PATROLOGIÆ MIGNE

Et ad ejusdem *Patrologiæ* continuationem

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS ET CODICES MSS., TUM SOLERTI TUM DILIGENTI CASTIGATIONE EMENDATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS ILLUSTRATA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS AUCTA; GENERALIBUS VERO INDICIBUS AMPLIFICATA,
RERUM SCILICET ET SCRIPTURÆ SACRÆ LOCORUM.

SERIES PRIMA

QUÆ COMPLECTITUR OMNES DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ
AD SÆCULUM DECIMUM TERTIUM PERTINENTES,

Recognoscente et annotante

HOROY,

SACERDOTE E BELLOVACENSI DIŒCESI ORIUNDO,
Dre Romano in sacra Theologia,
Licentiato in Jure Gallico, Dre Rom. in Jure civili, Dre in Jure ecclesiastico, Advocato Romano,
Dre tum in Philologia Græca et Latina, tum in Archæologia et Historia,
Dre Rom. in Philosophia, Scientiis Mathem. et Physicis,
Dre Scientifico in Philosophia et Litteris in Universitate Leodiensi.

BIBL. PATRISTICÆ TOMUS TERTIUS.

HONORII III TOMUS TERTIUS.

PARIS
IMPRIMERIE DE LA BIBLIOTHÈQUE ECCLÉSIASTIQUE
AVENUE D'ORLÉANS, 32

1879


BIBLIOTHECA

PATRISTICA

MEDII ÆVI

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC TOMO TERTIO CONTINENTUR.



DE TERTIO HONORII III PONTIFICATUS ANNO.

Postquam a Theodoro Comneno Joannis Colonna, card. Apostolicæ Sedis legatus, liberatus fuisset, eum Honorius III Constantinopolim misit, mortuo quidem imperatore Petro (de Courtenay). Viro provido, sapienti et constanti, opus erat in his regionibus, qui dissidia componeret inter Latinos et Græcos, inter clerum et clerum. Hi namque recenter a schismate ad obedientiam filiorum adducti, non spontanee, interdum sanctiones canonicas rejiciebant, et contra stimulum recalcitrabant. Illi, quasi armis potentes, superbiam affectabant. Unde pacifice ad invicem, non omni tempore se gerebant. Quapropter litteras accepit legatus omni sapientia redolentes, in quibus ei multo moderamine utendum, pro tempore et circumstantiis Pontifex dixit. Plenariam potestatem insuper ei tribuit Honorius, qui aliunde rorem gratiæ in quosdam effudit, et pallii usum Corinthiensi archiepiscopo concessit. Noverat enim quanti pretii esset ad subsidium Terræ Sanctæ pacem stabilire apud Græcos. Neque Pontifici deerat zelus domus Dei, quo vehementer incensus, propter bonum animarum nihil non moliebatur, tam in oriente quam in occidente, vel in terris septentrionalibus.

Cf. tom. II, col. 471, ubi de Theodoro Comneno.

Alia nonnulla, ait Raynald, erunt etiam afferendæ, quæ maxime Pontificii muneris sunt. Occurrunt nobis imprimis quæ in Regesto Vaticano de episcopis ab Honorio sacris Pontificalibus initiatis traduntur, his verbis : Istos dominus Honorius Papa III consecravit anno Pontificatus sui tertio, Nepesinum episcopum, Sypontinum archiepiscopum, Tudertinum episcopum, Portuensem episcopum, Tusculanum episcopum, Colocensem archiepiscopum, Carnotensem episcopum, Pensacariensem.

Eodem anno, post initam pacem, in Anglia, inter Henricum regem et Ludovicum, regis Francorum Philippi-Augusti natum, Gualoni legato, de ipso Pontifice bene merito, potestatem fecit redeundi, Pandulpho Norwicensi in ejus locum suffecto. Certum est hunc Gualonem Henrico regi admodum juveni, post mortem patris sui Joannis, maximum robur attulisse, et quasi ipsum regnum detulisse jam perditum.

In eodem quoque anno prodigium naturæ fuit quod regionibus Frisiæ damnum attulit inauditum. Nam plusquam centum millia hominum perierunt, oceano intumescente, et terras et urbes invadente. Hujus cladis causam tribuit annalista sacrilegio cujusdam viri ebrii qui, dum presbyter deferret sacramentum muliere ægrotanti, hostias super pavimentum dispersit, dum pyxidem cum suo scypho cerevisiæ pleno percussit.

Sed obitus etiam notandus Othonis IV imperatoris, in anno vigesimo regni sui, in castro Hatersburg decedentis. Is, primum in imperio ab Innocente III confirmatus, postea inimicus fuit Pontifici, et totam Italiam debellare conatus est. Quæ causa fuit excommunicationis in ipsum latæ, et exaltationis Frederici II : Ille Otho, apud Bovinas, cum Joanne rege Angliæ, contra Philippum Francorum regem pugnavit, et ambo fugati sunt. Deinde vitam satis obscuram et ingloriosam degebat, dum morbo afficitur. Hæc, in *Vita Innocentii III*, Hurter narrat, t. III, p. 282, ed. Paris., 1867 : « Stans, ante lectulum, omnia sua peccata confessus est. Qui dixit postea : Quisquis sacerdotum accipiat scopam (quam de salice afferri jusserat). Et intus, denudatus, prostravit se, et incœpto : *Miserere mei, Domine,* quandiu cantabat, omnes simul ipsum verberabant, et inter verbera clamabat : Eia! percutite durius me peccatorem. Et absolutus expiravit. Per Ecclesiam et cum Ecclesia, ait quidam, magnus fit, quem sua stella dereliquit quum adversus eam et supra illam sese extollere tentat.

In Gallia mortuo patre Montfortio, Amalricus ei successerat. Cui confirmavit Honorius omnem ditionem jam a Sancta Sede Simoni attributam, id est Biterren., Carcassonen., et Albigen. civitates, ac alias hæreticorum terras quas Dominus tradiderat in manibus inclitæ recordationis Montfortii. Ast Amalricus tanto et tam arduo labori semet imparem judicabat, et alius surrexit, eo tempore, Ecclesiæ defensor, cui potentes non deerant exercitus. Nam statuit rex Philippus catholicis subvenire et regiam potestatem in illis provinciis ostendere ubi hæretici non tantum Pontificem et Ecclesiam, sed et regem ipsum aspernari videbantur. Unde Honorius gratiarum actiones egit Deo, in

cujus sunt manibus corda regum, et vigesimam Philippo concessit, non obstante proprio desiderio, per has collectas, Terræ Sanctæ subveniendi. Sed hic quoque, id est in Gallia, causa divina agebatur.

Hic tertius annus Honorii III, nil aliud insigne attulit. Totus fuit Pontifex in causis judicandis, in possessionibus confirmandis, in moribus corrigendis, in pace fovenda, et aliis similibus, et in rebus, aut incœptis anni superioris, ad finem perducendis.

De Montfortio diversi diversa locuti sunt. De Albigensibus autem contra quos ille, nomine Ecclesiæ, semet gladio accinxit, quædam erunt afferenda, e quibus pericula tum christianæ, tum civilis societatis, quam tuitus est, pulcherrime demonstrantur. Strenus armis extitit quidem Montfortius, sed non solis armis hæreticorum illorum audaciam conterere ipsa Ecclesia aggressa est.

Certum est hoc tempore omnes sectas Manichæorum consociatas fuisse sub una eademque Albigensium appellatione, sicque a civitate Albigensi nuncupatas, sed non in una tantum civitate degentes. Illis etiam Valdenses, e Lugduno orti, adhæserunt. Ab utrisque non discrepabant in Italia Patarini. Ipsi se Catharos, id est puros, vocabant. Nomen quoque fuit aut Turlupinorum, aut Bulgarorum.

In secundo concilio Lateranensi, quod decimum œcumenicum dignoscitur esse, illæ hæreticorum sectæ damnatæ sunt. Adversus easdem Alexander III congregavit tertium Lateranense, undecimum œcumenicum. Pariterque sub Innocentio III, perversas eorumdem doctrinas profligavit concilium Lateranense quartum, duodecimum œcumenicum. Unde erroris pertinacia et pervicacia videtur.

Hi omnem cultum, omne sacerdotium, omnem clerum impugnabant, templa et altaria evertebant, cruces et imagines in pulverem reducentes, monasteria et conventus flammis dando, omnia jura, omnem auctoritatem despectui habendo. Interdum divitias cleri vel ecclesiarum vi diripiebant, interdum ad vitam Apostolicam omnes exhortabantur. Ecclesiæ dominium qualecumque legitimum esse negabant, quo fiebat ut plures nobiles viri, seu cupiditate, seu ambitione ducti, alliciebantur. Nec jam hæresis sola doctrina fuit, sed factio et seditio quorumdam nobilium armatorum. Nihil opis in persuasione videbatur, et in dies civilis ordo in pejus ruebat, nisi obstaret Pontificum vigilantia indefessa.

Quidquid sit de Montfortio, de ipsius, aut de reciproca pugnantium hinc inde crudelitate aut feritate, causa humanitatis agebatur cum causa Ecclesiæ et regni.

Albigensium fides factis congruebat. Quæ in dualismo fundebatur. Nam Deus tenebrarum, aiebant, hunc mundum fecit. Sed Deus lucis misit suum angelum Jesum qui segregat homines ab hominibus, et hæc est redemptio. Quos homines fecit Deus tenebrarum Angelus Jesus non curat. Aliis, qui sunt Angeli quondam lapsi, naturam pristinam indicat, et hoc erit sufficiens. Sacramenta nihil sunt. Ecclesia nihil est. Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis dogmata nihil sunt. Omnia mala permittuntur eis qui per impositionem manuum sunt *consolamentum* accepturi. Hoc consolamentum sacrat homines prioris ordinis.

Sicque symbolum ipsum e medio tollebatur et regula morum evanescebat. Et, ut uno verbo dicamus, novus quidam paganismus exitium Christi religionis moliebatur, non minus quam humanæ societatis universæ.

HONORII III, PONTIFICIS ROMANI

EPISTOLÆ

PRIMA VICE IN UNUM COLLECTÆ

LIBER TERTIUS

I

Ad magistrum et fratres novæ domus hospitalis Sancti Nicolai.

20 julii 1218.

[Regest., lib. II, epist. 1283. Mss. La Porte du Theil.]

Medietatem proventuum confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis... magistro et fratribus novæ domus hospitalis Sancti Nicolai ante portam claustri Suessionen.

Ex litteris venerabilis fratris nostri... episcopi, et dilectorum filiorum G. decani et capituli Suessionen. intelleximus, quod in domo vestra, cujus ordinatio spectat ad ipsos, observandum perpetuo statuistis, ut in ea sexaginta pauperibus scolaribus clericis jugiter alimonia ministratur. Unde dilectus filius J. Suessionen. ecclesiæ thesaurarius videns ad hoc vobis non suppetere facultates, medietatem præbendæ, quam in ecclesia dicta tenet, percipiendam a vobis, quamdiu ipse vixerit et præbendam tenuerit supradictam, domui vestræ de dictorum episcopi, decani et capituli concessit assensu, in usus hujusmodi convertendo, postulans humiliter ab eisdem ut quod temporaliter ipse fecerat fore ipsi perpetuum stabilirent; quod iidem absque nostra speciali licentia facere formidantes, per nos perpetuari factum hujusmodi per easdem litteras suppliciter postularunt. Nos igitur eorum piis precibus inclinati, medietatem proventuum prædictorum convertendam in usus præfatos vos perpetuo percipere concedentes, quod vobis est taliter pietatis obtentu concessum, vobis, et per vos eidem domui vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, decimo tertio kalendas augusti, pontificatus nostri anno secundo.

II

Ad comitem Nivernensem.

21 jul. 1218.

[Regest., lib. II, epist. 1300. Mss. La Porte du Theil.]

Ad crucesignatos destinat R. tituli Sancti Stephani de Cœlio Monte presbyterum cardinalem.

Honorius, etc., dilecto filio nobili viro H. comiti Nivernen. crucesignato, etc.

Receptis litteris tuis, et eorum intellecto tenore, quod a nobis fuit a tua parte petitum, quantum cum honestate nostra potuimus, curavimus exaudire, in proposito firmo gerentes secundum Deum petitionibus tuis libenter annuere et exaltationi tuæ intendere ac honori. Sane cum sicut tuis nobis litteris intimasti, tu et nobilis vir... comes Marchiæ, ac universi crucesignati de regno Franciæ, Andegaviæ, Britanniæ, Betuniæ, Aquitaniæ et Burgundiæ promiseritis, præstito juramento, vos cum Januensibus de civi-

tate ipsorum versus Ægyptum in instantis mensis augusti passagio transfretare, nos zelum fidei vestræ in Domino commendantes, ad vos ibidem juxta petitionem vestram dilectum filium nostrum R. tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte presbyterum cardinalem absque legationis officio destinamus, ut una vobiscum votum quod emiserat exsequatur. Datum Laterani, XII kal. augusti, anno secundo.

III

Ad Petrum, Britanniæ comitem.

31 jul. 1218.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 662; Regest., lib. III, epist. 2.]

Cum Petrus, Britanniæ comes, excommunicationis sententiam in se in Turonensi concilio provinciali latam floccifaceret, eamdem sententiam roboravit Honorius, nisi Petrus resipisceret.

Honorius episcopus..., nobili viro comiti Britanniæ (*a*) spiritum consilii sanioris.

Si quisque, immo quia quisque tenetur tanto esse domino suo devotior, quanto ab eo beneficia percipit potiora, tu profecto multum teneris Domino Deo tuo, quia, cum, sicut et alios homines, terra te nascentem exceperit, divina largitas te sicut et alios non reliquit, quin immo extulit et multis prætulit aliis, tantamque dedit tibi bonorum affluentiam propriorum, ut te inhiare non oporteat alienis. Tu vero, sibi rependens offensam pro gratia et injuriam pro honore, ipsum in venerabili fratre nostro episcopo Nannetensi (*b*) persequeris, et indignationem ejus contra te provocare, quasi testa contra figulum cogitet, non vereris; banna et novum pedagium, quod *maletolta* dicitur, in civitate Nannetensi contra antiquam ecclesiæ Nannetensis consuetudinem imponendo, homines ejusdem ecclesiæ ad redemptionem multipliciter compellendo, et per quosdam ministros tuos domos episcopi et ipsius villas et ejusdem ecclesiæ comburendo, ac injiciendo manus in clericos et eos incarcerando atque afficiendo tormentis, non attendens quod ipsis a Domino dicitur : *Qui vos tangit, me tangit; et qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei* (1). Et cum venerabiles fratres nostri Turonensis archiepiscopus (2) et suffraganei ejus, convocato provinciali concilio, in te propter hoc excommunicationis et in terram tuam interdicti sententias promulgarint (3), sperantes ut metus pœnæ hujusmodi te ab invio revocaret ad viam, tu ecclesiæ claves, non absque nota hæreticæ pravitatis, contemnens, non solum non curasti ab ipsius episcopi et cleri sui persecutione cessare, verum etiam aggravasti contra eum fortius manum tuam, factus de illorum numero de quorum duritia conqueritur Dominus, dicens : *Percussi eos, et non doluerunt; attrivi, et renuerunt accipere disciplinam* (*c*).

Condolentes igitur non magis ipso (*d*) episcopo, quem prædicto modo exulare compellis, quam tibi qui facis a cœlesti patria exulem temetipsum, nobilitatem tuam rogandam duximus et monendam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus recognoscens tui beneficia Creatoris, et recogitans qualia sibi hactenus servitia rependisti, ac ponens ante mentis tuæ oculos extremi horribilitatem judicii, de qua dicitur per prophetam : *Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis; dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris* (*e*); desistas vel de cætero ab operibus mortis, ab operibus, inquam, quæ tibi mortem accersunt sempiternam, et, satisfaciens præfato episcopo et clericis ejus de damnis et injuriis taliter irrogatis, et ab inferendis de cætero conquiescens, Deum tibi placare studeas per emendam, quam (*f*) exasperasse nosceris per offensam. Alioquin, præfatas sententias auctoritate Apostolica roborantes, illas præcipimus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; et si diutius easdem contempseris, nos fideles tuos a fidelitate tua penitus absolvemus, ac alias studebimus contra te aggravare taliter manum nostram, quod vexatio tibi tribuet intellectum, et flagellantem agnosces, quem non curas agnoscere blandientem. Tu ergo, sicut vir providus, aperi oculos tuos, et videas ne injicias pedem in laqueum de quo velis nec valeas expediri.

Datum Laterani, pridie kalendas augusti, pontificatus nostri anno tertio.

(*a*) Petro Drocensi. (*b*) Stephano.
(1) Zach. II, 8.
(2) Joannes de Faya.
(3) Neque concilii hujus acta, nec mentio quidem illius, in ullis conciliorum collectionibus vulgatis reperiuntur. (Bouquet.)
(*c*) Jerem. V, 3. (*d*) *Scribendum* ipsi.
(*e*) Soph. I, 14. (*f*) *Melius* quem.

In eumdem modum scriptum est episcopo, decano et magistro scholarum Aurelianensibus, verbis competenter mutatis, *usque* agnoscere blandientem. *Deinde* : Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ex parte nostra denunciantes memorato nobili supradicto, ipsum ad ea quæ præmisimus exsequenda moneatis attente et efficaciter inducatis, responsiones ejus et alia hoc negotium contingentia nobis per litteras vestras fideliter rescripturi. Datum *ut supra*.

IV

Ad Constantinopol. patriarcham.

(Sine nota chronologica.)

[Raynald, Annales ecclesiastici, ad ann. 1218, § 26.]

Eum redarguit eique graves minas intentat, nisi cœptis desistat.

Sicut ex relatione multorum accepimus, tu supra te volens extendere alas tuas, simplices clericos et cum cappis manicatis interdum legatos de tuo latere dirigis cum ea plenitudine potestatis, qua legati Sedis Apostolicæ diriguntur. Illi enim per patriarchatum tibi commissum causarum audientiam, quæ ad te, vel ad ipsos per appellationem minime deferuntur, sibi vindicare præsumunt, et inconsultis prælatis eorum subditos excommunicant, excommunicatos absolvunt, præponunt episcopos archiepiscopis suis metropolico jure subjectos; appellationibus non deferunt, quas contingit ad Sedem Apostolicam interponi, et eis, qui in episcopos manus injiciunt violentas, absolutionis beneficium impendendo, cum tales juxta privilegium tutum ad Romanum sint Pontificem destinandi, ecclesiastica etiam beneficia conferunt, non expectantes quod ad te potestas eadem conferendi juxta Lateranense Concilium devolvatur... Insuper nuper G. Constantinopolitan. canonicus a te transmissus ad partes Thebarum, et Achaiæ legatus, veniens Andrevillam, litteris suæ legationis ostensis, terras nobiliorum virorum G. principis Achaiæ, et O. de Rocha domini Athenarum, sine rationabili causa sententiæ subjiciens interdicti, prælatis eorum injunxit, ut interdictum hujusmodi tam per se quam per suos subditos inviolabiliter observarent; propter quod ipsi ad Sedem Apostolicam appellarunt appellationi suæ festum Omnium Sanctorum terminum præfigentes : sed idem G. appellationem more suo temere parvipendens, interdicti sententiam postmodum protulit in eosdem... Et quidem si hæc ita se habent, quæ sunt specialiter Romani Pontificis usurpando, et aliorum justitiam, ipsos multipliciter opprimens, invadendo, videris non pastoralis curam regiminis, sed thronum superbiæ ac pestilentiæ cathedram conscendisse. Cum igitur, quantacumque dignitate præfulgeas, te nobis scias esse subjectum, qui tempus accepimus justitiam judicandi, et quantumcumque tibi deferre velimus, dissimulare non possumus nec debemus talia contra Deum.

V

Ad Othonem episcopum Herbipolensem.

4 augusti 1218.

[Wurdtwein, Nova subsidia, III, 82.]

In causa antecessoris ejusdem occisi et quod non teneatur in persona comparere in concilio Maguntino.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Herbipolensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ii qui bonæ memoriæ C. (1) Herbipolensis episcopi prædecessoris tui, Dei timore postposito, sanguinem effuderunt, tuum quoque sitire sanguinem dignoscantur, nos viam impiis eorum desideriis præcludere satagentes, præsertim tibi auctoritate concedimus, ut venerabili fratre nostro... Magunt. archiepiscopo metropolitano tuo in loco merito tibi suspecto concilium seu colloquium celebrante, tu ad locum hujusmodi personaliter accedere non tenearis invitus, sed absentiam tuam suppleas per nuntios providos et honestos, per quos edoctus de his quæ in ipso concilio seu colloquio contigerit ordinari, ea, sicut alii suffraganei ecclesiæ Maguntinæ recipias humiliter et observes, sententiam si quam forte in te contra concessionem nostram tulerit archiepiscopus memoratus, decernentes irritam et inanem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc. Datum Laterani, secundo nonas augusti, pontificatus nostri anno tertio.

(1) Conradus I de Ravensburg.

VI

Ad Burdegalensem archiepiscopum, etc.

(An. 1218, mense julio vel augusto.)

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 663; Regest., lib. III, epist. 38.]

Acceptas a christianorum exercitu Damietam obsidentium litteras mittit Honorius, ut eisdem periclitantibus auxilium diligentissime maturandum curent episcopi.

Honorius episcopus... venerabilibus fratribus archiepiscopo Burdegalensi, Parisiensi et Andegavensi episcopis, et dilectis filiis R. (*a*) tituli S. Stephani in Cœlio monte presbytero cardinali, ac nobilibus viris Nivernensi (*b*) et Marchiæ (*c*) comitibus, ac universo crucesignatorum exercitui apud Januam existenti (1), salutem, etc.

Litteras fidelium existentium in partibus transmarinis recepimus in hunc modum :

« Sanctissimo patri et domino Honorio, Dei gratia summo pontifici, R. (*d*) patriarcha, J. (*e*) rex Jerosolymitanus, E. Nychosiensis archiepiscopus, J. (*f*) Acconensis, R. (*g*) Bethlemitensis episcopi, L. (*h*) dux Austriæ, G. (*i*) Hospitalis S. Johannis Jerosol., W. (*j*) militiæ Templi, Herman. Hospitalis Theutonicorum magistri, et universi barones, totusque clerus et populus in obsidione Damiatæ pro servitio Jesu Christi et Terræ Sanctæ commorantes, in Domino salutem. »

« Benedictus Deus, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui populum christianum pro restitutione Terræ Sanctæ diu fatigatum, et, peccatis nostris exigentibus, non admissum, misericorditer, ut credimus, nunc respexit et salubri consilio illustravit; siquidem, cum in Terram Sanctam, propter multas et maximas difficultates, prout expediret, hactenus non potuerit proficere populus christianus, ad illius tandem consilii suffragium duximus recurrendum, quod jamdudum provisum fuit et divulgatum, et in sancto Lateranensi concilio novimus etiam approbatum, videlicet ut Ægyptum, terram scilicet omnibus bonis fluentem, quæ vires maximas nostris hostibus subministrat, niteremur obtinere, quatenus, extincto fonte divitiarum hostilium, universi pariter rivuli exsiccentur, et, post tantam hostium nostrorum afflictionem et mutilationem, terrenum Christi sanctuarium possit ab infidelibus detentatoribus liberari. Experimento namque passionum quas diu toleravimus, didicimus et pro certo tenemus quod, quamdiu duo potentissima regna et opulentissima Damascenum et Ægyptium sub eo dominio unientur contra inimicos Christi, non poterimus prævalere, cum ex contrario contigerit in temporibus retroactis quod, quamdiu eadem regna fuerunt ab invicem divisa et sub diversis dominis constituta, Terram Sanctam non potuerint hostes obtinere. »

« Hoc itaque pensato consilio, his quoque necessitatibus inducti, congregato exercitu ex variis nationibus quantum potuimus, navigium in magnis expensis curavimus ordinare de confidentia Dei, cui non est differentia superare vel in milibus vel in paucis ; ac de vestra celeri subventione sperantes, illud attentavimus negotium, licet rebus ac viribus impares infidelibus inimicis, quod nec a regibus, vel ab imperatoribus novimus attentatum. Significantibus (2) igitur vobis quod primi navigantes de exercitu christiano, tertia feria proxima ante Pentecosten, applicuerunt portui Damiatæ, in quo accessu misericors Dominus mirabiles primitias gratiæ suæ nobis impendit, et futurum favorabilem se ostendit. Nam contra spem omnium nullo infidelium resistente, licet multa millia essent in civitate et extra, pauci descenderunt de navibus ad terram, et ante præfatam civitatem castra libere posuerunt. Eo quidem tempore quo latores præsentium nuncii nostri recesserunt a nobis, status obsidionis talis erat : siquidem erexeramus machinas nostras ad expugnandam turrim quamdam sitam intra fluvium, brachium Nyli, scilicet a qua turri protenditur catena ferrea per medium fluvium usque ad civitatem, præstans impedimentum nostris navibus transituris. Attamen in recessu nunciorum ita processeramus in negotio Jesu Christi, quod naves et galeæ nostræ galeis inimicorum nostrorum

(*a*) Roberto de Corzon. (*b*) Herveo. (*c*) Hugoni de Leziniaco.

(1) Dum parare christianis auxilia Damietam obsidentibus satageret Honorius cum Francicis episcopis, narrat Caffarus, lib. IV *Genuensium Annalium*, qua cura nostrates barones crucesignati Genuæ se peregrinationi accinxerint, supra in hoc volumine, p. 265.

(*d*) Radulfus. (*e*) Joannes. (*f*) Jacobus de Vitriaco. (*g*) Regnerius. (*h*) Leopoldus. (*i*) Guerinus de Monte Acuto. (*j*) Guillelmus Carnotensis.

(2) *Scribendum* significamus.

in fluvio prævalebant, et in superiori parte fluvii consistebant, ita quod hostiles galeæ liberum navigium non habebant, nec aliorum Sarracenorum galeæ habebant aditum ad civitatem.»

His igitur vobis nunciatis, supplicamus Sanctitati vestræ in Domino et pro Domino flexis genibus exorantes, quatenus christiano exercitui magnis periculis exposito curetis misericorditer et celeriter subvenire : non enim de virium nostrarum confidentia tantum onus subire præsumpsimus; sed, de vestra summa post Deum operantes subventione, ausi sumus in remotis partibus obsidionem inchoare, et civitatem excellentissimam atque munitissimam impugnare : qua obtenta, firmiter speramus ut totam Ægyptum possimus obtinere, et Terram Sanctam, pro qua laboramus, fideliter liberare. Verumtamen, ut prædiximus, cum et expensarum et pugnatorum penuria graviter laboremus, in magno sumus periculo constituti : nam potentissimus omnium infidelium Soldanus vires contra nos colligit universas. Quamobrem mora subventionis trahit ad se periculum totius exercitus christiani; quod si forte, peccatis nostris exigentibus (quod Deus avertat !) deficeret, non credimus quod in Terræ Sanctæ negotio alii possint proficere christiani.»

Monemus igitur universitatem vestram, rogamus et exhortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus, attendentes discrimen in quo positus est exercitus christianus, nisi succursum habuerit festinatum, provideatis et disponatis ac irrefragabiliter ordinetis, quod tam vos quam alii crucesignati, qui ad portum Januensem conveniunt versus Damiatam in nomine Domini Sabaoth, dirigatis celeriter iter vestrum, quia, sicut litteræ ipsæ innuunt et nuncii qui attulerunt eas, expressissime dicunt, certa spes est quod, si vos et alii crucesignati applicueritis ad civitatem jamdictam, et illa et tota Ægyptus ab eo cujus est terra et plenitudo ejus dabitur in manus populi christiani.

Datum...

VII

Ad archiepiscopos et episcopos Franciæ.

11 aug. 1218.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 664; Regest., lib. III, ep. 20.]

Quos cohortatus erat ad opem Simoni de Monteforti adversus Tolosanos rebellantes conferendam, nunc episcopos Galliæ vehementer obsecrat, ut Simone victo et occiso, intensiore cura suscitent Almarico ejus filio adjutores.

Honorius episcopus... venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem, etc.

Populus Israel a Pharaone vehementer affligitur, cum Ægyptum, Moysi voce audita, deserere meditatur, etc. (Vide *supra*, t. II, col. 567, *usque* reducere in Ægyptum.)

Quantis autem personarum ac rerum laboribus et dispendiis fuerit laboratum, ut fides, quæ mortua fuerat in illis partibus, reviviscеret, et pax, quæ de terra sumpta fuerat, tandem desiderata rediret, sic credimus in vestra esse notitia, ut super hoc nos nequaquam oporteat latius immorari : sed id facere non possumus, immo non absque dolore cordis et amaritudine mentis recitare compellimur, quod, cum, discussis errorum tenebris et bellicis cladibus propulsatis, jam pacis et fidei viderentur tempora rediisse, illo qui felicibus invidet actibus, armante partes suas in reprobos Tolosanos et Avenionenses, in R. (*a*) quondam Tolosanum comitem et filium ejus, necnon Fuxensem (*b*) et Convenarum (*c*) comites ac filios ipsorum, et complices eorumdem, in tantum, permittente Deo secundum multam judiciorum suorum abyssum, prævaluerunt contra pietatem impietas et tenebræ contra lucem, ut bonæ memoriæ W. de Baucio (1) princeps genere clarus, sed clarior devotione ac fide, a nefandis Avenionensibus non solum occisus sit, sed etiam in frustra conscissus; ac ille Christi athleta intrepidus, illa turris fortitudinis, illud munimen fidei christianæ, ille videlicet comes inclytus Montisfortis, machinis Tolosanorum corruit impiorum, in cujus ruina ita erecta sunt confringenda cornua ipsorum et complicum eorumdem, ut ad

(*a*) Raymund. VI. (*b*) Raymundum Rogerii.
(*c*) Bernard. V.
(1) Guillelmus de Baucio, Arausicæ comes, quem ab Avenionensibus *excoriatum* tradit Nicolaus de Braya, tomo nostro XVII, page 339. (Bouquet.)

eradendum (quod absit!) de terra stirpem comitis mèmorati, ac alios in partibus illis pro defensione christianæ fidei consistentes, accitis undique viribus se accingant. Unde procul dubio grave illis videtur periculum imminere, nisi succursum habuerint festinatum.

Satagentes igitur invalescentibus malis validioribus obviare remediis, universitatem vestram rogamus, monemus et obsecramus in Domino, per Apostolica vobis scripta districte præcipiendo mandantes, ac injungentes in vestrorum remedio peccatorum, quatenus, provide attendentes quod, si eorumdem impiorum fautio prævaleret, fides et pax in partibus illis generale paterentur naufragium, et ea quæ per vestrum et aliorum fidelium studium et laborem facta sunt in exterminium hæreticæ pravitatis et restaurationem fidei christianæ, in antiquæ confusionis reciderent labyrinthum, ad subventionem dilecti filii nostri nobilis viri Almarici primogeniti dicti comitis, ac aliorum qui cum eo decertant pro defensione fidei christianæ, sollicite intendatis, fideles per vestras diœceses ac parochias constitutos, qui crucesignati non sunt ad subsidium Terræ Sanctæ, ad celeriter succurrendum eisdem, immo ipsi fidei christianæ, sedulis exhortationibus animando. Nos autem, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, ea illa quam Deus nobis, licet indignis, ligandi atque solvendi contulit potestatem, omnibus non crucesignatis pro subsidio Terræ Sanctæ, qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus et in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis expensis, juxta facultates suas, viros idoneos destinarint, et illis similiter qui, licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus et concedimus esse participes, juxta qualitatem subsidii et devotionis affectum, omnes qui ad subventionem prædicti negotii de bonis suis congrue ministrabunt, aut impendent consilium et auxilium opportunum. Vos igitur hæc populis vestris fideliter exponentes, ipsos ad prædicta taliter animetis, quod per hoc, ad ejusdem subventionem negotii consilium auxiliumque præstando, ejusdem esse participes indulgentiæ valeatis. Datum Laterani, III idus augusti, anno tertio.

In eumdem modum scriptum est abbati Cisterciensi, episcopo Tolosano, episcopo Carcassonensi, cuilibet istorum per se.

In eumdem fere modum scriptum est archiepiscopo Coloniensi, et suffraganeis ejus, abbatibus et aliis ecclesiarum prælatis per Coloniensem provinciam constitutis.

Sic scribitur in Treverensi, Maguntinensi, Salzeburgensi, Bisuntinensi, Tarentasiensi, Ebredunensi, Aquensi, Arelatensi, Viennensi, Lugdunensi, Senonensi, Remensi, Rotomagensi et Turonensi provinciis, cuilibet istarum provinciarum per se.

In eumdem modum suffraganeis et capitulo ecclesiæ Bituricensis, abbatibus et aliis ecclesiarum prælatis per Bituricensem provinciam constitutis.

In eumdem modum Burdegalensi archiepiscopo et suffraganeis ejus, abbatibus et aliis ecclesiarum prælatis per Burdegalensem provinciam constitutis. — *Sic* per Auxitanensem et Narbonensem provincias constitutis, cuilibet per se.

VIII

Ad Christianorum exercitum Damiatam obsidentium.

13 augusti 1218.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 666; Regest. lib. III, epist. 39.]

Honorii rescriptum ad fidelium universitatem Damiatam obsidentium, quibus promptum ab Italia auxilium affore significat.

Honorius episcopus... venerabilibus fratribus patriarchæ et carissimo in Christo filio Johanni regi Jerosolymitanis, et Nycosiensi archiepiscopo, et Acconensi ac Bethleemensi episcopis, et nobilibus viris duci Austriæ, et Hospitalis ac militiæ Templi et Sanctæ Mariæ Theutonicorum magistris, ac universis baronibus, ac toti clero et populo in obsidione Damiatæ consistentibus, salutem, etc.

Multis divinæ Scripturæ docemur exemplis, quod Deus, ad cujus nutum omnia disponuntur et cujus nihil potest resistere voluntati, sæpe multitudinem fortium

tradidit in manus debilium et paucorum. Receptis igitur litteris vestris et nunciis, et intellecto quam arduam rem, de divino auxilio confidentes, aggressi (*a*), etsi subito concussa fuerint omnia ossa nostra, dum paucitatem vestram respectu oppositæ multitudinis pensaremus; mox tamen occurrente nobis quod legitur, Dominum *formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit* (*b*), fuimus fiducia et consolatione repleti, de illius auxilio confidentes, qui sperantes in sua misericordia non relinquit, sed, eos in ipsa tribulatione dilatans, prava in directa et aspera in vias planas sua omnipotenti pietate convertit, ut humana fragilitas in se gloriari non audeat, sed cum viderit se per supernum auxilium ibi proficere, ubi secundum causas inferiores deficere videbatur, humiliter in laudes divinas erumpat, et dicat : *Dextera tua, Deus, glorificata est in virtute, et tua confregit potentia inimicos* (*c*).

Volentes autem operationi divinæ nostræ humilitatis ministerium adhibere, continuo Januam, Venetias ac per alios Italiæ portus litteras nostras direximus, crucesignatos, qui ad portus ipsos convenerant et convenire debebant, attentius exhortantes, ac monentes terrarum episcopos ac rectores, ut diligenter exhortentur eosdem ut, ad succursum vestrum celeriter festinantes, versus civitatem Damiatam in nomine Domini sabaoth dirigant iter suum; unde speramus tantum auxilium vobis, Domino largiente, in proximo affuturum, quod gentes quæ Dominum non noverunt, sed in sola sua numerositate confidunt, ante vestram faciem conterentur ad laudem et honorem Christi ac nominis christiani. Interim igitur vos, sicut fideles servi et strenui milites Christi Jesu, firmi et constantes estote, ac, quod pernecessarium est, unanimes et concordes, quasi vir unus, uno numero serviatis Domino Deo vestro, et quidquid oculos divinæ majestatis offendit, quantum humana permittit fragilitas, evitetis, ita ut supernum auxilium, quod nostris et aliorum fidelium precibus vobis impetrare satagimus, debeatis merito expectare. Datum Laterani, idibus augusti, pontificatus nostri anno tertio.

(*a*) *Supple* sitis. (*b*) I Reg., II, 10.
(*c*) Exod., XV, 6. (*d*) Simon.
(1) Simonem regi hominio se obligasse et ab eo in hominem ligium receptum, anno 1216, mense aprili, diximus supra in epist. XCV, lib. II, col. 573 in notis.

IX

Ad Philippum, regem Francorum.

13 augusti 1218.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 666.]

Occiso a Tolosanis Simone de Monteforti, hortatur Honorius regem Philippum, ut indulgentiarum intuitu exercitum illuc dirigat cum Ludovico ejus filio, fidelibus succurrendi gratia pro ecclesia dimicantibus.

Honorius episcopus..... carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem, etc.

Ad aures regias nequaquam ambigimus pervenisse jam dudum, quod in tantum, permittente Deo secundum multam judiciorum suorum abyssum, prævaluerunt contra pietatem impietas et tenebræ contra lucem, ut ille Christi athleta intrepidus, illa turris fortitudinis, illud munimen fidei christianæ, ille videlicet comes inclytus Montisfortis (*d*), machinis Tolosanorum corruit impiorum : in cujus ruina ita erecta sunt confringenda cornua ipsorum et complicum eorumdem, ut ad eradendum (quod absit!) de terra stirpem comitis memorati, ac totam gentem Francorum in illis partibus consistentem, accitis undique viribus se accingant. Unde procul dubio grave illis videtur periculum imminere, nisi succursum habuerint festinatum; contra quos si (quod absit!) prævaleret fautio impiorum, fides et pax in partibus illis generale paterentur naufragium, et regnum Franciæ non solum damnum irreparabile, verum etiam opprobrium incurreret sempiternum, cum idem comes a te in feudum terram illam pro magna parte teneret (1), et quidquid ibi actum est in exterminium hæreticæ pravitatis et restaurationem fidei christianæ, per suas et regni tui vires præcipue liqueat esse factum.

Nos igitur, invalescentibus malis validioribus satagentes obviare remediis, fideles ejusdem regni ad succursum dilecti filii nobilis viri Almarici, primogeniti dicti comitis, ac aliorum qui cum eo decertant pro defensione fidei christianæ, per innovatas indulgentias excitamus : specialiter exhortantes carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum, primogenitum tuum, ut

ad illorum subsidium, immo ad defensionem fidei christianæ, se accingat viriliter et potenter, sibi et iis qui secum ibunt illam indulgentiam concedendo quæ concessa est proficiscentibus in subsidium Terræ Sanctæ, plenam videlicet veniam peccatorum de quibus vere contriti fuerint et confessi. Verum, quia hæc specialiter ex tuo nutu dependent, Serenitatem tuam rogamus, monemus et exhortamur in Domino, quatenus pro tui regni gloria et honore, pro ipsius reverentia Jesu Christi, pro zelo fidei christianæ, pro tuorum remedio peccatorum, cum peccemus omnes et Dei misericordia egeamus, eumdem primogenitum tuum illuc cum digno te ac illo studeas et festines dirigere apparatu, aut alias, secundum quod Celsitudinis tuæ prudentia expedire cognoverit, cum effectu succurras negotio memorato, quod in antiquum chaos absque ambiguitate relabitur, nisi specialiter per divinam et tuam potentiam sustentetur. Nos autem, de Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli meritis confidentes, eamdem tibi concedimus indulgentiam, si jam dictum primogenitum tuum illuc cum digno destinaveris comitatu, aut saltem alias, secundum quod magnitudinem tuam decet, succurreris negotio sæpedicto. Datum Laterani, pridie idus augusti, anno tertio.

Scriptum est *in eumdem modum* nobili viro Ludovico regis Philippi primogenito, paucis duntaxat verbis immutatis.

X

Ad Amalricum Simonis de Monteforti primogenitum.

17 augusti 1218.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 667. Regest., lib. III, ep. 21.]

Amalrico, Simonis de Monteforti filio, confirmat Honorius possessionem terrarum quas patri ejus asseruerat Innocentius papa decreto Lateranensis Concilii generalis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Amalrico primogenito claræ memoriæ S. (*a*) comitis Montisfortis, salutem, etc.

Justis petentium desideriis, etc., *usque* complere. Sane in regestis felicis memoriæ Innocentii papæ, prædecessoris nostri, perspeximus contineri, quod ipse Biterrensem, Carcassonensem et Albigensem civitates, et alias hæreticorum terras, quas Dominus tradidit in manibus inclytæ recordationis patris tui ac exercitus christiani, eidem patri tuo, cui principes ejusdem exercitus, cum consilio legatorum Apostolicæ Sedis, illas regendas commiserant, necdum (*b*) hæredibus ejus in fide catholica et devotione Sedis Apostolicæ permanentibus confirmavit, principalium dominorum et aliorum, si quibus forte competit, jure salvo, exceptis hæreticis et fautoribus, credentibus, defensoribus et receptatoribus eorumdem; eodem patre tuo tres denarios per singulas domos ejusdem terræ annualiter Romanæ Ecclesiæ promittente, ad indicium quod terras illas ipsas in devotione Apostolicæ Sedis et sancta religione conservare de cætero disponebat. Idem etiam prædecessor noster statuit in Concilio generali (*c*), ut terra quam crucesignati obtinuerunt adversus hæreticos, credentes, fautores, et receptatores eorum, cum Montealbano atque Tolosa dimitteretur atque concederetur, salvo catholicorum per omnia jure virorum, mulierum et ecclesiarum, comiti memorato, ut eam teneret ab illis a quibus est de jure tenenda.

Nos igitur, tuis justis precibus inclinati, terras quas ipsi patri tuo et hæredibus ejus dictus prædecessor noster noscitur confirmasse, ad ejus exemplar tibi ac hæredibus tuis auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Quod vero de aliis concedendis et dimittendis eidem patri tuo ordinavit in Concilio generali, circa te ac hæredes tuos habere decernimus robur perpetuæ firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Datum Laterani, XVI kal. septembris, anno tertio.

XI

Ad monasterium S. Mariæ de Caramania.

17 augusti 1218.

[Historiæ patr. monum. Chart., I, col. 1226.]

Monasterii S. Mariæ de Caramania protectionem suscipit bonaque et possessiones confirmat.

Honorius, etc., dilectis in Christo filiabus Isabellæ abbatissæ monasterii Sanctæ Mariæ de Caramania, ejusque sororibus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

(*a*) **Simonis.** (*b*) *Scribendum* necnon. (*c*) An. 1215.

Prudentibus virginibus quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis jugiter se præparant ire obviam sponso Sedis Apostolicæ debet præsidium impertiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Ea propter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum monasterium Sanctæ Mariæ de Caramania, in quo divino mancipatæ estis obsequio, ad exemplar felicis memoriæ Alexandri papæ prædecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poteritis adipisci firma vobis et his quæ post vos successerint et illibata permaneant. Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est cum villa et omnibus pertinentiis, ecclesiam Sancti Hilarii sitam in tenimento Revelli, cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Georgii sitam in tenimento Carmanoliæ cum pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Viti sitam in tenimento Cavalarii majoris cum pertinentiis suis, ecclesiam Sanctæ Mariæ Novæ de Pulentia, cum pertinentiis suis, capellam Sanctæ Mariæ Cavalleris minoris cum pertinentiis suis, quartam partem villæ quæ dicitur Fælicium et ea quæ ad Demanium habetis, ibidem ecclesiam Sanctæ Mariæ de Porta Mauritii cum omnibus quæ habetis in villa et castello ipsius, procurationes et alia jura quæ habetis in castello Zuccarelli, et castello Cœde, procurationes et alia jura quæ habetis in castello Garessii et in villa ejusdem loci, jura quæ habetis in villa et castello de Banasco, villam de Dulce cum omnibus pertinentiis suis, procurationes et jura quæ habetis in castello et villa de Rivola, et in villa quæ dicitur Bricaraso, procurationes et jura quæ habetis in ecclesia Sancti Nicolai de Salutia, et ea quæ habetis in summaripa de Bosco. Benedictiones vero monialium, ordinationes capellanorum vestrorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi a diœcesano episcopo sine pravitate vobis volumus exhiberi. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbatissa, vel decedente earum aliqua quæ tibi successerit, nulla ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia præponatur nisi quam sorores communi consensu vel earum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam providerint eligendam. Ad hæc liberas et absolutas personas a sæculo fugientes liceat vobis in monasterio vestro ad conversionem recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnibus profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Ad judicium autem hujus a Sede Apostolica perceptæ protectionis marabotinum unum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetua iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et hi fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Nicolaus Tusculanus episcopus.

Ego Guido Prænestinus episcopus.

Ego Petrus sanctæ Prudentianæ tituli Pastoris presbyter cardinalis.

Ego Gregorius tituli sanctæ Anastasiæ presbyter cardinalis.

Ego Octavianus sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis.

Ego Gregorius sancti Theodori diaconus cardinalis.

Datum Laterani, per manum Raynerii, sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii,

XVI kalend. septembris, Indictione sexta, Incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo decimo octavo, pontificatus vero domini Honorii Papæ III anno tertio.

XII

Ad vicarios episcoporum Grandimontensis ecclesiæ.

25 augusti 1218.

[Martene, Thesaurus anecd., I, 866.]

Provideant ne bona prioris et clericorum Grandimont. ecclesiæ temere distrahantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis vicariis episcoporum, in quorum diœcesibus domus ecclesiæ Grandimontensi subjectæ consistunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Detrimenta, sicut in Bulla CCCVI, lib. II, ad episcop. Pictav. *usque* providendum. Nos verentes quod ipsorum bona interim temere distrahantur, præsertim cum conversi eidem priori obedire contemnant, et in bonis ipsis dicantur privatim et publice debaccharri; discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, quum illi, quorum vices geritis, sint absentes pro subsidio Terræ Sanctæ studeatis singuli per commissas vobis diœceses bonis providere, quod hujusmodi procedente negotio, ea nec clerici nec conversi contra ipsius prioris inhibitionem distrahere vel detinere præsumant. Ad recuperationem eorum quæ jam distracta dicuntur, impendentes diligens studium et operam efficacem, contradicentes si qui fuerint vel rebelles tam ecclesiastica quam temporali districtione, sublato appellationis obstaculo, compescentes. Ad hæc principes et barones, et quoslibet alios quos idem prior duxerit nominandos, singuli in commissa sibi diœcesi constitutos moneatis, prudenter et efficaciter inducatis, ne occasione dissensionis hujusmodi debitos redditus subtrahant ecclesiæ supradictæ vel domibus pertinentibus ad eamdem. Nec impediant quominus dictus prior de domibus ipsis et bonis ad eos pertinentibus, prout ad eum pertinet, valeat ordinare, ac proventus percipere consuetos. Eos qui admonitionibus vestris acquiescere non curaverint per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Datum Laterani, octavo kalendas septembris, pontificatus nostri anno tertio.

XIII

Ad Hugonem Hostiensem episcopum.

27 augusti 1218.

[Sbaralea, Bullar. Francisc., I, 1, n. 1.]

Ut fundos pro construendis domiciliis et oratoriis virginibus et aliis mulieribus a sæculo fugientibus exhibitos nomine Ecclesiæ Romanæ recipiat et ecclesias construendas in ipsis soli Apostolicæ Sedi subesse decernat.

Honorius, etc., venerabili fratri Hostiensi episcopo Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteræ tuæ nobis exhibitæ continebant, quod quamplures virgines et aliæ mulieres, quibus secundum instabilitatem prosperitatis mundanæ prosperum statum in sæculo sua videtur nobilitas polliceri, eo, qui, ubi vult spirat, potante vino compunctionis easdem, et manifestis revelationibus dante illis significationem, ut fugiant a face arcus, desiderant fugere pompas, et divitias hujus mundi, et fabricari sibi aliqua domicilia, in quibus vivant nihil possidentes sub cœlo, exceptis domiciliis ipsis, et construendis oratoriis in eisdem. Cum ad hoc tibi fundi a pluribus Ecclesiæ Romanæ nomine offerantur, quidam volentes sibi reservari correctionem, institutionem et destitutionem in illis, non verentur salubre illarum propositum impedire; quare tua fraternitas postulavit, ut super iis paterna providere sollicitudine curaremus. Volentes igitur piis dictarum mulierum desideriis sic favorem Apostolicum impertiri, ut et ipsæ assequantur suæ petitionis effectum, et diœcesani locorum et alii in quorum parochiis loca ipsa consistunt, justam non habeant materiam murmurandi, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus hujusmodi fundos in jus et proprietatem Ecclesiæ Romanæ nomine ipsius recipias, et ecclesias construendas in ipsis soli Apostolicæ Sedi subesse decernas; ita quod nullus diœcesanus, vel alia ecclesiastica, sæcularisve persona in eis possit sibi jus aliquod vendicare, quandiu quidem fuerint sine possessionibus, decimis, mortuariis, per quæ solet locorum diœcesanis, et aliis ecclesiarum prælatis præjudicium generari. Si vero eas in futurum habere contigerit possessiones, vel alia supradicta, nolumus ipsos diœcesanos, vel alios hujusmodi exemptionis prætextu jure canonico defraudari.

Datum Laterani VI kal. septembris pontificatus nostri anno tertio.

XIV

Ad abbatem et conventum Casænovæ.

28 augusti 1218.

[Manrique, Ann. Cisterc., t. IV, p. 148.]

Eis mandat ut tam in instituendo abbate quam modis aliis bene intendant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati et conventui Casænovæ, Cisterciencis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum monasterium Sancti Bartholomæi de Sactione, quod immediate ad Romanam Ecclesiam pertinet, sicut litteræ felicis memoriæ Innocentii Papæ prædecessoris nostri nobis exhibitæ liquide manifestant, vobis reformandam commiserimus, et secundum statuta Cisterciencis ordinis informandum, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tam instituendo ibi abbatem idoneum, quam modis aliis ad ejus reformationem taliter intendatis : quod Domino gratum, et nobis merito sit acceptum. Datum Laterani, V kalendas septembris, pontificatus nostri anno tertio.

XV

Ad Petrum de Corbolio, Senonensem archiepiscopum.

(Ann. 1218, mense august. vel septembris.)

[Bouquet, Recueil des historiens, t. XIX, p. 668.]

Honorius, ut Galliarum episcopos concitet ad maturandum christianis Damiatam obsidentibus auxilium, enarrat quo sint loco res illius exercitus.

Honorius episcopus..., venerabilibus fratribus archiepiscopo Senonensi et suffraganeis ejus, ac dilectis filiis universis Christi fidelibus, tam crucesignatis, quam aliis per eorum diœceses constitutis, salutem, etc.

Rem aggressus est exercitus christianus existens in partibus transmarinis, in qua consistit aut plena victoria, aut vincendi desperatio manifesta, sicut hi qui locorum habent notitiam, asseverant. Obsidet enim civitatem Damiatæ opulentam et magnam, quam si Dominus in manibus eorum tradiderit, nullum, ut fertur, aut parvum obstaculum in terra Ægypto invenient ; quin immo infideles qui detinent sanctam civitatem Jerusalem, fugient ex eadem, et eam fidelibus sine bello relinquent. Si vero præfatam civitatem occupare nequiverint, in summo discrimine constitutus est idem exercitus, cum athletæ Christi se in eo loco posuerint, ut nisi per victoriam vestigia nulla retrorsum, sed nullo medio necesse habeant vincere, aut perire. Quod si, exigentibus peccatis nostris et populi christiani, accideret, ita consternarentur animi et dissolverentur manus crucesignatorum et omnium qui ad illorum succursum aspirant, quod dispendiosissimus labor, qui pro Terræ Sanctæ recuperatione assumptus totum orbem christianum concussit, non sine perpetui doloris memoria (quod Deus avertat!) irritus redderetur.

Confisi autem de divino auxilio, præsumimus meliora, cum Dominus, faciens nobiscum signum in bonum, impiissimum Soldanum Sephedinum, præcipuum malleum Sanctæ Terræ, nuper rebus humanis exemerit, et inter infideles discordiam immiserit generalem, antiquo Soldano Damasceno, filio Saladini, pugnante contra patruum suum et filium ejus Soldanos, et sic totam terram infidelium perturbante, ut, alto consilio ejus qui cuncta disponit, manus converterint in seipsos : per quod sperandum est, quod Deus regnum eorum in seipso divisum disposuit desolare : qui etiam propugnatorum suorum devotionem respiciens, eis ex insperato tradiderit turrim quamdam mirabilis fortitudinis, quæ, sita in medio fluminis et protensis catenis ferreis accessum ad dictam denegans civitatem, inexpugnabilem reddere videbatur ; tantæ siquidem latitudinis, ut trecenti armati consisterent in eadem, quos omnes cum ea in suorum fidelium manibus tradidit Dominus Deus noster, ac etiam in hostes suos tantum terrorem immisit, ut montem Thabor, quem in grande dispendium christiani populi castellaverant, et quædam alia munita loca, suffossis muris, pro timore reliquerint, nullum locum sibi satis tutum putantes, si christianus exercitus contra sæpedictam prævaluerit civitatem.

Hæc attendentes venerabilis frater noster patriarcha Jerosolymitanus (*a*) et episcopus Albanensis (*b*) A. S. legatus, necnon et carissimi filii rex (*c*) et magistri Hospi-

(*a*) Rodulfus. (*b*) Pelagius. (*c*) Joannes.

talis (*a*) ac militiæ Templi (*b*) et Sanctæ Mariæ Teutonicorum (*c*) Jerosolymitani, dux Austriæ (*d*) et princeps exercitus Romanorum, aliique prælati et magnates in obsidione prædicta litteris suis et precibus, quæ lapidea etiam corda emollire possent ad lacrymas, nobis instantissime supplicarunt, ut, cum expensæ quas fecerunt et faciunt in machinis et galeis, ac alii bellici sumptus, eos pecunia sic exhauserint, ut viris bello strenuis, qui pro defectu rerum remeare coguntur, necessaria ministrare non possint, et sic exercitus paulatim quotidie dilabatur, eis post Deum in cismarinorum auxilio totam spem suam habentibus tam bellatorum quam pecuniæ succursum mittere festinemus. Monemus igitur universitatem vestram et obsecramus per aspersionem sanguinis Jesu Christi, qui pro vobis tradidit semetipsum, quatenus, ponentes ante oculos vestræ mentis quantum gaudium quantaque exultatio erit justis in Domino, si cœptum negotium finem, ipso dante, habuerit exoptatum, et apud vos recogitantes e contra quantam confusionem quantumque mœrorem contrarium afferret toti populo christiano, præfato exercitui succurratis, sicut res expostulat, festinanter, providentes quod vos, filii crucesignati, proximo martio, vel saltem madio, transfretetis.

Vosque, fratres archiepiscope ac episcopi, singuli signatos suæ diœcesis sollicitantes instanter eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, alios subditos vestros ad exercitus prædicti succursum sedulis exhortationibus animando : proviso quod vicesima et alia pecunia collata et conferenda pro Terræ Sanctæ subsidio dilectis filiis Stephano, familiari nostro, et Henrico, fratribus domorum Hospitalis et militiæ Templi, præsentium portitoribus, quos propter hoc providimus destinandos, salvis specialibus concessionibus ab Apostolica Sede factis, integre assignetur in ipsius Terræ subsidium destinanda : in quod, licet pro navigio et alio crucesignatorum subsidio, in quo, præter decimam fratrum nostrorum et pecuniam a felicis memoriæ I. (*e*) Papa prædecessore nostro ad opus ipsius Terræ collatam, ultra viginti millia marcarum expendimus, non modicas fecisse noscamur expensas, præsentialiter tamen quinque millia marcarum contulimus, amplius collaturi, si plus subtrahere forte poterimus expensis familiaribus et aliis quas necessario facere nos oportet. Ad hæc diligentia vestra eorum quæ jam collecta sunt et quæ colligentur in posterum, et quæ missa sunt, et quæ præsentium latoribus contigerit assignari, quantitatem attendat, et eam nobis curet fideliter intimare.

Sane illud sub silentio prætereundum non duximus, quod patriarcha, legatus, dux et princeps, aliique prælati et magnates exercitus, suis nobis litteris intimarunt ea super quibus detractores Deo odibiles conati sunt carissimum in Christo filium nostrum J. (*f*) Jerosolymitanum regem illustrem, et dilectos filios Templarios et Hospitalarios infamare, omni fuisse vacua veritate, qui non solum eorum excusant innocentiam in hac parte, verum etiam, illos multipliciter commendantes, ascribere videntur miraculo expensas quas fecerunt et faciunt pro negotio Terræ Sanctæ, firmiter asserentes quod idem exercitus in obsidione jam dicta nullatenus posset sine illorum viribus remanere. Unde volumus et præcipimus ut eos, tanquam veros Christi athletas et præcipuos christianæ fidei defensores, studeatis honorare, diligere et fovere, eorum declarantes super hoc innocentiam, et fidei ac virtutis constantiam prædicantes.

Datum Laterani..... anno tertio.

XVI

Ad Philippum, Francorum regem.

5 sept. 1218.

[Bouquet, Recueil des Histor., t. XIX, p. 669. Regest., lib. III, epist. 50.]

Ut Philippum inducat ad suscipiendum adversus Tolosanos in gratiam Amalrici de Monteforti, Simonis filii, bellum, Honorius cum rege paciscitur, ut pecuniæ in subsidia belli transmarini collectæ dimidiatim illius expeditionis sumptibus attribuantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio nostro Ph. regi Francorum illustri, salutem, etc.

Deo, in cujus sunt manibus corda regum, gratiarum referimus actiones, quod, antequam litteræ nostræ, quibus tuam incitare magnificentiam studebamus ad perfidorum

(*a*) Guerinus. (*b*) Guillelmus. (*c*) Herman. (*d*) Leopoldus. (*e*) Innocentio. (*f*) Joannem.

Tolosanorum et suorum complicum malitiam comprimendam, tibi fuerint præsentatæ, tu divino spiritu incitatus id faciendi propositum assumpsisti, sicut litteræ tuæ nobis exhibitæ declararunt (1). Sane quod per easdem litteras postulasti ut de vicesima regni Franciæ et aliis collectis et colligendis ibidem huic subvenire negotio curaremus, animum nostrum quasi quædam perplexitate perstrinxit. A principio enim pontificatus nostri statuimus, ut, tam prædicti regni, quam aliorum, vicesima colligeretur in singulis diœcesibus, et per episcopum loci, si esset crucesignatus, alioquin per alios crucesignatos ipsius diœcesis fideles et idoneos, ultra mare ferretur viris negotio Terræ Sanctæ utilibus eroganda; ne, si aliter fecissemus, videri potuisset aliquibus, quod eam vel aliquam partem ejus nostris vellemus usibus applicare, qui non solum id facere nullatenus cogitavimus, verum etiam cameram nostram exhaurivimus pro ipsius negotio Terræ Sanctæ ultra viginti marcarum millia exponendo. Nobis igitur super tua petitione ac prædicto statuto sollicite meditantibus, valde periculosum visum est et detractioni obnoxium, pecuniam jamdictæ Terræ Sanctæ negotio deputatam in alios usus convertere, ipsamque Terram Sanctam eadem pecunia quodammodo defraudare.

Sed rursus cogitantibus in quantam confusionem negotium pacis et fidei relabitur in partibus Tolosanis et convicinis, nisi eidem potenter in instanti articulo succurratur, gravissimum visum est negotium illud tantis rerum et personarum dispendiis hactenus procuratum Apostolico auxilio destituere, præsertim cum negotii jamdicti promotio ad honorem pertineat regni tui, quod, Deo teste, diligimus præ cæteris regnis mundi, et ille, qui ad quæ vult corda regum inclinat, propositum succurrendi eidem negotio tibi dignatus fuerit inspirare. In hac ergo quasi quadam concertatione viam mediam eligentes, sic duximus providendum, ut videlicet, excepta vicesima illarum diœcesum quarum episcopi sunt in partibus transmarinis, vel eundi illuc iter sunt usque ad festum S. Johannis Baptistæ proximum aggressuri, salvis etiam concessionibus quas quibusdam episcopis et baronibus crucesignatis, sive quibuslibet aliis, fecimus de vicesima terræ seu ecclesiarum suarum, ac vicesima crucesignatis jam tradita, ut per eos ultra mare feratur ipsius Terræ Sanctæ succursui, remanente, tota alia vicesima dicti regni, Narbonensi et Auxitanensi provinciis duntaxat exceptis, tam collecta quam etiam colligenda, necnon pecunia truncorum et pro votorum redemptione donata et donanda, de cætero æqualiter dividatur, et mediate ad ipsius Terræ subsidium destinata, reliqua, juxta petitionem tuam, in prædicto negotio expendatur. Ad eam autem colligendam et, ut prædiximus, dividendam, venerabiles fratres nostros Noviomensem (*a*) et Meldensem (*b*) episcopos, et dilectum filium abbatem Cisterciensem duximus deputandos, qui, una medietate jam dictæ Terræ subsidio reservata, reliquam tibi assignent, prout expedire videris, in stipendiarios et alias utilitates negotii largiendam.

Decimam quoque reddituum dilecti filii nobilis viri L. (*c*) primogeniti tui, ac vicesimam illorum qui cum eo Angliam intraverunt, quam de mandato legati nostri (*d*) tenentur per biennium mittere ultra mare, huic negotio totaliter deputamus, ita quod illi eam sibi retineant, qui personaliter subierint hunc laborem, alii vero eam tibi assignent in subventionem prædicti negotii convertendam; concedimus etiam ut hi qui eidem primogenito tuo, non intrando Angliam, sed alias ei præstando favorem, propter hoc excommunicationis vinculum incurrerunt, si ad succursum prædicti negotii personaliter ire voluerint, ut (2) saltem bellatorum aut pecuniæ, juxta facultates suas, competens subsidium destinare, ab episcopis suis, et etiam ab illis quibus commissum fuerit officium prædicandi, possint beneficium absolutionis recipere juxta formam ecclesiæ consuetam (3). Porro per venerabilem fratrem nostrum Agathensem episcopum (4) apostolicas destinavimus indulgentias omnibus qui in personis aut rebus succursum præstiterint negotio sæpedicto, quas in suo robore volumus permanere. Ad hæc, quia in Arelatensi, Viennensi,

(1) Honorii litteras vide supra, t. III, col. 14.
(*a*) Stephanum de Nemosio. (*b*) Guillelmum de Nemosio. (*c*) Ludovici. (*d*) Gualonis.
(2) *Legendum* aut.
(3) Mulctæ, Ludovico Philippi regis filio, ob gestum in Anglia bellum, et fautoribus ejus ab Gualone legato impositæ, anno 1217, mentio non habetur in tractatu a Rymero edito, quem tomo nostro XVII, p. 111, retulimus. (Bouquet.)
(4) Tedisium.

Narbonensi, Auxitanensi, Ebredunensi et Aquensi provinciis, pauci sunt crucesignati pro subsidio Terræ Sanctæ, illarum vicesimam totaliter deputamus negotio memorato, per manus dilectorum filiorum nostrorum B. (1) tituli Sanctorum Johannis et Pauli presb. card., A. S. legati, et nobilis viri Amalrici, comitis Tolosani, in ipsius utilitatem negotii convertendam. Monemus igitur celsitudinem tuam et obsecramus in Domino, quatenus ad hoc fidei et pacis negotium, quod per tuas et regni tui vires hactenus promotum esse dignoscitur, intendas sic magnifice ac potenter, quod magnificentia tua et regni tui per hoc specialiter enarretur in terris, et in cœlis æterna tibi præmia reserventur. Datum Laterani, nonis septembris, anno tertio.

In eumdem fere modum scriptum est super hoc Noviomensi et Meldensi episcopis et abbati Cisterciensi : Deo, in cujus sunt manibus corda regum, etc., *usque* in prædicto negotio expendatur. *Deinde subjicitur* : Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, diligenter colligentes eamdem et æqualiter dividentes, una medietate jam dictæ Terræ subsidio reservata, reliquam prædicto regi fideliter assignetis in stipendiarios et alias utilitates negotii, prout expedire viderit, largiendam. Cumque decimam reddituum dilecti filii nobilis viri L. primogeniti dicti regis, ac vicesimam illorum qui cum eo Angliam intraverunt, quam de mandato legati nostri tenentur per biennium mittere ultra mare, huic negotio totaliter duximus deputandam, ita quod illi eam sibi retineant, qui personaliter subierint hunc laborem; alii vero eam ipsi regi assignent in subventionem prædicti negotiii convertendam; mandamus quatenus hæc faciatis executioni mandari in utroque articulo, in contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, exercendo. Datum Laterani, nonis septembris, pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem modum scriptum est archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus et clericis omnibus per regnum Franciæ constitutis, *mutatis mutandis*. (Duchesne, *Hist. Franc. scriptor*. V, 855, n. 10.)

(1) Bertranni.

XVII

Ad Philippum, Francorum regem.

5 septemb. 1218.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 671 ; Regest., lib. III, ep. 49.]

Philippo rege apparatum magnum faciente ad succurrendum Amalrico de Monteforti adversus Tolosanos, Honorius non solum regem, sed et ejus homines, eorumque bona, sub speciali Apostolicæ Sedis protectione recipit.

Honorius episcopus......., carissimo in Christo filio nostro Ph. regi Francorum illustri, salutem, etc.

Ex eo conjicitur te ad succurrendum negotio fidei et pacis in partibus Tolosanis magnum juxta magnificentiam tuam proposuisse facere apparatum, quod interim protectionem ac tutelam Apostolicæ Sedis tibi ac tuis dignanter exposcere voluisti, qui non solum tua, sed etiam aliena, brachii tui protectione protegis et tueris. Nos igitur, regiæ petitioni benignum impertientes assensum, personam et regnum tuum cum omnibus juribus et pertinentiis suis, necnon personas et terras fidelium tuorum et aliorum, per quos succurres negotio memorato, sub speciali Apostolicæ Sedis protectione ac defensione suscipimus, et ea tibi ac aliis firma et illibata permanere sancimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc. Datum Laterani, nonis septembris, pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem fere modum scriptum est conservatoribus, videlicet Noviomensi et Meldensi episcopis, et abbati Cisterciensi : Ex eo conjicitur carissimum filium nostrum Ph. regem Francorum illustrem ad succurrendum negotio fidei et pacis, etc., *verbis competenter mutatis, usque* et illibata decrevimus permanere. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si qui prædictum regem vel suos aut eorum bona contra nostræ protectionis et constitutionis tenorem temere molestare præsumpserint, nos præsumptionem eorum, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis. Quod si non omnes... duo vestrum, etc. Datum *ut supra*.

XVIII

Ad Bertrannum, A. S. legatum et Amalricum, com. Tolosanum.

5 septemb. 1218.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 672. Regest. lib. III, ep. 52.]

Provinciam eis demandat Honorius colligendæ vicesimæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis B. tituli sanctorum Johannis et Pauli presbyt. card., A. S. legato, et nobili viro Amalrico comiti Tolosano, salutem et apostolicam benedictionem.

Quid pro vestro subsidio faciamus, litteræ carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francorum illustri directæ, quarum tenorem vobis quoque sub bulla nostra dirigimus, vos plenius edocebunt (1). Cum autem vicesimam Narbonensis, Auxitanensis, Aquensis, Ebredunensis, Viennensis, Arelatensis provinciarum, vobis concedendam duxerimus in utilitatem negotii pacis convertendam, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tu, fili legate (*a*), eam per personas ad hoc utiles et idoneas diligenter colligi facias et tibi fideliter assignari; contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, ut per vos, sicut negotio videbitur expedire, provide in stipendiarios et utilitates alias expendatur. Vos denique, sicut viri prudentes, stetis viriliter et constanter, de divino auxilio et favore nostro indubitanter fiduciam obtinentes. Datum Laterani, nonis septembris, anno tertio.

XXIX

Ad Viennensem et Arelatensem archiepiscopos.

5 septemb. 1218.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 671. Regest., lib. III, ep. 51.]

Jubet dimidiam vicesimæ transmarinis crucesignatis deputatæ partem ad bellum Tolosanum conferri.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus et clericis omnibus, per Viennensem, Arelatensem, Narbonensem, Auxitanensem, Ebredunensem et Aquensem provincias constitutis, salutem, etc.

Cum hæreticos deteriores esse liqueat Sarracenis, non minori studio eis est quam illorum insultibus obsistendum. Licet igitur vicesima ecclesiasticorum proventuum certo tempore fuerit Terræ Sanctæ subsidio deputata, nos tamen, attendentes in quam confusionem negotium pacis et fidei circa Provinciæ partes relabitur, nisi ei potenter in hoc articulo succurratur, provinciarum vestrarum vicesimam in ejusdem negotium subventionem providimus convertendam, salvis concessionibus, si quas fecimus episcopis vel baronibus crucesignatis de vicesima terræ suæ. Ideoque per Apostolica vobis scripta, in virtute obedientiæ, districte præcipiendo mandamus, quatenus universi et singuli eam dilecto filio nostro B. (*b*) tituli Sanctorum Joannis et Pauli presbytero card., A. S. legato, vel cui mandaverit, sine difficultate ac diminutione qualibet assignetis, ut per manus ejus ac dilecti filii nobilis viri Amalrici, comitis Tolosani in promotionem ipsius negotii expendatur; scientes nos eidem cardinali per nostras dedisse litteras in mandatis ut contradicentes, si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescat. Datum Laterani, nonis septembris, anno tertio.

XX

Ad Pandulphum Norwicensem.

12 septemb. 1218.

[Raynald, Annal. ecclesiast. ad ann. 1218 § 62.]

Legationis officium in regno Angliæ ei committit.

Cum dilectus filius noster G. tit. S. Martini presbyter card. qui expertam prudentiam, et constantiam suam in regno Angliæ viriliter, ac per Dei gratiam feliciter exercuit, sicut scis, nobis frequenter supplicaverit humiliter et instanter, ac etiam per fratres nostros fecerit supplicari, ut ipsi continuis fatigato laboribus redeundi licentiam concedere dignaremur; nos attendentes labores ipsius diutinos, et simul præsentiam ejus Apostolicæ Sedi, cum sit vir magni consilii, necessariam affectantes, licentiam ei concessimus toties postulatam. Verum quia expedire credimus, imo scimus, ut ibi sit aliquis de latere nostro missus, qui regem et regnum ipsum in tranquillitate studeat conservare, te de cujus circumspectione ac fide indubi-

(1) Vid. col. 24.

(*a*) Bertrannus. (*b*) Bertranno.

tatam fiduciam obtinemus, et quem certissime novimus regem et regnum sincera diligere caritate, illuc concesso tibi legationis officio, duximus destinandum. Datum Laterani, secundo idus septembris, pontificatus nostri anno tertio.

XXI

Ad episcopum et capitulum Matiscon.

27 septemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 67. Mss. La Porte du Theil.]

Ne alienationes, commutationes, aut concessiones sine episcopi consensu attententur.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo, dilectis filiis capitulo Matisconen., salutem., etc.

Quum, sicut nostris est auribus intimatum, ecclesiæ vestræ procurationes et redditus nonnunquam alienare contingat in ipsius ecclesiæ et servitorum ejus non modicam læsionem, nos super hoc debita volentes sollicitudine providere, auctoritate præsentium inhibemus, ne prædictorum alienationes, sive commutationes, aut concessiones ad firmam de cætero attententur sine tuo, frater episcope, consilio et consensu, irritum decernentes, si quid contra inhibitionem nostram fuerit attentatum, dum tamen consuetudo ecclesiæ non repugnet. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis et inhibitionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, V kalendas octobris, pontificatus nostri anno tertio.

XXII

Ad archiepiscopos, episcopos per Hispaniam constitutos.

5 oct. 1218.

[Bullarium Vaticanum, III, append. 55.]

Scribit de exercitu christiano in partibus transmarinis existente. Præcipit ut Huguicionem subdiaconum et capellanum suum et magistrum Cinthium presbyterum basilicæ Principis apostolorum, canonicos, ad ipsos pro subventione exercitus supradicti destinatos habeant commendatos, vicesimamque ipsam et Ecclesiæ Romanæ census sine difficultate assignent.

Honorius, etc., archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus ac prælatis et clericis universis, tam exemptis quam aliis per Hispaniam constitutis.

Ille solus qui est omnium cognitor secretorum novit anxietates continuas quas tempore jam longo pertulimus pro negotio Terræ Sanctæ. Quanto autem majores propter hoc sustinuimus expensas, sollicitudines et labores, tanto amplius nobis cederet ad opprobrium et dolorem, si fideles qui pro ipso negotio exposuerunt res pariter et personas, pro rerum defectu a suo cogerentur proposito resilire. Sane venerabilis frater noster... patriarcha et carissimus in Christo filius noster Joannes illustris rex Hierosolymitanus, magistri quoque Hospitalis et Templi et universi principes et barones exercitus christiani existentis in partibus transmarinis suis nobis litteris intimarunt quod tam importabiles expensas facere compelluntur, tum in machinis et galeis, tum in alio bellico apparatu, quod nisi ad eas faciendas subveniamus eisdem, eas nullatenus poterunt sustinere, sed non absque confusione, quod Dominus avertat, ab incœpto desistere compelluntur. Cum autem pro navigio Romanorum, in quo ultra viginti millia marcarum argenti expendimus camera nostra pene penitus sit exhausta, nec de illa possimus eisdem opportunum subsidium ministrare, Hispaniarum vicesimam, secundum ordinationem Concilii generalis providimus congregandam, ut subveniamus exercitui supradicto. Dilectos itaque filios Huguicionem, subdiaconum et cappellanum nostrum et magistrum Cinthium presbyterum basilicæ principis apostolorum, canonicos latores præsentium, viros utique providos et fideles, ac nobis et fratribus nostris caros suis exigentibus meritis et acceptos, ad partes vestras pro hujusmodi negotio destinantes, universitatem vestram monemus ac rogamus attente, ac per Apostolica vobis scripta præcipimus, quatenus ipsos ob reverentiam nostram habentes propensius commendatos, eisque in securo conductu et aliis necessariis hilariter providentes, vicesimam ipsam et Ecclesiæ Romanæ census sine difficultate assignetis eisdem. Quod si qui forte se in illorum solutione difficiles exhibuerint vel rebelles, vos fratres archiepiscopi et episcopi, singuli suæ juridictioni objectos ad id, cum ab eis fueritis requisiti, per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compellatis. Alioquin sententiam quam ipsi, vel eorum alter tulerint in eosdem, præcipimus usque ad satisfactionem condignam firmiter observari. Datum Laterani, tertio nonas octobris, pontificatus nostri anno tertio.

XXIII

Ad abbates Pontis alti et Silvæ latæ, etc.

6 octob. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 76. Mss. La Porte du Theil.]

Ut quædam in monasterio Generen. corrigant et reforment.

Honorius, etc., dilectis filiis Pontis alti et... Silvæ latæ abbatibus Aduren. et Lascuren. diœc. et magistro Ade canonico, salutem, etc.

Ex insinuatione dilecti filii... abbatis monasterii Generen. accepimus, quod contradicentibus sibi quibusdam ex monachis et aliis subditis suis, qui rebellionis assumpserunt spiritum contra ipsum, monasterium suum, quod ad nos nullo pertinet mediante, grave in spiritualibus et temporalibus patitur detrimentum. Unde postulavit a nobis, ut eidem subvenire monasterio per correctionis et reformationis officium dignaremur. Cum igitur instantia nostra sit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictum monasterium personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Deum, corrigatis et reformetis ibidem, quæ correctionis et reformationis officio noveritis indigere. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes, etc., duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Laterani, secundo nonas octobris, pontificatus nostri anno tertio.

XXIV

Ad Waldemarum regem Danorum.

9 octob. 1218.

[Suhm, Historie af Danmark, IX, 750.]

Ei concedit ut terram, quam de paganorum manibus eripere poterit suis et suorum laboribus et expensis, regno suo et ejus ecclesiis annectat.

Honorius, etc...., carissimo in Christo filio... illustri regi Danorum salutem et apostolicam benedictionem.

Magnitudinis tuæ litteras consueta benignitate recepimus, et quæ continebantur in eis notavimus diligenter. Sane regia celsitudo a nobis humiliter postulavit, ut terram, quam de paganorum manibus eripere poteris tuis et tuorum laboribus et expensis, regno tuo et ejus ecclesiis applicare de clementia Sedis Apostolicæ dignaremur. Sic enim Dominus in Romanam Ecclesiam per beati Petri merita sua dona diffudit, sic ejus privilegium ampliavit, ut quantumlibet in alios fuerit liberalis nec detrimentum tamen honoris timeat, nec dispendium potestatis, utpote quæ nihil sibi subtrahit cum aliquibus maxima etiam elargitur, nec aufert quod confert, nec quod donat amittit. Hujus igitur liberalitatis participem fieri te volentes, qui petitiones suas quantum cum Deo possumus exaudire disponimus, ut gens illa, cujus mentem tenebrarum angelus excæcavit, ad agnitionem veri luminis per tuæ sollicitudinis studium divina cooperante gratia valeat pervenire, ac laborem tuum, profectus utilis subsequatur, regalibus in hac parte precibus duximus annuendum, postulata tibi auctoritate præsentium concedentes. Dat. Later., VII id. oct., pontificatus nostri anno tertio.

XXV

Ad decanum et capitulum Silvanecten.

17 octob. 1218.

[Regest., lib. III, ep. 82. Mss. La Porte du Theil.]

Ordinationem factam confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano et capitulo Silvanecten. ecclesiæ, salutem, etc.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod vos propter dissentiones et discordias evitandas, quæ super collatione dimidiæ præbendæ ad vestram donationem spectantis aliquando contingebant, ipsam dimidiam præbendam in usus et distributiones quæ fiunt in nocturnis et diurnis officiis, ad cultum divini nominis ampliandum, venerabilis fratris nostri.., episcopi vestri accedente consensu, duxistis unanimiter convertendam. Unde nobis humiliter supplicastis, ut quod super his provide ordinastis, Apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, ordinationem ipsam, sicut provide, et canonice facta est, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XIV kalendas novembris, pontificatus nostri anno tertio.

XXVI

[illegible] et priorem
[illegible]

18 octob. 1218.

[Manrique, Annal. Cisterc., IV, 140.]

Ut inquirant veritatem facinorum, quibus Dertusensis episcopus a canonicis suis accusatus sit.

Quatenus ad Dertusensem ecclesiam personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Dominum, et revocato in irritum quidquid per prædictam appellationem, in eorumdem canonicorum præjudicium temere inveneritis attentatum ; inquiratis super præmissis sollicite veritatem, et quæ inveneritis fideliter redigentes in scriptis, vestris inclusa sigillis, ad nostram præsentiam transmittatis, præfigendo ipsi episcopo terminum competentem, quo nostro se conspectui repræsentet, quod canonicum fuerit, auctore Domino, recepturus. Datum Laterani, XV kalendas novembris, pontificatus nostri anno tertio.

XXVII

Ad abbatem et priorem Alcobatiæ et cantorem Conimbricensem.

25 octob. 1218.

[Manrique, Annal. Cisterc., IV, 140.]

His scribit de flagitiis Vincentii, mandatque ut, quidquid canonicum fuerit, exsequantur.

Persecutionum venerabilis fratris nostri Ulisbonensis episcopi non possumus recordari sine dolore, quas a magistro Vincentio, quondam Ulisbonensi decano, se asserit pertulisse, quum, sicut accepimus, tanta et tam enormis existat, illius in eumdem materia nova gestorum, ut nec illam expediat in totum præsentibus explicare; et adhuc ejus manus (credentis forsan etiam in Altissimum rebellare) adversus memoratum episcopum, non minus solito sit extenta. Porro præfatus episcopus suis nobis nuper litteris intimavit, quod cum profectus in æstate præterita contrà fidei nostræ blasphemos, ad ecclesiam suam rediens, eam gravissime turbatam invenerit, utpote in qua diutius Vincentius multa præsumpserat, ac illicite usurparat, ad canonicorum suorum instantiam, suppliciter postulantium, ut quæ reformanda erant in eadem ecclesia, juxta officium sibi debitum reformaret : nec pateretur eumdem magistrum, decanum Ulisbonensem, ad quem recipiendum ut forsan liber fuerit; at postquam obtinuit animarum curam in aliis ecclesiis, præjudicium sibi fecerat renitendo. Ipse secutus juris ordinem, præsertim cum multis de causis, eo se indignum reddidit, a decanatu removit eodem. Dat. VIII kal. nov. anno tertio.

XXVIII

Ad abbatem S. Severi et priorem de Monte Marsano.

26 octob. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 86. Mss. La Porte du Theil.]

Ut sententias observari faciant.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Oleren., et dilectis filiis abbati Sancti Severi et priori de Monte Marsano, Aduren. diœcesis, salutem, etc.

Venerabilis frater noster archiepiscopus Auxitanus sua nobis insinuatione monstravit, quod cum in quosdam cives Baionenses excommunicationis, et in reliquos interdicti sententias promulgavit, exigentibus culpis suis, iidem prætextu appellationis frustratoriæ, quam emiserant, easdem sententias contemnentes ad..... Generen..... Casæ Dei, et ..... Pontis alti abbates Turonen. et Aduren. diœcesum per expressum mendacium, et veritatem suppressam Apostolicas super hoc litteras impetrarunt, quibus uti hactenus noluerunt, licet annus postmodum sit elapsus, ipsi, quamvis præfati judices ab ipso archiepiscopo super hoc instanter fuerint requisiti. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, sententias ipsas præfatis litteris nequaquam obstantibus, faciatis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, firmiter observari. Quod si non omnes, etc., tu frater episcope cum eorum altero, etc. Datum Laterani, VII kalendas novembris, pontificatus nostri anno tertio.

XXIX

Ad R. cancellarium Campaniæ.

27 octob. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 90. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut quanquam natus de non legitimo matrimonio ad sacros ordines promoveri possit.

Honorius, etc., dilecto filio R. cancellario Campaniæ, salutem, etc.

Debitum quodammodo nos exsolvere credimus, cum his merita quorum id exigunt,

gratiam exhibemus. Siquidem contra natos de non legitimo matrimonio diversæ constitutiones in pœnam parentum a Sede sunt Apostolica promulgatæ, sed ejusdem Apostolicæ Sedis benignitas illos nonnunquam consuevit ab hujusmodi constitutionum impedimento subducere, quos a parentum vitiis gratia præveniente subductos virtutibus conspicit eminere, merito illos tanquam legitimos in Dominicam hæreditatem assumens, defectum dissimulando natalium, quos meritorum gratia insignitos ipsa legitimat prærogativa virtutum. Licet igitur nonnulli episcopi et prælati, ac quidam etiam de fratribus nostris qui tuam in sæculis conversationem plenius cognoverunt, tibi de vita et scientia testimonium laudabile perhibentes, humili nobis instantia supplicarint, ut impedimentum, quod tuæ promotioni opponit defectus natalium, eo quod carissimus in Christo filius noster..... illustris rex Navarræ te solutus genuit de soluto, removere de benignitate Apostolica dignaremur, nos tamen non tam illorum inclinati precibus, quam virtutibus tuæ probitatis inducti, cum defectum hujusmodi multorum redimas tessera meritorum, et dignum sit ut plus tibi prosint propria merita, quam culpa noceat aliena, tibi auctoritate præsentium per dispensationis gratiam indulgemus, ut quoad spiritualia impedimentum tibi nihil afficiat memoratum, sed eo non obstante, libere retinens beneficia quæ fuisti canonice assecutus, valeas promoveri ad sacros ordines, et ad quaslibet ecclesiasticas dignitates assumi. Nulli ergo etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani 6 kalendas novembris pontificatus nostri anno tertio.

XXX

Ad Odonem de Chesy decanum, præpositum et R. de Codun.

27 octob. 1218.

[Notices et Extraits, XXI, II, 168.]

Scribit se decanatum Ambienensis ecclesiæ magistro J. duxisse conferendum, cum autem abbas Sancti Victoris et collegæ ejus in præpositum et quosdam canonicos Ambianenses excommunicationis sententiam, legitima ipsorum appellatione contempta, promulgassent, illis mandat, ut canonicis prædictis absolutionis impendant beneficio et causam sufficienter instructam Apostolicæ Sedi remittant.

Honorius, etc., dilectis filiis decano, præposito et R. de Codun. canonico Suessionensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectorum filiorum præpositi et quorumdam canonicorum Ambianensium fuit propositum coram nobis, quod S. quondam decano Ambianensis ecclesiæ sublato de medio, idem præpositus, cum majori et saniori parte capituli ejusdem ecclesiæ, in decanum E. de Roia, pars vero minor, magistrum Joannem de Abbatis Villa, Ambianenses canonicos, elegerunt; cumque super hoc coram venerabili fratre nostro Ambianensi episcopo judice ordinario, mota esset quæstio inter partes, dictus præpositus et alii qui cum eo in ipsa electione convenerant, episcopum ipsum habentes certa ratione suspectum, metropolitani sui audientiam provocarunt, sed pars altera, frustatoriæ vocem ad nos appellationis emittens, causam ipsam venerabili fratri nostro Atrebatensi episcopo et conjudicibus suis a nobis obtinuit delegari. Interim autem, lite pendente, per dilectum filium nostrum R., tituli S. Stephani in Cœlio monte presbyterum cardinalem, nobis exstitit intimatum, quod, dum ipse legationis fungeretur officio, supradictum S. decanum ab Ambianensi ecclesia tanquam inutilem penitus amovens, canonicis ipsius ecclesiæ, ex eo quod ipsum S. illiteratum et alios prorsus inutilem contra canonicas sanctiones elegerant in decanum, vice illa eligendi decanum potestate privatis, collationem decanatus ejusdem ecclesiæ Sedi Apostolicæ reservavit, hoc nequaquam expresso quod ab eo in Bituricensi capitulo ab ecclesia Gallicana et præcipue a procuratore Ambianensis capituli ante fuerat appellatum, et hujusmodi appellatio exstitit ab Apostolica Sede recepta, et quod idem legatus, ad præfatam accedens ecclesiam, dicto S. tantummodo ætatis defectum et corporis imbecillitatem objecit. Unde nos, ad suggestionem hujusmodi, decanatum prædictum præfato magistro J. de Abbatis Villa duximus conferendum, abbati S. Victoris et collegis suis nostris dantes litteris in mandatis, ut, revocato in irritum quidquid post reservationem decanatus ejusdem a cardinali prædicto factam super decanatu invenirent attentatum prædicto, ipsum magistrum non obstantibus litteris, quas quidem canonici Ambianenses super decanatu præfato ad dictum Atrebatensem

et suos dicebant conjudices impetrasse, de reservatione ipsa non habita mentione, in possessionem decanatus ipsius inducerent defenderentque inductum. Partibus igitur in ipsius abbatis S. Victoris et collegarum suorum præsentia constitutis, ex parte dicti præpositi et coelectorum suorum fuit propositum coram eis, quod auctoritate litterarum hujusmodi procedere non poterant in ipso negotio, nec debebant, eo quod per falsi suggestionem impetratæ fuerant, tali veritate tacita quæ expressa nullatenus fuissent obtentæ, cum etiam litteræ ipsæ non essent revocatoriæ litterarum ad præfatum Atrebatensem et suos conjudices super ipso negotio obtentarum: quæ omnia dictus præpositus et pars ejus legitime probare volebant. Verum quia executores ipsi exceptiones et probationes eorum legitimas admittere denegabant nostram audientiam appellaverunt. At iidem executores, legitima ipsorum appellatione contempta excommunicationis in eos sententiam promulgaverunt, alias ipsos multipliciter aggravantes. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si vobis constiterit de præmissis, a præfato præposito et sociis suis sufficienti cautione recepta, quod super iis pro quibus excommunicati fuisse noscuntur juri parebant, eisdem juxta formam Ecclesiæ absolutionis impendatis beneficium ad cautelam, et, de appellationis causa legitime cognoscentes, si dictam excommunicationis sententiam inveneritis post appellationem ad nos legitime interpositam esse latam, revocato in irritum quidquid post appellationem ipsam inveneritis perperam attentatum, inquiratis super processu totius negotii diligentius veritatem, et causam sufficienter instructam ad nostram præsentiam remittatis, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent, quod canonicum fuerit, auctore Domino, recepturæ: alioquin partes ad præfatorum S. Victoris abbatis et collegarum suorum Parisiensium remittatis examen. Datum Laterani VI kal. novembris, pontificatus nostri anno tertio.

XXXI

Ad Constantinopolitanum patriarcham.

29 octob. 1218.

[Raynald, Annal. ecclesiast. ad annum 1218, § 25.]

Ei mandat ut Corinthiensi archiepiscopo utendi pallio tribuat facultatem.

Cum in generali Concilio provida sit deliberatione statutum, ut Constantinopolitanæ sedis antistes, postquam a Romano Pontifice receperit pallium, quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis et obedientiæ juramento licenter suis suffraganeis pallium largiatur, recipiens pro se professionem canonicam, et pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem archiepiscopo, quem ex prædicta causa dumtaxat super usu recepti taliter pallii nolumus impediri, utendi eo libere tribuas facultatem. Datum Laterani, IV Kal. novemb., pontificatus nostri anno tertio.

XXXII

Ad episcopum, decanum et subdecanum Aurelianenses.

30 octob. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 91. Mss. La Porte du Theil.]

Ut quod super præbenda et archidiaconatu Senonen. sententialiter a Sede Apostolica fuit diffinitum, observari faciant.

Honorius, etc., episcopo, et dilectis filiis... decano, et... subdecano Aurelianen., etc.

Cum super præbenda, et archidiaconatu Senonen. ecclesiæ diversa et adversa olim fuissent proposita coram nobis, P. Senonen. canonico procuratore venerabilis fratris nostri..... Senonen. archiepiscopi asserente, quod dilectus filius J. Senonen. archidiaconus olim resignavit utrumque, se in ipsa resignatione voto vel juramento astringens, quod ea de cætero sine dispensatione Apostolica non reciperet, vel teneret, ipso autem archidiacono, quod de voto, vel juramento præmissum est insinuante omnino, ac etiam affirmante quod revera prebendam ipsam et archidiaconatum simpliciter resignavit, et postmodum per eumdem archiepiscopum de utroque fuit in Senonen. capitulo investitus; quia super his nobis non poterat plene constare, per dilectos filios abbatem Præmonstraten. et .... archidiaconum Remen. veritatem fecimus inquiri. Postmodum vero constitutis in præsentia nostra M. procuratore archiepiscopi, et J. archidiacono memorato, quia per ipsam inquisitionem nihil invenimus contra præfatum archidiaconum sufficienter esse probatum, et de investitura prædicta nobis constitit evidenter sæpe dictum archidiaconum [accepisse], de consilio fratrum nostrorum eidem archiepiscopo

super ipsis perpetuum silentium imponentes.; quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, quod a nobis est sententialiter diffinitum, faciatis auctoritate nostra inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non omnes, etc., tu ea, frater episcope, cum eorum altero nihilominus exsequaris. Datum Laterani, III kalendas novembris, pontificatus nostri anno tertio.

XXXIII

Ad Bertrannum cardinalem A. S. legatum.

31 octob. 1218.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 672. Regest., lib. III, ep. 96.]

Mandat Honorius, ut liceat Jacobo, Aragoniæ regi, commendare ad tempus Amilianensem comitatum Alienoræ, patris ipsius sorori, conjugi Raimundi comitis Tolosani, ad sublevandam ejusdem comitissæ paupertatem.

Honorius episcopus..., dilecto filio B. tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbytero cardinali, A. S. legato, salutem, etc.

Carissimus in Christo filius noster J. (*a*), rex illustris Aragonum, per suas nobis litteras intimavit, quod, compatiens paupertati dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris A. (*b*), amitæ suæ, uxoris R. (*c*) quondam comitis Tolosani, comitatum Amilianensem eidem ad tempus proposuit commendare, ut ex ejus proventibus provisionem habeat condecentem, supplicans ut, cum a Romana Ecclesia teneat regnum suum, id ratum habere ac roborare auctoritate Apostolica dignaremur. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si comitatus ipse, absque juris præjudicio alieni, commendari potest nobili memoratæ, tu in hac parte facto dicti regis vice nostra robur Apostolicæ auctoritatis impendens, nobilem ipsam super ipso comitatu non permittas a quodam indebite molestari ; molestatores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, sicut justum fuerit, compescendo. Datum Laterani, pridie kal. novembris, pontificatus nostri anno tertio.

(*a*) Jacobus. (*b*) Alienoræ. (*c*) Raimundi VI.

XXXIV

Ad capitulum Bituricen.

3 novemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 101. Mss. La Porte du Theil.]

Electionem archiepiscopi Bituricensis confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Bituricen., etc.

Congaudemus ex his, quæ accepimus, nobis in Domino, actiones vestras dignis in eo laudibus prosequentes, qui videlicet educere in medium existentem margaritam in ecclesiæ vestræ thesauro et lucernam, quæ longe lateque resplenduit, statuere super candelabrum, ut luceat in domo Domini providistis. Nam bonæ memoriæ G. archiepiscopo vestro rebus ab humanis assumpto, die ad eligendum indicto, vocatis, et venientibus omnibus qui fuerant evocandi, multiplici habito de persona idonea præficienda tractatum, invocata tandem Spiritus Sancti gratia, per inspirationem ejusdem dilectum filium S. cantorem ipsius ecclesiæ, virum vitæ laudabilem morum honestate, ac sufficienti litterarum scientia præditum, et generositate præclarum universi elegistis, et singuli concorditer in pastorem, in quem totius cleri et populi, dum per eum eadem speratur ecclesia temporalibus auxiliis non destitui et spiritualibus proficere institutis, desideratus accessit assensus. Vos igitur in eo ecclesiæ cupientes consulere viduatæ, dilectos filios magistrum Minfredum archidiaconum, Rat. de Culent. et Stephano de Gur. Bituricen. canonicos pro obtinenda electionis vestræ confirmatione cum litteris vestris et ipsius electionis decreto propriis sigillis, et suscriptionibus roborato ad Sedem Apostolicam destinastis, et quamquam eumdem S. suorum per se commendarit titulus meritorum, carissimus tamen in Christo filius noster P. rex Francorum illustris et venerabilis fratris nostri... Senonen. et... Turonen. archiepiscopi, cum multis episcopis aliis gaudentes, quod talis esset ad ecclesiam Bituricen. electus, et personam ipsius multipliciter commendantes, ut annueremus cum gaudio votis vestris per suas nobis litteras humiliter supplicarunt. Unde cum electionem eamdem consideratis tam electi meritis, quam studiis eligentium, nec non modo electionis ipsius canonice invenerimus celebratam, illam de

fratrum nostrorum consilio duximus confirmandum, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eidem electo tanquam pastori animarum vestrarum obedientiam et reverentiam debitam impendatis, ejus salubribus monitis et mandatis humiliter intendentes. Nos enim sententiam, quam rationaliter tulerit in rebelles ratam habemus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Laterani, III nonas novembris, pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem fere modum scriptum est Bituricen. electo *usque* observari. Tu itaque commissam tibi sollicitudinem Bituricen. ecclesiæ ita laudabiliter exercere procures ut videaris prodesse potiusquam præesse, ac eadem ecclesia, quæ te ad suum accedere regimen concupivit, per te in spiritualibus et temporalibus suscepisse gaudeat incrementum.

XXXV

Ad Moravienses.

5 novemb. 1218.

[Theiner, Mon. Hiberniæ, 6, n. 14.]

Moraviensibus, ut episcopo suo a sententia excommunicationis absoluto obediant, mandat.

Honorius episcopus, dilectis filiis capitulo et universo clero et populo Moraviensibus, salutem.

Et verbera patris et ubera matris Apostolica Sedes habens, sic corripit filios delinquentes, ut correctos consolationis reficiat ubertate, ne se virgæ passim parceret, filios videretur odisse, dum eos relinquens propriæ voluntati curam negligeret eorumdem: quia et Dominus tunc vehementius est iratus, cum erga delinquentes signa continet irascentis, qui quos diligit, corripit et castigat, ut castigatos uberiori gratia prosequatur. Unde licet venerabilis frater noster Moraviensis episcopus pro eo, quod tempore turbationis regnorum Angliæ ac Scotiæ graviter nos et Ecclesiam Romanam in multis offendit, ejus senserit disciplinam, dum vinculo excommunicationis adstrictus, cum litteris dilecti filii nostri G. tituli S. Martini presbyteri cardinalis, Apostolicæ Sedis legati, ad nostram præsentiam personaliter laboravit : nos tamen, qui propter hoc juste commoti fuimus contra eum, nequeuntes in ira misericordiæ oblivisci, eidem in corde contrito, et humiliato spiritu veniam flagitanti juxta formam ecclesiæ munus fecimus absolutionis impendi, et cum requirimus ab eo sub debito juramenti, quod nobis præstiterat, utrum post interdictum legati prædicti divina officia celebrasset, de quo ipsum habebamus valde suspectum, idem id negavit omnino : unde ipsum cum nostræ gratiæ plenitudine remittentes, vestræ universitati per Apostolica scripta mandamus, quatenus ei tamquam episcopo et pastori animarum vestrarum in his, quæ ad Dominum pertinent, intendatis humiliter et devote. Datum Laterani, nonis novembris, pontificatus nostri anno tertio.

XXXVI

Ad priores Cartalicen. et de Porta Dei.

7 novemb. 1218.

[Regest., lib. III, ep. 105. Mss. La Porte du Théil.]

Ut quædam in monasterio Usercen. corrigant et reforment.

Honorius, etc., Cartalicen. et de Porta Dei prioribus Lemovicen. diœcesis, et J. subdiacono nostro canonico Lemovicen., etc.

Significantibus dilectis filiis S. priore, W. præposito, R. sacrista, J. eleemosynario et quibusdam aliis monachis Usercen. monasterii, Lemovicen. diœcesis, nos noveritis accepisse, quod cum monasterium ipsum in spiritualibus floruerit, et in temporalibus abundaverit ab antiquo, nunc propter negligentiam, seu malitiam potius B. abbatis ejusdem cœnobii collapsum est taliter in utrisque, quod nisi per sollicitudinem nostram celeriter subveniatur eidem, vix adjiciet ut resurgat. Idem enim abbas bona dicti cœnobii, fratrum ipsius loci et pauperum usibus deputata, temeritate propria dilapidans, et consumens, prioratus et ecclesias ad idem monasterium pertinentes personis minus idoneis concedere non veretur, non sine labe simoniacæ pravitatis, alias multa committens enormia in animæ suæ periculum et scandalum plurimorum, quæ limam Apostolicæ correctionis exposcunt. Cum igitur instantia nostra quotidiana sit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad monasterium ipsum personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Deum, ei vice nostra visitationis officium impendatis, corrigentes et reformantes ibidem tam in capite, quam in

membris, quæ correctionis et reformationis officio noveritis indigere, contradictores, si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes, etc., duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, VII idus novembris, pontificatus nostri anno tertio.

XXXVII

Ad universos Christi fideles per Mediolanensem provinciam constitutos.

10 novemb. 1218.

[Bullar. Roman., ed. Taur., t. III, 345, n. 27.]

Ut Mariano judici Turritano contra Ubaldum et Lambertum fratres excommunicatos succursum mittant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis Christi fidelibus per Mediolanensem provinciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ecclesiarum omnium jura ex injuncto nobis officio defendere teneamur, graves et intolerabiles Ecclesiæ Romanæ injurias dissimulare salva conscientia non valemus. Hinc est quod ad vestram cogimur perferre notitiam, quod Ubaldus et Lambertus frater ejus, cives Pisani, cum quibusdam complicibus suis, terram Sardiniæ, quæ juris et proprietatis Apostolicæ Sedis existit, Dei timore postposito, invadentes, partem occupaverunt ipsius, et ad aliam occupandam anhelant in gravem Ecclesiæ Romanæ injuriam et contemptum; nec eos ab iniquitate hujusmodi aliquatenus revocare potuimus, licet multis monitionibus benigne institerimus apud eos, unde ipsorum exigente contumacia, in eos et fautores eorum coacti sumus excommunicationis sententiam promulgare. Monemus igitur universitatem vestram, et obsecramus in Domino per Apostolica vobis scripta mandantes et injungentes in vestrorum remedium peccatorum, quatenus Romanæ Ecclesiæ matri vestræ in hac sua causa propria sicut devotionis filii viriliter assistentes, dilecto filio nobili viro Mariano judici Turritano, qui cum aliis, quos ad ejus excitamus auxilium, magnifice se accingit ad prædictorum excommunicatorum violentiam repellendam, bellatorum succursum in instanti martio terras mittatis, ut defendentes jura beati Petri regni cœlorum clavigeri, eum in districto judicio invenire propitium merito debeatis. Nos autem de Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus qui cum devotione ad præfatam Ecclesiæ terram defendendam accesserint, quartam partem de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus. Datum Laterani, quarto idus novembris, pontificatus nostri anno tertio.

XXXVIII

Ad electum Norvicensem.

10 novemb. 1218.

[Theiner, Monumenta Hiberniæ, 7, n. 15.]

Electo Norvicensi, ut pacem inter Angliæ et Scotorum reges initam nomine Sedis Apostolicæ vel confirmet vel reprobet.

Honorius episcopus, dilecto filio Pandulfo Norvicensi electo, camerario nostro, Apostolicæ Sedis legato, salutem.

Carissimus in Christo filius noster Alexander, rex Scotorum illustris, nobis fecit humiliter supplicari, ut compositionem, quæ inter claræ memoriæ W. patrem suum et inclitæ recordationis J. regem intervenit, prout in ejusdem regis Angliæ litteris plenius continetur, quarum transcriptum sub sigillis venerabilium fratrum nostrorum S. Andreæ, Dunkeldensis et Catavensis episcoporum nobis extitit præsentatum, confirmare vel infirmare, sicut esset faciendum de jure, auctoritate Apostolica dignaremur. Quia igitur in tanto negotio non nisi maturo est consilio procedendum, nos de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictæ compositionis tenorem et circumstantias singulas inspiciens diligenter, eam auctoritate nostra sub Apostolica obedientia confirmare vel infirmare procures, sicut de fide videris expedire. Datum Laterani, IV idus novembris, pontificatus nostri anno tertio.

XXXIX

Ad cancellarium regis Scotorum.

12 novemb. 1218.

[Theiner, Monum. Hiberniæ, 7, n. 16.]

Cancellario regis Scotorum remittitur, ne ad curiam veniat ad se purgandum de rebellione in regem, et pœnitens delicti absolvitur et restituitur in officium et beneficia.

Honorius episcopus, dilecto filio Willelmo de Bosco, cancellario carissimi in Christo

filii nostri A., regis Scotorum illustris, salutem.

Etsi nonnulli sint culpæ, in quibus est culpa relaxare vindictam, illius tamen licet immeriti vicarii constituti, qui parcendo maxime ac miserando suam omnipotentiam manifestat, libenter in cunctis nostris actibus misericordiam amplexamur, pœnitentibus, qui culpas proprias humiliter recognoscunt, misericorditer ignoscendo, ut misericordes a Domino misericordiam consequamur, et alii misecordiam consecuti sciant se ad miserandum aliis debitores. Sane cum sicut dilectus filius noster G., tituli S. Martini presbyter cardinalis, Apostolicæ Sedis legatus, suis nobis litteris intimavit, te a vinculo excommunicationis, quo tuis culpis exigentibus eras adstrictus, pro eo videlicet, quod carissimo in Christo filio nostro A. regi Scotorum illustri domino tuo adversus carissimum in Christo filium nostrum regem Angliæ, ac suos contra sententias Apostolicæ Sedis præstiteras consilium, auxilium et favorem, ad multam et multorum instantiam absolvisset, præcipiens tibi, ut suspensus ab officio et benefeciis nostro te conspectui præsentares : quia tu propter debilitatem corporis, quam cadendo de equo fractis tribus costis diceris incurrisse, proponebas te non posse laborem itineris sustinere, asseverans instanter cum testimoniis plurimorum, quod præfato domino tuo te subtrahere non potueras, nisi te ac genus tuum exilio exponere voluisses, cardinali præfato humiliter snpplicasti, ut laborem itineris tibi remittens, illum in pœnam aliam commutaret; sed ipse tuis petitionibus nequaquam annuens in hac parte, inter alia, quæ tibi fuerant injungenda, præcepit, ut propter hoc ad præsentiam nostram nuncium mitteres specialem, remissionem itineris et relaxationem suspensionis humiliter petiturum, et recepturum vice tui nostrarum beneplacita jussionum. Nos igitur nuncio tuo, quem propter hoc ad nos misisti, recepto, sperantes, ut ubi abundavit delictum, cognoscens gratiam abundare, non solum reddaris in similibus cautior, verum etiam in Ecclesiæ Romanæ fide ac devotione te studeas de cætero totaliter exercere, tibi non solum laborem itineris remittimus, verum etiam officium et beneficia de abundantis gratia pietatis. Quocirca discretionem tuam monemus et hortamur attente per Apostolica scripta mandantes, quatenus de cætero te Apostolicæ Sedis beneplacitis studeas coaptare, quod non solum non inveniaris, quod absit, ingratus, verum etiam de gratia in gratiam provehi merearis. Datum Laterani II idus nov., pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem modum episcopo S. Andreæ.

XL

Ad Milonem de Nantolio, electum Belvacensem episcopum.

12 novemb. 1218.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 672. Regest., lib. III, ep. 108.]

Apparatum itineris in Syriam vel Ægyptum facienti Miloni largitur Honorius vicesimam tam in Belvacensi quam Remensi diœcesibus, sed non in tota Remensi provincia, colligendam.

Honorius episcopus..., dilecto filio Belvacensi electo, salutem, etc.

Quod zelo fidei christianæ succensus, immo Christi flagrans amore, inspirante Spiritu, qui ubi vult spirat, aspiras ad subsidium Terræ Sanctæ, ad quod te, suscepto vivificæ crucis signaculo, devovisti, eo te speramus acceptius obsequium Domino exhibere, quo ad idem, velut carbo vivus mortuos carbones accendens, plures animas et invitas, et velut cortina cortinam, alios post te trahis. Ex hoc quoque incomparabile te tibi credimus meritum comparare, quod, licet nos, considèrata necessitate Belvacensis ecclesiæ, dilationem voti tibi duxerimus misericorditer indulgendam, tu tamen sapientis usus consilio dicentis : Si quid vovisti Deo, reddere non moreris (1), mora sublata, festinus ad votum properas persolvendum, ne forte videreris voto in aliquo abrogasse, si illud exsequi prorogares; propter quod transfretandi licentiam a nobis humiliter postulasti. Super quod tui propositi puritatem dignis in Domino laudibus commendantes, postulatam licentiam tibi gratanter duximus concedendam. Et quia sicut audivimus et gaudemus, te comitum, baronum, magnatum, militum, et aliorum quamplurium pugnatorum, non solum tuæ diœcesis, sed etiam aliarum quamplurium regionum, comitatur honorabilis multitudo, vicesimam tam Belvacensis quam Remensis diœcesium tibi ad opus terræ prædictæ in

(1) Eccles., v, 3.

subsidium eorum qui tecum venient elargimur : quibus contentus existens, ægre non feras, quod super vicesima Remensis provinciæ, quam dilectus filius magister Garinus, nuncius tuus, ex parte tua petiit, te nequivimus exaudire.

Datum Laterani, pridie idus novembris, anno tertio (1).

XLI

Ad episcopum... et priorem S. Hilarii Cellæ Pictaven.

16 novemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 123. Mss. La Porte du Theil.]

Ut bona Dolen. monasterii non molestentur.

Honorius, etc., episcopo et dilecto filio... priori Sancti Hilarii cellæ Pictaven. etc.

Cum Dolen. monasterium existat Sedis Apostolicæ speciale, ipsum speciali quadam prærogativa diligimus, et amplectimur vinculo caritatis. Volentes igitur dilectos filios..... abbatem et conventum ejusdem monasterii nostræ defensionis clypeo communire, ne pravorum hominum incursibus agitentur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsos super libertatibus, immunitatibus, possessionibus, consuetudinibus, juribus in pratis, vineis, terris et aliis bonis tam in burgo Dolen. quam extra pia sibi fidelium devotione concessis, non permittatis a nobilibus viris Guillelmo domino castri Rodulphi vel ejus fratribus, seu a quoquam alio indebite molestari, molestatores eorum indebitos per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compescendo. Quod si non omnes, etc., tu frater episcope cum eorum altero ea nihilominus exsequaris. Datum Laterani, XVI kalendas decembris, pontificatus nostri anno tertio.

XLII

Ad doctores studii Parisiensis.

16 novemb. 1218.

[Theiner, Monum. Hiberniæ, 7, n. 17.]

Doctoribus studii Parisiensis, ut magistrum Matthæum de Scotia promoveant ad magistratus honorem in theologia, mandat.

Honorius episcopus, dilectis filiis Petro de Capua, W. de Ponte Arci et Riccardo Anglico doctoribus Parisiensibus, salutem.

Si abscondens talentum creditum sibi a Domino redarguitur, prohibens volentem illud proferre in medium, et ad utilitatem publicam exercere arguendus pari ratione videtur. Sane nostris fuit auribus intimatum, quod quum divina benignitas dilecto filio magistro Mattheo de Scotia scientiæ talentum sic larga manu concesserit, ut in theologia docere valeat atque velit, dilectus filius cancellarius Parisiensis, occasione cujusdam privilegii de certo numero doctorum theologiæ habendorum Parisiis olim a Sede Apostolica impetrati, eum cathedram magistralem ascendere non permittit, licet privilegium ipsum non fuerit hactenus, sicut asseritur, continue observatum. Ne igitur idem magister creditum sibi talentum occultare compellatur invitus, quod in communi deductum, multis potest cum incremento proprio erogari, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus magistrum diligenter examinetis eumdem, et si eum idoneum repereritis ad docendum in facultate prædicta, moneatis cancellarium memoratum, ut id faciendi licentiam benigne concedat eidem. Quod si facere non curaverit, vos ei auctoritate nostra eamdem licentiam tribuatis, præsertim si alias factum fuit contra privilegium memoratum. Quod si non omnes, duo vestrum, etc. Datum Laterani, XVI kal. decembris, pontificatus nostri anno tertio.

XLIII

Ad priorem et conventum Camaldulenses.

18 novemb. 1218.

[Mittarelli, Annal. Camaldulenses, IV, app. 386.]

Honorius papa III committit reformationem Sancti Andreæ de Candiculis Camaldulensibus.

Honorius episcoqus, servus servorum Dei, dilectis filiis... priori et conventui Camaldulensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Presentatæ nobis venerabilis fratris nostri Ostiensis episcopi, Apostolicæ Sedis legati, litteræ continebant, quod cum idem monasterium de Candiculis, quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, invenisset adeo in spiritualibus dissolutum et in temporalibus annullatum, quod dissolutiones, infamationes et opprobria, quæ de illo exierant totam fere provinciam corrum-

(1) De peregrinationis ejusdem apparatu legi possent Honorii litteræ ibidem, si res tanti esset, epist. scilicet 159 et 160 die 7 decembris; epist. 173, 15 decembris; epist. 210, 20 decembris. (Bouquet.)

pant et nauseam transeuntibus inferant, ipse habito prudentum virorum consilio, ac intellecto, quod per fratres ordinis vestri melius quam per alios posset ac honestius reformari, sæpefatum monasterium vobis reformandum commisit, salvo tamen in omnibus jure et proprietate Romanæ Ecclesiæ, ad quam noscitur pertinere. Nos igitur piam intentionem ipsius episcopi attendentes, considerantes etiam, quod ad hoc sollicitudo vestra potest non modicum existere fructuosa, universitatem vestram monemus attentius et hortamur per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ad reformationem monasterii memorati taliter intendatis, quod sollicitudinem et diligentiam vestram possumus in Domino commendare, et ex hoc vobis cumulus æternæ retributionis accrescat. Datum Laterani, XV kal. decembris, pontificatus nostri anno tertio.

XLIV

Ad Bonifacium abbatem et Vasallum priorem monasterii de Tilieto.

17 nov. 1218.

[Ghilini, Ann. di Alessandria, p. 27.]

Alexandrinos sententia excommunicationis et interdicti absolvit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus abbati et priori de Tilieto Aquensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Vobis dedisse recolimus in mandatis, ut Alexand. satisfaciendi de offensis præteritis, ac standi mandatis nostris, reciperetis vice nostra juratoriam, et aliam, quam prudentia vestra expedire cognosceret, cautionem, quam inde fieret nobis per litteras intimantes. Cum ergo iidem cives standi mandatis nostris præstiterint in manibus nostris juramentum, nihilominus castrum de Bosco propter hoc vobis nomini nostro pignori obligantes, sicut litteræ vestræ nobis exhibitæ continebant, ac dilectos filios Rainaldum Trottum et Ghisulphum Acerbum, viros utique providos et fideles, ad nostram præsentiam destinarent ad observationem mandati, quod eis faciendum duximus, quod solutionem census quem debent, Apostolicæ Sedis se humiliter offerentes discretioni vestræ præsentium auctoritate mandamus quatenus Alexandrini personaliter accedentes, excommunicationis et interdicti sententias promulgatas in ipsos, pro eo, quod resistentibus parti Regiæ contra prohibitionem Apostolicam, adhæserunt, vice nostra, sublato appellationis obstaculo relaxatis, et injungatis eisdem sub debito præstito juramento, ut contra prohibitionem nostram vel successorum nostrorum, nulli præsumant de cætero adhærere, salvis aliis mandatis, quæ ipsis propter hoc duxerimus facienda ad hoc fidelitatis juramenta recipiatis nostro nomine ab eisdem, et annuum censum librarum XXV Papiensium pro tredecim annis, quibus in ejus solutione cessarunt, exigentes et recipientes ab ipsis, conservetis ipsam pecuniam diligenter, quousque super hoc reciperitis nostræ beneplacitum voluntatis. Cum autem quæ præmisimus, fuerint adimpleta, cives ipsius loci reddatis de bona voluntate et gratia nostra securos publice denuntiantes eos sub speciali Apostolicæ Sedis protectione manere, tanquam Ecclesiæ Romanæ fideles, ac filios speciales. Dat. Laterani, XV kal. decembris, pontif. nostri anno tertio.

XLV

Ad episcopum Xantonen.

20 novemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 121. Mss. La Porte du Theil.]

Ut quidam canonici Xanton. ecclesiæ, episcopum contra Hugonis de Leziniaco injurias defendentes integre suarum proventus præbendarum percipiant.

Honorius, etc., episcopo Xantonen., salutem, etc.

Cum subditi prælatis suis tanquam membrum capiti obsequi teneantur, quia propter persecutionem nobilis viri Hugonis de Leziniaco, qui te gravibus lacescens injuriis, a civitate propria exulare compellit, aliquos de canonicis tuis, necesse habes in tuum consilium et auxilium advocare, et tecum retinere vocatos; ut ipsi tibi libentius obsequantur, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus, ut quamdiu durabit hujusmodi persecutio, hi quos ad te vocabis, ac tecum tenueris, vel pro negotiis tuis duxeris transmittendos, integre suorum proventus percipiant præbendarum, ecclesiæ Xanctonen. consuetudine non obstante. Datum Laterani, XII kalendas decembris, pontificatus nostri anno tertio.

XLVI

Ad Alexandrum regem Scotorum.

21 novemb. 1218.

[Bullarium Romanum, édit. Taur., t. III, 345.]

Rex Scotorum ejusque successores sub protectione Sedis Apostolicæ recipiuntur, confirmanturque vetera ecclesiæ Scotianæ privilegia.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Alexandro illustri Scotorum regi ejusque successoribus in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum universi fideles apud Sedem Apostolicam patrocinium invenire debeant et favorem, illos tamen specialius convenit ejus protectionis munimine confoveri, quorum fidem ac devotionem in pluribus est experta, ut ad ipsius dilectionis fervorem tanto amplius provocentur, et ejus reverentiæ devotiori affectione subdantur, quanto benevolentiæ ipsius, et gratiæ pignus se noverint certius assecutos.

Ea propter carissime in Christo fili, reverentiam ac devotionem, quam ad Romanam Ecclesiam a longis retro temporibus te ac prædecessores tuos habuisse cognovimus attendentes, præsentis scripti pagina, ad exemplar felicis recordationis Cœlestini et Innocentii prædecessorum nostrorum, Romanorum Pontificum, districtius inhibemus, ut cum Scotiana ecclesia Sedis Apostolicæ sicut filia specialis nullo medio sit subjecta, in qua hæ sedes episcopales esse noscuntur, ecclesia videlicet Sancti Andreæ, Dumblanen., ecclesia Glascuen., Dunkelden., Brechinem., ecclesia Aberden., ecclesia Mureren., ecclesia Rosen., et ecclesia Raten., nemini liceat nisi Romano Pontifici, vel legato ab ipsius latere destinato, in regnum Scotiæ interdicti vel excommunicationis sententiam promulgare, et si promulgata fuerit, decernimus non valere. Adjicimus etiam, ut nulli de cætero, qui de Scotiæ regno non fuerit, nisi quem Apostolica Sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem, ut controversiæ, quæ fuerint in regno ipso de possessionibus ejus exortæ, ad examen extra regnum positorum judicum non trahantur, nisi ad Romanam fuerit Ecclesiam appellatum. Si quæ vero scripta contra hujus libertatis statutum apparuerint impetrata, vel in posterum istius concessionis mentione non habita contigerit impetrari, nullum tibi, tuisve successoribus, vel ipsi regno circa hujus prærogativæ concessionem præjudicium generetur. Præterea libertates et immunitates tam tibi, quam regno tuo, et ecclesiis in eodem regno constitutis, ab Ecclesia Romana concessas et hactenus observatas, ratas habemus et eas futuris temporibus illibatas manere sancimus, salva tamen Sedis Apostolicæ auctoritate. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, prohibitionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani per manum Raynerii sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, undecimo kalendas decembris, indictione septima, Incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo decimo octavo, pontificatus vero domini Honorii papæ tertii anno tertio.

XLVII

Ad abbatem S. Genovefæ.

22 nov. 1218.

[Notices et Extraits, XXI, II, 171.

Mandat ut magistrum in decanatus Ambiensis possessione, in quam auctoritate pontificis maximi inductus fuisse dignoscatur, sublato cujuslibet contradictionis obstaculo, defendant et faciant eumdem pacifica ipsius possessione gaudere.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati S. Genovefæ, et majori archidiacono Parisiensi et magistro Petro de Capua, doctori theologiæ, Parisiis commoranti, salutem.

Cum ex parte præpositi et quorumdam sociorum suorum canonicorum Ambianensium quædam a nobis nuper fuissent litteræ impetratæ super negotio decanatus Ambianensis, et absolutione ipsorum ab excommunicatione, quam dicebantur in eos dilecti filii abbas S. Victoris Parisiensis et collegæ sui, qui dilecto filio magistro J. decano Ambianensi super decanatu ipso a nobis executores fuerant deputati, post appellationem ad nos interpositam protulisse, tandem infra paucos dies ad præsentiam nostram accedens præfatus decanus nobis humiliter supplicavit, ut vel decanatum

ipsum sibi benigniter servare, sicut ipsum ex nostra donatione fuerat assecutus, aut resignationem ejusdem recipere dignaremur. Nos igitur attendentes ipsius magistri præeminentiam scientiæ atque morum, quantum ipsius sollicitudo Ambianensi ecclesiæ potest existere fructuosa, resignationem prædictam instanter oblatam ab eo cui potius majora conferre vellemus, utpote qui magis noscitur esse dignus, recipere denegantes, quia præscriptæ litteræ per obreptionem quamdam obtentæ fuerant, ad quosdam judices de quibus ad præsens non poteramus aliquatenus esse certi, quibusdam ad decanum Suessionensem et suos conjudices, quibus vero ad alios eas asserentibus delegatas, ne idem magister de gratia sibi facta reportet angustias et labores, discretioni vestræ ipsum de certa scientia duximus committendum, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus in irritum revocato si quid forsan, quod non credimus, per litteras memoratas, ad præfatos decanum et socios suos, vel alios judices quoscumque directas, fuerit attentatum, præfatum magistrum in decanatus prædicti possessione, in quam auctoritate nostra inductus fuisse dignoscitur, sublato cujuslibet contradictionis obstaculo, defendatis, et faciatis eumdem auctoritate nostra pacifica ipsius possessione gaudere. Datum Laterani, X kal. decembris, pontificatus nostri anno tertio.

XLVIII

Ad Strigoniensem et Jauriensem præpositos.

23 novemb. 1218.

[Mon. Hungariæ hist., Dipl. VI, 160.]

Mandat ut causam abbatis et conventus Sancti Martini de Pannonia conquerentium, quod populi Bissenorum de villa Nogholm Vesprim. diœc. decimas vini ad eos de jure spectantes contra justitiam detinent, audiant, partibus convocatis, et fine debito terminent.

Honorius, etc., dilectis filiis Strigoniensi et Jauriensi præpositis, et..... archidiacono Jauriensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectorum filiorum abbatis et conventus Sancti Martini de Pannonia nobis est oblata querela, quod populos Bissenorum de villa Nogholm Vesprimiensis diœcesis decimas vini ad eos de jure spectantes contra justitiam detinent, et reddere contradicunt. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, partibus convocatis, audiatis causam, et, appellatione remota, fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, IX kal. decembris, pontificatus nostri anno tertio.

XLIX

Ad Auxitanensem archiepiscopum et Bertrannum A. S. legatum.

24 novemb. 1218.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX. p. 673. Regest., lib. III, ep. 133.]

Guidonem de Monteforti, Simonis filium, qui, ducta uxore Petronilla, Bigorrensi comitissa, castellum de Lurda acquisierat, bello lacessentibus Nunone, filio Sanctii, comitis Russilionensis, et Will. Raimundo de Montecatano (a), mandat Honorius, ut excommunicationis irretiantur vinculo.

Honorius episcopus..., venerabili fratri archiepiscopo Auxitanensi (b), et dilecto filio B. tituli Sanctorum Johannis et Pauli presb. card., A. S. legato, salutem, etc.

Præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus Nunonem, filium comitis Sanctii (1), et Whillelmum Raymundum de Montecatano, ac eorum complices, qui castrum de Lurda per satellites suos munitum tenentes, ecclesiæ Dei ac negotio pacis et fidei patenter, sicut accepimus, adversantur, nisi a vobis commoniti ab iniquitate hujusmodi resipuerint, excommunicatos, appellatione remota, publice nuncietis, et faciatis per Narbonensem, Terraconensem

(a) Moncade. (b) Garsiæ de l'Ort.

(1) Nuno, filius Sanctii, comitis Russilionensis, sponsalia vel matrimonii pactionem fecerat cum Petronilla, Bigorrensi comitissa; eodem vero vivente, Guido, Simonis de Monteforti filius, comitissam sibi copulaverat, anno 1216. Inde exort... fuisse videtur inter Petronillæ sponsos dissidium, quorum priorem Honorius auctoritate sua censuit amovendum, confirmato Guidonis nuptiarum posteriore tractatu, quem recitat Martenius, t. I *Anecd.*, col. 854. De qua re legendus Vaissetius, t. III, p. 294 et seq. (Bouquet.)

et Auxitanensem provincias, usque ad satisfactionem condignam, sicut excommunicatos, arctius evitari. Quod si non omnes... alter vestrum, etc. Datum Laterani, VIII kalend. decembris, pontificatus nostri anno tertio.

L

Ad abbatem Ursicampi et Ugonem de Cordolio.

24 novemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 130. Mss. La Porte du Theil.]

Ut non permittant R. canonicum super ejus præbenda molestari.

Honorius, etc., abbati Ursicampi Cistercien. ordinis, Noviomen. diœcesis, et Ugoni de Cordolio, et Guidoni de Civiniaco canonicis Noviomen., salutem, etc.

Constitutus in præsentia nostra dilectus filius Raynerius Siclinien. canonicus sua nobis relatione monstravit, et hoc idem dilectorum filiorum W. abbatis Sancti Auberti, ac magistrorum Crispini, ac Simeonis canonicorum Cameracen., quos eidem R. executores duximus concedendos præsentatæ nobis litteræ continebant, quod cum iidem executores, Apostolico pro eodem R. recepto mandato..... decanum et capitulum Siclinien. diligentius monuissent, ut ipsum ad præbendam, quæ fuit Rogerii quondam ejusdem ecclesiæ canonici, tunc vacantem, a cujus collatione dudum præpositum ejusdem pro eodem R. auctoritate Apostolica duxerant suspendendum, in canonicum suum reciperent, et in fratrem. Alioquin infra certum tempus, eorum se conspectui præsentarent, allegaturi quare mandatum nostrum non deberet fieri, vel non possit; dicti decanus, et capitulum, licet a principio se difficiles exhibuerint in hac parte per Johannem clericum nuntium eorum frustratorie Sedem Apostolicam appellando, postmodum tamen usi consilio saniori, sæpe fatum R., tanquam obedientes filii receperunt in canonicum, et in fratrem, sibi stallum in choro et locum in capitulo cum plenitudine juris canonice assignantes. Unde præscriptus R. a nobis humiliter postulabat, ut quod de ipso auctoritate nostra factum est ratum habentes et firmum, faceremus ipsum ejusdem præbendæ pacifica possessione gaudere. Nos igitur ejusdem R. supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus facientes ipsum jamdictæ præbendæ pacifica possessione gaudere, non permittatis eum ab aliquo super ipsa indebite molestari, molestatores ejus indebitos per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Revocato in irritam si quid contra dictum R. postquam idem iter arripuit ad Sedem Apostolicam veniendi, super jam dicta præbenda illicite inveneritis attentatum. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Datum Laterani, octavo kalendas decembris, anno tertio.

LI

Ad Guillelmum Petri, Albiensem episcopum.

26 novemb. 1218.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 674. Regest., lib. III, ep. 135.

Præcipit episcopo Honorius, ut castrum Scuriæ, Apostolicæ Sedis proprium, quod ipse episcopus, vel familia ejus, tradiderat Tolosanis ecclesiæ adversantibus, restituatur A. S. legato.

Honorius episcopus... venerabili fratri episcopo Albiensi (*a*), salutem, etc.

Grave gerimus et indignum, quod, cum dubium non sit castrum Scuriæ esse speciale ac proprium Apostolicæ Sedis, tu illud, sicut accepimus, tradidisti perfidis Tolosanis, vel tradi a tua familia permisisti. Ideoque per Apostolica tibi scripta mandamus, et in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus castrum ipsum occasione et excusatione cessantibus, dilecto filio nostro B. (*b*) tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbytero cardinali, A. S. legato, nomine nostro restituas nec per te, vel per tuos, impedire præsumas, quominus idem cardinalis, vel alius, cui castrum ipsum duxerit committendum, illud Ecclesiæ Romanæ nomine libere teneat et quiete. Alioquin eidem cardinali damus nostris litteris in mandatis, ut te ac quoslibet detentores ipsius castri ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellat (1).

Datum Laterani, VI kal. decembris, anno tertio.

(*a*) Guillelmo Petri. (*b*) Bertranno.

(1) Nihilominus in gradu suo perstitit Guillelmus, donec, anno 1227, sponte sua cessit episcopatu. (Bouquet.)

LII

Ad capitulum Meten.

27 novemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 137. Mss. Laporte du Theil.]

Ut erga B. pauperem clericum præbendali vel alio ecclesiastico beneficio provideant.

Honorius, etc., capitulo Meten.

Non solum divina pagina nos a detentione mercedis nobis operantium dehortatur, verum etiam inhibet ne merces mercenarii apud nos remaneat usque mane. Cum igitur dilectus filius Bartholomæus pauper clericus, lator præsentium, jam a viginti annis et amplius in ecclesia vestra devotum, ut asserit, exhibuerit Domino famulatum, sicut etiam ex multarum accepimus testimonio personarum, necdum sit ibi vel alibi per vos mercedem aliquam assecutus; universitatem vestram rogamus attentius et monemus, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus divinæ retributionis intuitu, precumque interventu nostrarum, sic in præbendali, vel alio ecclesiastico beneficio competenti provideatis eidem, quod ipse de tanto servitio mercedem debitam se gaudeat assecutum, ac alii propter hoc ad obsequium ejusdem ecclesiæ fortius animentur, nosque devotionem vestram possimus in Domino commendare. Datum Laterani, quinto kalendas decembris, pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem modum scriptum est super hoc... abbati, et... priori Castellionis, Cistercien. ordinis, Virdunen. diœcesis, et P. canonico Sanctæ Mariæ ad moniales Meten. *usque* possimus in Domino commendare. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictum capitulum ad hoc monere diligentius, et inducere procuretis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

LIII

Ad abbatem et priorem Caroliloci, et cantorem S. Frambaudi.

27 novemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 136. Mss. La Porte du Theil.]

Ut G. in canonicum recipiant.

Honorius, etc., abbati et priori Caroliloci Silvanecten. diœc. et... cantori Sancti Frambaudi Silvanecten., etc.

Non est reprehensibile, vel absurdum, si utentes plenitudine potestatis, illis interdum in ecclesiis providemus, per quos ipsis ecclesiis intendimus providere, præsertim cum illis vitæ meritum et talentum scientiæ suffragantur. Cum igitur bonæ memoriæ cancellarius ecclesiæ Melden. in Jerosolymitana peregrinatione debitum carnis solverit universæ, nos eidem ecclesiæ volentes in persona dilecti filii magistri Guidonis Morinen. archidiaconi providere, qui cum sit moribus et scientia commendandus, eidem ecclesiæ potest existere fructuosus, præbendam quam dictus cancellarius in eadem ecclesia obtinuerat, contulimus, ejusdem cancellariæ donationem venerabili fratri nostro... Melden. episcopo de gratia reservantes. Unde nos eidem episcopo, et dilectis filiis capitulo Melden. nostris dedimus litteris firmiter in præceptis, ut ipsum ad dictam præbendam in canonicum admittant et fratrem, eidem stallum in choro et locum in capitulo assignantes, facientes de necessitate virtutem, cum sagitta Jonathæ retrorsum non redeat, sed ipsam dirigi semper oporteat in directum. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dicti episcopus et capitulum præceptum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ad id, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota cogatis. Nos enim, si quid aliud de ipsa præbenda præsumpserint attentare, irritum decernimus et inane. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Datum Laterani, quinto kalend. decembris, pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem modum scriptum est eisdem episcopo et capitulo Melden., verbis competenter mutatis.

LIV

Ad archiepiscopum Auxitanum, episcopum Convenarum et abbatem Bonifontis.

27 novemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 141. Mss. La Porte du Theil.]

Ut de vita et miraculis Bertrandi, Convenarum episcopi, inquirant.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus... archiepiscopo Auxitano et... episcopo Convenar. et dilecto filio... abbati Bonifontis diœcesis Convenarum.

Venerabilis frater noster... episcopus Convenarum exposuit coram nobis quod bonæ memoriæ Bertrandus, Convenarum episco-

pus, claris miraculis, et dum viveret, et post obitum coruscavit. Unde nobis ex parte sua et cleri, ac populi sui supplicavit instanter, ut super his faceremus veritatem inquiri, quatenus ea cognita, illum possemus sanctorum catalogo aggregare. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, de vita et miraculis studeatis inquirere diligenter, et quod inveneritis, per vestras nobis litteras fideliter intimetis, ut in negotio ipso securius procedere valeamus. Quod si non omnes, etc., duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, quinto kalend. decembris, anno tertio.

LV

Ad abbates Fontis Frigidi et S. Pontii et archidiaconum Reden.

28 novemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 155. Mss. La Porte du Theil.]

Ut de dilapidationibus abbatis Crassen. monasterii inquirant.

Honorius, etc., dilectis filiis... Fontis Frigidi, et... Sancti Pontii Thomerien. et J. archidiacono. Reden., Narbonen. diœcesis salutem, etc.

Sua nobis P. præpositus., B., P., G. et B. monachi Crassen. monasterii insinuatione monstrarunt, quod cum... abbas eorum perpetuus, dilapidator, aliusque criminibus irretitus, insufficiens sit ad regimen abbatiæ, per ejus incuriam idem monasterium in spiritualibus et temporalibus in quibus florere solebat enorme patitur detrimentum; qui hæretici illius provenire, qui faiditi dicuntur, communicare præsumens, quibusdam ex eis propinquis suis quædam sui monasterii castra tradidit, quibus etiam ecclesiam de Molleto ad dictum monasterium pertinentem quam contra faiditos eosdem fideles ad suam defensionem muniverunt, assignavit, in qua iidem faiditi fideles captivos ad redemptionem cogentes, variis coram altare torquent cruciatibus et affligunt. Et licet idem abbas super his et aliis ab eis caritative commonitus emendationem promiserit præstito juramento, nondum tamen, quod super his juraverat, adimplerit. Nolentes autem talia sub dissimulatione transire, ne sint præsumptoribus in exemplum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint vocandi, et inquisita super his plenius et cognita veritate, quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, quarto kalendas decembris, anno tertio.

LVI

Ad Bertrannum, A. S. legatum.

28 novemb. 1218.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 673. Regest., lib. III, ep. 134.]

Cum episcopi Albiensis male gesta innotuerint, Honorius mandat, ut A. S. legatus episcopum eumdem inducat ad cedendum sponte sua episcopatum, alioquin de factis ejus agatur inquisitio.

Honorius episcopus... dilecto filio B. tituli Sanctorum Johannis et Pauli presb. cardinali, A. S. legato, salutem, etc.

Tot et tanta nobis de venerabilis fratris nostri episcopi Albiensis (1) sinistris actibus nunciantur, ut ea ulterius nequeamus sub dissimulatione transire. Deferentes autem senectuti suæ, paterna sibi lenitate consulimus, ut, suum recogitans imperfectum, onus pontificalis officii quod indigne dicitur tempore jam longo portasse non sine animæ suæ periculo et commissæ sibi ecclesiæ detrimento, tandem deponat spontanea cessione, ut, exonerans se de præfata ecclesia, et eamdem ecclesiam de seipso, residuum ætatis suæ Domino consecrare valeat, et ei seipsum sacrificium saltem vespertinum offerre, ac ecclesia ipsa, quæ sub ejus umbra in spiritualibus et temporalibus tempore jam multo elanguit et elanguet, tandem sub alio valeat respirare. Alioquin cogemur descendere ac videre, utrum clamorem, qui de eo ad aures nostras ascendit, compleverit opere; et si ea quæ fama, immo infamia, de eo refert invenerimus vera esse, procul dubio sciat, quod infructuosam, immo nocivam, arborem de Dominica vinea succidemus. Ipse ergo attendens, quod pulchrius est exire quam ejici provideat, quod eum, unde potest exire, ejici non contingat.

Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictum episcopum ad exsequendum mandatum nostrum diligentius moneas et inducas, si cedere voluerit, ejus concessionem recipias vice

(1) Guillelmi Petri.

nostra, alioquin circa eum inquisitionem facias diligentem, et quæ inveneris, nobis sub tuo sigillo inclusa transmittas.

Datum Laterani, IV kal. decembris, pontificatus nostri anno tertio.

LVII

Ad episcopum et scholasticum, et magistrum de Ren. canonicum Ambianen.

29 novemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 143. Mss. La Porte du Theil.]

Ut magistrum W. in canonicum in ecclesia S. Audomari recipi faciant.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo, et dilectis filiis scolastico et magistro Galfrido de Ren. canonico Ambianen.

Quum bene meritos dignis præmiis muneramus, apud Deum et homines nos credimus promereri, quum quanto virtus remunerata clarius elucescit, tanto ad imitationem ipsius plures avidius animantur. Attendentes itaque, quod indignum est, dilectus filius magister W. pauper clericus, de cujus vita, scientia, laudabile nobis a multis testimonium perhibetur, quum ætate provectus expers beneficii ecclesiastici relinquatur, quia, sicut eodem accepimus referente, præpositus Sancti Audomari eum in familiarem recipiens, et promittens eidem se in præbendali beneficio provisurum, assignata interim ei annua pensione, ad dimittendum scholas induxit eumdem; sed postmodum promissionis negligens executor, quamquam ei plures præbendæ vacarint, in nulla ipsarum sibi curavit, cum commode potuerit providere; ne confidentia prædicti magistri delusa remaneat, quæ digna potius est favore, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum clericum in ecclesia Sancti Audomari recipi facientes in canonicum et in fratrem, præbendam, si qua vacat ad præsens, vel quantocius se ad id facultas obtulerit, eidem magistro auctoritate Apostolica conferatis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Vicarium quoque ipsius præpositi ad solutionem prædictæ pensionis censura simili, sublato appellationis obstaculo, nihilominus interim compellatis. Quod si non omnes, etc., tu ea, frater episcope, cum eorum altero nihilominus exsequaris. Datum Laterani, tertio kalendas decembris, anno tertio.

LVIII

Ad abbatem de Salebi et de Wartria, etc.

29 novemb. 1218.

[Walbran, Mem. of Fountains, 172.]

Mandat ut partes quædam, si litigandum duxerint, ad Sedem Apostolicam transmittantur.

Honorius, etc., abbati de Salebi et de Watria, Eboracen. diœcesis, et Sancti Andreæ Eboracen. prioribus, salutem et apostolicam benedictionem.

Præsentatas nobis felicis recordationis I. papæ, prædecessoris nostri, litteras respeximus in hunc modum : « Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... diacono... subdiacono et cancellario Lincolniensi, salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilecti filii abbates et conventus Cisterciensis ordinis in Anglia constituti, propter abundantissimam Apostolicæ Sedis obedientiam, graves sustineant angustias et jacturas, decet nos salubriter providere, ne afflictio superaddatur afflictis. Inde est quod discretioni vestræ præsentium auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus hoc tempore supersedeatis negotio super quo... rector et fratres hospitalis Sancti Petri Eboracensis, contra dilectos filios... abbatem et conventum de Fontibus, et quosdam alios ordinis memorati Eboracensis diœcesis ad vos nostras litteras impetrarunt, maxime cum jam per quatuor annos easdem suppresserint impetrantes. Cum autem tempestas ecclesiæ cessaverit anglicanæ, si super negotio memorato duxerint litigandum, partes ad nostram præsentiam transmittatis, ut hujusmodi quæstio per nos concordia vel judicio terminetur. Si quid autem super hoc interim est temere attentatum, illud in statum debitum revocetis. Datum Laterani, IV kal. novembris, pontificatus nostri anno tertio decimo. » Nuper autem dilecti filii... de Fontibus, et de... Rievalle abbates et eorum conventus, Cisterciensis ordinis, nobis exponere procurarunt, quod capitulum Eboracensem ipsos nituntur in causam trahere coram vobis, auctoritate quarumdam litterarum, quas a nobis, veritate tacita, impetrasse noscuntur, nulla facta de prædictis litteris mentione. Cum igitur nemini patrocinari debeat fraus et dolus, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus juxta formam litterarum prædecessoris ip-

sius supersedentes hujusmodi quæstioni, partes, si litigandum duxerint, ad nostram præsentiam transmittatis, ut causa ipsa per nos concordia sive judicio terminetur. Revocato in statum debitum, si quid super hoc interim fuerit temere attentatum. Quod si non omnes, duo vestrum, etc. Datum Laterani, III kal. decembris, pontificatus nostri anno tertio.

LIX

Ad decanum et capitulum Sancti Quintini Noviom.

1 decem. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 138. Mss. La Porte du Theil.]

Ut magistro Mathæo, pauperi clerico, præbendale beneficium concedant.

Honorius, etc., decano et capitulo Sancti Quintini Noviomen. diœcesis.

Ordinata caritas uno quasi fecundata conceptu geminum fructum parit, cum sic distribuit ecclesiastica beneficia dignos assumens ad illa, quod non minus providet ecclesiis quam personis, et quidem amplificanda est largitas, quæ sic prodest donatorio, quod non minus proficiat donatori. Hinc est, quod pro dilecto filio magistro Mathæo paupere clerico, cui, sicut accepimus, et morum honestas, et talentum scientiæ laudabiliter suffragantur, universitatem vestram monendam duximus et hortandam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ei ob reverentiam divinam, et nostram, in ecclesia vestra in qua nondum per nos aliquis, si bene meminimus, est receptus, scolarum regimen, quo dignius esse censetur, liberaliter conferentes, provideatis eidem juxta statuta Concilii generalis in beneficio præbendali, ita quod, et honorem ecclesiæ vestræ, ac profectu, proximi affectare probemini, nosque devotionem vestram possimus merito commendare. Datum Laterani, kalendis decembris, pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem modum scriptum est super hoc decano..... et magistro Petro canonico Tornacen. *usque* possimus merito commendare, verbis competenter mutatis. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus eos ad id moneatis attentius, et efficaciter inducere procuretis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

LX

Ad abbatem et convent. Cistercien.

1 decemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 177. Mss. La Porte du Theil.]

Statuit ut nullus de novalibus excultis eorum decimas exigere præsumat.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui Cistercien.

Quia ejus est interpretari jura cujus est condere, nos habentes utriusque, licet immeriti, potestatem, auctoritate præsentium declaramus, quod licet statutum fuerit in Concilio generali, ut fratres Cisterciensis ordinis de alienis terris, et a tempore prædicti Concilii acquirendis, si eas propriis manibus, aut sumptibus excoluntur, solvant decimas ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum ipsis ecclesiis aliter duxerint componendum, non tamen intelligendum est vos teneri ad decimas de novalibus persolvendas. Unde statuimus, ut de novalibus vestris excultis a tempore Concilii generalis, aut in posterum colendis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ declarationis, et constitutionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, kalendis decembris, pontificatus nostri anno tertio.

LXI

Ad decanum, de S. archidiaconum, et Gerardum canonicum Remen.

1 decemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 144. Mss. La Porte du Theil.]

De electione abbatis Letien. monasterii, quod canonicum fuerit statuant et observari faciant.

Honorius, etc., decano, et magistris Aug. de Sarchai archidiacono et Gerardo canonico Remen.

Dilectus filius Nicolaus monachus Letien. monasterii oblata nobis petitione monstravit, quod cum Gosluinus, ejusdem monasterii abbas, Cameracen. diœcesis, ipsius administrationem cessisset, et de successoris ipsius electione tractaretur, prout moris est inter fratres, quidam monachi Petrum ejusdem loci monachum manifestum homicidam, et aliis criminibus irretitum elegerunt contra sanctiones canonicas in abbatem; alii vero ipsum N. canonice elegerunt; quare idem N. ne aliquid ejus præjudicium fieret, nostram audientiam appellavit. Sæpefatus

autem P. ejus appellatione contempta in abbatem se faciens benedici, jamdictum N. tractatum, Dei timore postposito, inhoneste, per laicalem potentiam fecit carceribus custodiæ mancipari, ac postmodum de ipso monasterio ejecit eumdem; propter quod et alia idem N. appellationem prosequi non potuit, quam emisit. Unde nobis humiliter supplicabat ut super hoc de benignitate Sedis Apostolicæ providere sibi misericorditer dignaremur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super his diligentius veritate, quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quod decreveritis firmiter observari, nullis litteris veritati, et justitiæ præjudicantibus, etc. Quod si non omnes, etc., duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani kalendis decembris, pontificatus anno tertio.

LXII

Ad universos abbates et conventum ordinis Cisterciensis.

2 decemb. 1218.

[Spicilegium Liberianum, p. 730, n. 27.]

Indulget ne Apostolicæ Sedis legati procuratoresve pecuniarias exactiones ab eorum monasteriis exigere præsumant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis abbatibus et conventibus Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum præter pauperem victum et vestitum, omnia bona vestra hospitalitati et aliis piis operibus officiosissime sint exposita, satis inhumane aliis auferri videtur egenis quidquid a vobis violentia vel ingenio extorquetur. Nec quia Dominus manuum vestrarum operibus benedicens viaticum peregrinationis vestræ, quanto magis illud fraterna caritate in usus pauperum distribuitis, tanto magis illud cœlesti alluvione multiplicat, estis deterioris conditionis habendi, sed potius melioris, cum nonnisi vasis paratis cœlestis gratiæ oleum infundatur, quod pauperis mulieris deficientibus vasis stetit. Licet igitur, largiente Domino, monasteria vestra plus solito temporalium floreant ubertate, quia tamen exinde pauperibus uberius subvenitur, nos volentes eo vos de speciali gratia favorabilius confovere, quo exinde illi propensius complacere nos credimus, quia quod uni ex minimis suis fit, sibi reputat esse factum. Devotionis vestræ precibus inclinati auctoritate vobis præsentium indulgemus ne Apostolicæ Sedis legati procuratoresve pecuniarias exactiones a monasteriis exigere vel extorquere præsumant, sed cum ad domos vestras accesserint, sine carnium esu, cibis regularibus sint contenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani XIV kalendas januarii pontificatus nostri anno primo.

LXIII

Ad Senonensem archiepiscopum et suffraganeos ejus.

7 decemb. 1218.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 674. Regest., lib. III, ep. 157.]

Cum Britanniæ comes excommunicationis sententia in concilio Turonensi fuisset perstrictus, nec mitior factus adversus Nannetensem ecclesiam, publicam extendit eamdem sententiam Honorius in provincias Senonensem, Turonensem, Bituricensem et Rotomagensem.

Honorius episcopus..., venerabilibus fratribus Senonensi archiepiscopo (1) et suffraganeis ejus, salutem, etc.

Volentes nobilem virum comitem Britanniæ (2) commonitionis divinæ tonitruis excitare, ne, oblivionis alto somnio demersus, non adjiciat in posterum ut resurgat, quum districtionem ecclesiasticam, quam, ancillare conando ecclesiam Nannetensem, incurrit longo jam tempore, contemnendo per desperationis videatur voraginem absorberi (3), propter quod habet ecclesia unde de tanti filii perditione queratur, fraternitati vestræ præsentium auctoritate mandamus, quatenus, eumdem comitem singuli vestrum per diœceses proprias excommunicatum publice nunciantes, faciatis eum in prædictis diœcesibus arctius evitari, ut idem inter homines positus, et eorum carens solatio, ad Christum ecclesiæ sponsum, qui eum genuit, et quem dese-

(1) Petro de Corbolio.
(2) Petrum Drocensem.
(3) Memorat Honorius litteras ad Petrum Britanniæ comitem scriptas, quibus eum deterruit a divexandis Nannetensis ecclesiæ clericis. Vide *supra* in hoc tomo, col. 3.

ruit, intuitum erigens tenebrosum, desistere a tanta ipsius ecclesiæ persecutione cogatur. Datum Laterani, VII idus decembris, pontificatus nostri anno tertio.

LXIV

Ad Bertrannum Apostolicæ Sedis legatum.

7 decemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 164. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut idoneis personis præbendas vacantes conferat.

Honorius, etc., dilecto filio B. tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbytero cardinali, Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Nostris fuit auribus intimatum quod quidam personatus, præbendæ ac ecclesiæ parochiales vacant et vacaverunt tamdiu in civitate, ac diœcesi Narbonensi, venerabili fratre nostro... Narbonen. archiepiscopo quasdam ex ipsis ad manus proprias retinente, posthabita ecclesiarum et plebium cura, quæ debitis obsequiis defraudantur. Ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus personatus, præbendas, et ecclesias civitatis et diœcesis supradictæ, quæ antequam idem archiepiscopus ad nostram veniret præsentiam tempore tanto vacaverant, quod ad nos erat earum donatio devoluta, Deum habens præ oculis, auctoritate nostra personis idoneis conferas et assignes, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Porro ad ea beneficia quæ vacare cœperunt postquam idem archiepiscopus iter arripuit ad nostram præsentiam, nolumus manum extendere, cum in eorum collatione negligens esse non videatur idem archiepiscopus, quam sua potest absentia excusare. Datum Laterani, septimo idus decembris, pontificatus nostri anno tertio.

LXV

Ad electum Belvacen.

7 decemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 159. Mss. La Porte du Theil.]

Ejus ecclesiam cum omnibus bonis sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius, etc., dilecto filio..... electo Belvacen.

Te talem per Dei gratiam exhibes, ut Apostolica Sedes tibi favorem merito debeat exhibere. Cum igitur accensus zelo fidei christianæ, signum vivificæ crucis assumpseris in Terræ Sanctæ subsidium profecturus, nos tuis justis precibus benignum impartientes assensum, ecclesiam tuam cum omnibus bonis tuis sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus. Statuentes, ut ex quo iter fueris peregrinationis aggressus, nemini liceat ipsi ecclesiæ movere quæstionem super his, quorum ei possessionem reliqueris pacificam et quietam, sed omnia sub speciali Apostolicæ Sedis defensione quieta permaneant, donec de reditu tuo, vel obitu certissime cognoscatur. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ protectionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, septimo idus decembris, anno tertio.

LXVI

Ad electum archidiaconum, abbatem Sancti Vincentii Mediolanensis.

7 decemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 158. Mss. La Porte du Theil.]

Ad discretionem illorum remittit examen sententiæ a prioribus judicibus datam inter conventum Sancti Sixti et conventum Casæ Dei.

Honorius, etc., dilectis filiis... electo archidiacono et... abbati Sancti Vincentii Mediolanen., salutem, etc.

Dilecti filii..., abbas et conventus Sancti Sixti Placentin. transmissa nobis petitione monstrarunt, quod cum inter ipsos ex parte una et... abbatem et conventum Casæ Dei Claromontensis diœcesis ex altera, super subjectione quam ipsi abbas et conventus Casæ Dei exigunt a monasterio eorumdem coram venerabili fratre nostro, Mutinensi episcopo, et conjudicibus suis auctoritate Apostolica quæstio verteretur, iidem judices tulerunt diffinitivam sententiam contra eos, a qua licet nostram audientiam appellarint, et ipsi judices tam eis, quam... priori de Rocheta Parmen. diœcesis qui vices jamdicti abbatis Casæ Dei gerit in partibus illis, festum Omnium Sanctorum proximo præteritum terminum veniendi propter hoc ad Sedem Apostolicam assignarint, nullus tamen pro parte sæpedicti abbatis Casæ Dei comparuit procurator, procuratore partis alterius, diutius apud Sedem Apostolicam expectante. Unde petiit procurator jam dicti monasterii Sancti Sixti ut committeremus examinationem ejusdem sententiæ et condemnaremus partem alteram in expensis. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta

mandamus, quatenus in appellationis causa legitime procedentes, ac confirmantes, vel infirmantes eamdem sententiam, sicut de jure fuerit faciendum, super aliis quod justum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quod decreveritis, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani septimo idus decembris pontificatus nostri anno tertio.

LXVII

Ad decanum, subdecanum et cantorem Aurelianenses.

9 decemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 168. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut cogant rectores et patronos diœcesis Cenomanensis ad obedientiam debitam episcopo.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano... subdecano, et... cantori Aurelianen., salutem, etc.

Venerabili fratre nostro... Cenomanen. episcopo accepimus referente, quod quidam ecclesiarum rectores et patroni suæ diœcesis ipsum in eisdem ecclesiis pastoris officium de jure communi sibi competens exsequi non permittunt. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, nisi dicti rectores et patroni privilegium, vel aliquid rationabile poterunt exhibere per quod ab episcopali se jurisdictione ostendant exemptos, eos ut præfato episcopo sicut pastori obediant, et intendant, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani quinto idus decembris anno tertio.

LXVIII

Ad episcopum Cenomanensem.

9 decemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 169. Mss. La Porte du Theil.]

Ne judices sæculares in eorum præsentia compellant abbates, priores, vel alios clericos.

Honorius, etc., venerabili fratri Cenomanen. episcopo.

Ad aures nostras noveris pervenisse, quod judices sæculares tuæ diœcesis abbates, priores et alios qui in sortem hæreditatis Dominicæ sunt assumpti, propria temeritate compellunt in eorum præsentia de se conquerentibus respondere, quamdam in excusationem temeritatis suæ consuetudinem allegantes, quæ juri noscitur obviare. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus judices ipsos, ut ab hujusmodi præsumptione desistant, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Datum Laterani quinto idus decembris pontificatus nostri anno tertio.

LXIX

Ad rectorem et fratres hospitalis Noviomensis.

10 decemb. 1218.

[Bullar. Roman., édit. de Turin, III, 346.]

Confirmatio instituti ac regularum hospitalis Noviomensis a Stephano episcopo hujusce civitatis nuper erecti.

Honorius, etc., dilectis filiis rectori et fratribus hospitalis Noviomensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Sane autem, cum referentibus vobis didicimus... venerabilis frater noster Stephanus Noviomensis episcopus, datis in hospitali vestro de approbatis religionibus, ordine, ac regula super numero fratrum hospitalis ipsius et modo recipiendi eos, [a c], et aliis, quæ regularem sapiunt honestatem, certa, et salubria ibidem ediderit instituta. Nos autem, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, statuta hujusmodi sicut ab eodem episcopo provide et salubriter facta sunt et ipsius litteris dicitur contineri, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, quarto idus decembris, pontificatus nostri anno tertio.

LXX

Ad episcopum S. Andreæ.

15 dec. 1218.

[Theiner, Monum. Hiberniæ, 8, n. 19.]

Episcopo S. Andreæ, ut electum ad ecclesiam Brechinensem confirmare possit.

Honorius episcopus, venerabili fratri episcopo S. Andreæ, salutem.

Præsentatæ nobis dilectorum filiorum capituli Brechinensis ecclesiæ litteræ continebant, quod eorum ecclesia pastoris solatio destituta, ipsi prout moris est convenientes in unum, Sancti Spiritus gratia invocata, dilectum filium Gregorium, ejusdem ecclesiæ archidiaconum, virum scientia et moribus adornatum sibi elegerunt canonice ac concorditer in pastorem : unde nobis humiliter supplicarunt, ut eidem electo faceremus munus consecrationis impendi. Nos igitur de discretione tua gerentes fiduciam pleniorem, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de ipsius electionis modo, eligentium studiis, et electi meritis veritate plenius inquisita, si electionem ipsam inveneris de persona idonea, quæ tanto congruat oneri et honori, canonice celebratam, ipsam auctoritate nostra confirmes, et adjunctis tibi duobus vel tribus convicinis episcopis eidem electo munus consecrationis impendas.

Datum Laterani, XVIII kalendas januarii, pontificatus nostri anno tertio.

LXXI

Ad abbatem Cisterciensem.

18 decemb. 1218.

[Manrique, Annal. Cisterc. IV, 185; Monuments pour servir à l'histoire de la province de Namur, II, I, 22, n. 14.]

Inhibet ne quis ab e's de novalibus vel de novo acquisitis vel jam possessis decimas exigere vel extorquere præsumat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, abbati Cisterciensi, et universis coabbatibus ejus, et fratribus sub eodem ordine Deo servientibus.

Contingit interdum, quod nonnulli propriis incumbentes affectibus, dum sanctionum censum legitimum ad sua vota non habent accommodatum, superadducunt adulterum intellectum, in temporali compendio, externum compendium non timentes (1). Sane, quia sicut audivimus, quidam suo nimis inhærentes ingenio (2), nimiumque voluntarii Concilii generalis interpretes, de novalibus post idem Concilium acquisitis, a vobis contingat indebita (3) molestatione vexari, nos interpretationem illorum intellectui constitutionis prædicti Concilii super Cisterciensium decimis editæ, afferimus peregrinam; in ipsa (*a*) quidem expresse cavetur, ut de alienis terris, et amodo (*b*) acquirendis, et jam si eas propriis manibus, aut sumptibus colueritis, decimas persolvatis ecclesiis, quibus ratione prædictorum (*c*) antea solvebantur. Unde si ad propositum aciem discretionis extenderent, admittentes (4) nihilominus, de quibus novalibus Apostolica Sedes intelligat indulgentiam (5) concessam retractare: Non sic super novalibus novæ interpretationis ludibrio ingenia fatigarent (6); neque enim novalia dicuntur quo quis de novo acquirit, sed quæ de novo colit, cum hactenus inculta, et nulli reddituالia remansissent. Inhibemus igitur auctoritate præsentium, ut nullus a vobis de novalibus a tempore Concilii excultis, vel in posterum propriis manibus aut sumptibus excolendis (7), sive de novo a vobis acquisitis, sive ab olim possessis, decimas exigere, vel extorquere præsumat. Nulli ergo omnino hominum hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Laterani, decimo quinto kalendas januarii, pontificatus nostri anno tertio.

LXXII

Ad Petrum abbatem et conventum S. Remigii Remensis.

19 decemb. 1218.

[Varin, Archives administratives de Reims, I, II, 536, n. 74.]

Indulget ut nullus in eos vel eorum monasterium sine manifesta et rationabili causa excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias promulgare præsumat.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui S. Remigii Remensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ut improborum temeritas quæ juri publico reluctatur, efficacius refrenetur, nonnumquam quod est meri juris petentibus specialiter indulgemus, cum plus

(1) Etiamnum dispendium (Mon. histor.).
(2) Inhærent ingenio. (Mon. histor.)
(3) Dæsunt hæc verba : *A vobis contingat indebita.* (Mon. histor.).
(*a*) In ipsam. (*b*) Etiam. (*c*) Prædiorum.
(4) Advertentes. (Mon. histor.)
(5) Additur post indulgentiam : *Super talibus piis locis.* (Mon. histor.)
(6) Post *fatigarent* desunt lineæ sequentes usque *inhibemus.* (Mon. histor.)
(7) Desunt etiam *hæc verba : Sive de novo usque decimas.* (Mon. histor.)

specialia quam generalia edicta soleant observari. Cum igitur in sacris canonibus et specialiter in generali Concilio, inhibitum sit expresse, ne quis in alium, sine manifesta et rationabili causa, et competenti monitione præmissa, excommunicationis vel interdicti sententiam audeat promulgare; quia, sicut vobis audivimus conquerentibus, quidam inhibitioni hujusmodi minime deferentes, sed sequentes motum propriæ voluntatis, in vos hujusmodi sententias jaculantur; nos, et illorum reprimere insolentiam et vestram volentes innocentiam favorabiliter confovere, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut nullus in vos, vel monasterium vestrum, sine manifesta et rationabili causa canonica monitione præmissa, excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias promulgare præsumat, quas si de cætero promulgare contingat, decernimus irritas et inanes. Nulli ergo... Datum Laterani XIV kalendas januar., pontificatus nostri anno tertio.

LXXIII

Ad Petrum abbatem et conventum S. Remigii Remensis.

19 decemb. 1218.

[Varin, Archives administratives de Reims, tome I, pars II, page 506.]

Privilegium Honorii papæ III ne aliquis cogat monachos S. Remigii extra ecclesiam ire ad testimonium perhibendum.

Honorius episcopus, dilectis filiis abbati et conventui S. Remigii Remensis, salutem...

Cum monachi ad hoc claustro claudantur, ut a negotiorum sæcularium tumultu semoti, jugiter in lege Domini meditentur, et quæ sursum, non quæ super terram sunt, sapiant, satis videtur monasticæ honestati contrarium ut, cum alias sine dispendio esse potest, ad forum publicum pro causarum strepitu excludantur qui soli Domino militantes non debent se, secundum Apostolum, negotiis sæcularibus implicare; ne de tecto contemplationis, ad tollendam tunicam conversationis, vel pallium quod cum Joseph in manus Ægyptiæ impudicæ reliquisse creduntur, descendere inculpentur. Volentes igitur quieti vestræ paterna diligentia providere, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut nullus, nisi forte de mandato Sedis Apostolicæ speciali, vos vel vestrum aliquem, claustro exire compellat, ad testimonium perhibendum; sed infra septa monasterii super his, de quibus requisiti fueritis, deponatis. Nulli ergo...

Datum Laterani, XIV kalendas januarii, pontificatus nostri anno tertio.

LXXIV

Ad episcopum S. Andreæ.

19 decemb. 1218.

[Theiner, Monum. Hiberniæ, 8 n. 20.]

Episcopus S. Andreæ et sui successores canonice intrantes una cum ecclesiæ possessionibus sub protectione Sedis Apostolicæ recipiuntur.

Honorius episcopus, venerabili fratri, episcopo S. Andreæ, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum, salutem.

Ideo sumus ad universalis Ecclesiæ regimen, licet insufficientibus meritis, providentia supernæ dispositionis assumpti, ut circa universum corpus Ecclesiæ aciem debeamus nostræ considerationis extendere, et fratribus et coepiscopis nostris tam his, qui prope sunt, quam qui longe, Apostolicum suffragium exhibere, ne alicui propter remotionem locorum Apostolicæ Sedis desit providentia vel tutela. Eapropter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam S. Andreæ, cui auctore Domino, præesse dignosceris, ad exemplar felicis recordationis Alexandri et Innocentii, prædecessorum nostrorum, Romanorum Pontificum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, etc., *usque* firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, in Fith, Kilrimund cum tota Shira, Derversin, Hutredmunesin, insulam Lohlevenoh cum appenditiis suis, Munemel, Tervieth, Morcambus, Methkil, Kilcumcath, Muccard, Pethgober cum terris ecclesiarum Strathteihten, Rascolpin, Cas, Dulbrudot, Russin, Losse, et juxta Perth, Lungportin, in Mareth, Buhham, Munemusch, Culsamuel, Elon cum terris ecclesiarum suarum et omnibus pertinentiis suis, in Laodonia, Listone, Egglesmanekin, Keldeleth, Raththen, Lessciade, Wedale, Clerkintun, Tmingham cum appenditiis suis, Broccesmuth.

Possessiones autem et redditus, qui sunt in Can et Cunevet ad mensam episcopi deputati, sicut eos in præsentiarum juste ac pacifice possides, tibi et successoribus tuis auctoritate Apostolica nihilominus confirmamus. Insuper etiam præsenti pagina tibi duximus indulgendum, ut possessiones et bona commissæ tibi ecclesiæ, si qua illicite alienata sunt vel distracta, tibi liceat legitime revocare: liceat quoque tibi in ecclesia S. Andreæ, cum prior vacaverit, eum sine contradictione qualibet instituere, sicut hactenus prædecessores tui et tu ipse fecistis, et ipsius excessus, si quando excesserit, digne corrigere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam perturbare *usque* fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, eorum, pro quorum, etc., *usque* profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc., *usque* districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ, etc., *usque* æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Laterani per manum Ranerii sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, XIV Kalendas januarii, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno MCCXVIII, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno tertio.

LXXV

Ad abbatem Sancti Johannis in Vineis et priorem Castri Theodorici.

20 dec. 1218.

[Mss. de la Biblioth. Nation. ancien fonds latin, 5993 A.]

Ut sententia lata in homines comitissæ de Campania revocaretur.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Sancti Johannis in Vineis Suessionen, priori castri Theodorici Suessionen. diœcesis, decano Suessionen., salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecta in Christo filia nobilis mulier B. comitissa Campaniæ et abbas Sancti Vitonis Virdunen. nostris auribus intimaverunt quod, quum Remen. capitulum homines suos de Calido Fonte super nemore de Roes quod de feudo ipsorum existit, coram abbate Sancti Dyonisii et coram judicibus suis auctoritate Apostolica convenissent, iidem sentientes super eo indebite se gravari quod diem ad deliberandum super petitione quam dictum capitulum super nemore præfato tunc primo formaverat sibi concedere denegabant, alias exceptiones ipsorum legitimas admittere recusando nostram audientiam appellarunt. At illi, legitima eorumdem appellatione contempta, excommunicationis in eos sententiam protulerunt. Unde dicta comitissa et abbas nobis humiliter supplicarunt ut, cum ipsi semper parati fuerunt et existant, eidem capitulo de præfatis hominibus super jam dicto nemore quod est de feudo eorumdem justitiam exhibere, partes ad eorum remitti examen et revocari quod contra memoratos homines attentatum extitit faceremus. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, dictam excommunicationem post appellationem hujusmodi promulgatam, nullam esse penitus nuntiantes; injungatis comitissæ et abbati prædictis ut de hominibus ipsis super præfato nemore capitulo supradicto exhibeant justiciæ complementum. Alioquin partes ad priorum judicum remittatis examen. Appellantes in expensis legitimis condemnantes quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum, etc., nihilominus exsequantur. Datum Laterani XIII kal. januarii pontificatus nostri anno tertio.

LXXVI

Ad Haimardum, Suessionensem, episcopum, etc.

20 decemb. 1218.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 674; Regest. lib. III, ep. 217.]

Cum Simon de Jomvilla et Simon Castrovillano, qui Erardo de Brena olim adhæserant, ad Theobaldi, Campaniæ comitis, fidelitatem et homagium rediissent, mandat Honorius, ut lata in eos ecclesiastica censura relaxetur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo (1) et dilectis filiis abbati S. Johannis in Vineis et decano Suessionensibus, salutem, etc.

Significarunt nobis nobilis mulier B. (2) comitissa, et Theob. natus ejus, comes Campaniæ, quod, cum dudum in nobiles viros Simonem de Jomvilla, et Simonem de Castrovillano, Catalaunensis et Lingonensis diœcesium, excommunicationis et in terras eorum interdicti sententias auctoritate Apostolica protuleritis, pro eo quod a

(1) Haimardo.

(2) Blancha.

fidelitate ipsorum resilierant, nobili viro Erardo de Brena contra ipsos guerræ tempore adhærentes, demum illis ad cor redeuntibus et ad homagium et fidelitatem ipsorum, pace cum eis inita, revertentibus, memoratas sententias juxta formam ecclesiæ relaxastis, statim de prædictorum nobilium pronunciantes consensu, quod ipsi ac terræ suæ ejusdem excommunicationis et interdicti essent sententiis involuti, si forsan iidem vel sui dictam comitissam vel comitem, seu terram eorum, præsumerent de cætero infestare, ab homagio et fidelitate præstita recedendo. Nos igitur, quod a nobis super his provide factum est, gratum et ratum habentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus illud faciatis, auctoritate nostra, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XIII kalendas januarii, pontificatus nostri anno tertio.

LXXVII

Ad archiepiscopum Auxilanum.

21 dec. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 184. Mss. La Porte du Theil.]

Eum a voto Jerosolymitanæ peregrinationis absolvit.

Honorius, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Auxitano.

Attendentes personam tuam esse in tuis partibus necessariam, te a voto Jerosolymitanæ peregrinationis duximus absolvendum, fraternitatem tuam sollicitantes attente, quatenus in recompensationem dicti voti circa negotium pacis, et fidei, quod agitur in partibus Tolosanis, te cures studiosius exercere. Datum Laterani, XII kalendas januarii, anno tertio.

LXXVIII

Ad priorem Sancti Martini de Campis, et magistros G. Cornutum et Ph. canonicos.

22 decemb. 1218.

[Mss. Bibl. nat., ancien fonds latin 5993 A.]

Mandat eis ut audiant causam inter B. comitissam Campaniæ et conventum Pontiniacen.

Honorius, etc., dilectis filiis priori Sancti Martini de Campis et magistris G. Cornuto Parisien. et Ph. Senonen. canonicis, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii abbas et conventus Pontiniacen. nobis conquerendo monstrarunt quod nobilis mulier B. comitissa Campaniæ super nemoribus grueriis et rebus aliis injuriantur eidem. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, partibus convocatis, audiatis causam et quod justum fuerit, appellatione postposita statuatis facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per districtionem eamdem appellatione remota cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, XI Kal. januarii, pontificatus nostri anno tertio.

LXXIX

Ad abbatem Cisterciensem et universos coabbates ejus et fratres ejusdem ordinis.

22 decemb. 1218.

[Manrique, Ann. Cistercien. IV, 146.]

Inhibet ne legati A. S. sine speciali mandato, sententias excommunicationis, vel suspensionis vel interdicti in conventus ordinis Cisterciensis promulgent.

Cum ordinis vestri gratiosa plantatio, multæ religionis et honestatis flores, et fructus protulerit, effuso longe lateque laudabilis consecrationis odore; Apostolicæ Sedis auctoritas, considerans per Marthæ sollicitudinem providendum esse Mariæ quieti; et ut orantis Mariæ suffragiis, satagentis Marthæ sollicitudo juvetur, ne alicujus temeritatis incursus, sanctæ conversationis otium perturbaret, ordinem ipsum, et privilegiis, et nonnullis indulgentiis spiritualis gratiæ prærogativis munivit. Nos autem qui salutifera commoda vestra, benigno favore prosequimur, tranquillitati vestræ libenter, prout possumus, providemus, auctoritate præsentium inhibentes, legati Sedis Apostolicæ sine speciali mandato nostro, in vos excommunicationis, vel suspensionis, et in monasterio vestro interdicti sententias contra ea, quæ vobis sunt ab Apostolica Sede concessa, promulgent. Nulli ergo, etc. Datum Laterani undecimo kalendas januarii, pontificatus nostri anno tertio.

LXXX

Ad abbatem Cisterciensem et universos coabbates et fratres sub eodem ordine Deo servientes.

23 decemb. 1218.

[Manrique, Ann. Cistercien. IV, 146.]

De regularibus et transeuntibus ad religionem (1).

Constituti juxta verbum prophetæ, licet insufficientibus meritis, super gentes, et regna, officii nostri debitum decenter exsequimur, quum evellimus evellenda, et plantanda plantamus, recta regimus, et dirigimus indirecta. Significastis siquidem nobis, quod in quibusdam partibus consuetudo detestabilis inolevit, videlicet, quod quum aliqui æmulantes charismata meliora, monasteria vestri ordinis volunt, causa religionis, intrare, ut ibi Domino famulentur; capellani eorum, donec ab ipsis pecuniam, quæ mortuarium nuncupatur, extorqueant, prout a parochianis suis decedentibus consueverunt accipere, illis temere se opponunt : quare super hoc nostræ providentiæ remedium flagitastis; volentes igitur abusum corruptelæ hujusmodi aboleri, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut capellanorum contradictione hujusmodi non obstante, liberas personas ad vos e sæculo fugientes, libere recipere valeatis. Nulli ergo, etc. Datum Laterani kalendas januarii, ponticatus nostri anno tertio.

LXXXI

Ad Norwicensem electum Apostolicæ Sedis legatum.

23 decemb. 1218.

[Theiner, Mon. Hiberniæ, 9, 21.]

Mandat ut inhibeat judices in causa episcopi S. Andreæ amplius procedere.

Honorius episcopus, dilecto filio Norwicensi electo, Apostolicæ Sedis legato, salutem.

Licet Sedes Apostolica ea, quæ attentata contra Deum perferuntur ad ipsam, dissimulare non debeat, ne sic incentivum tribueret delinquendi, excommunicatorum tamen vocem utpote funestam interdici oportet potius quam audiri. Unde quum, sicut venerabili fratre nostro episcopo S. Andreæ referente accepimus, Eustatius canonicus S. Andreæ vinculo excommunicationis adstrictus ad Dunkeldensem episcopum, et conjudices suos excommunicatione ligatos super multis obtinuerit denuntiationis litteras contra ipsum; nos nolentes eumdem episcopum a tali et coram talibus conveniri, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si tibi constiterit ita esse, inquisitoribus eisdem auctoritate nostra inhibeas, ne procedere super prædicta inquisitione præsumant. Datum Laterani X kalendas januarii, pontificatus nostri anno tertio.

LXXXII

Ad archiepiscopum Cantuariensem Ecclesiæ Romanæ cardinalem.

26 decemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 266. Mss. La Porte du Theil.]

Exhortatio ad magnificentissimam translationem corporis Sancti Thomæ Cantuariensis.

Honorius, etc., S. Cantuarien. archiepiscopo sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali.

Rex cœlestis Dominus angelorum regnum Angliæ cæteris altius, nostris temporibus, honoravit et speciali quadam prærogativa decoris, gentem anglicam insignivit, dum mundo posito in maligno, et malitia hominum excrescente, virum sibi exinde sine macula præelegit, qui non solum in tempore iracundiæ reconciliatio factus est ut sacerdos, verum etiam ad cœleste convivium invitatus, illum superare meruit, quem biberat Dominus calicem passionis, et quia inventus est dignus Deo, coronavit eum Dominus gloria et honore; coronam quidem ipsius capiti superponens de lapide pretioso; ut sic unus ex anglicis inter anglos super opera manuum Domini constitutus, pro peccatis populorum omnium fieret intercessor. Cantet igitur novum Domino canticum felix Cantuariensis ecclesia, cujus aram suo purpuravit pretioso sanguine martyr Thomas; quin imo civitas ipsa tota Deo potest et debet in exultationis voce non immerito jubilare; quæ, cruore roseo sui martyris rubricata, pulchra facta est, et apparuit speciosa, unde diversarum multitudine gentium ex omni fere, quæ sub cœlo est, natione, celebritatem ipsius summopere venerante, quodam quasi felici præsagio secum videtur esse sortita vocabulum ex eventu, ac si dicatur expresse cantuaria cantus aræ. Tu, inquam, diligenter attendens quantum te deceat tantum martyrem vene-

(1) Confer : *Quinta Compilatio*. lib. III. cap. 2, tom. I, col. 301.

rari, cui, disponente Domino, in pontificalis officii onere successisti, sacratissimum corpus ejus sublevare proponis de terra, ipsumque translatum honorabilius collocare, quum dignum tibi et condecens videatur illum, quantum in te interfuerit exaltare in terra, quem in cœlo dignatus est omnipotens Dominus honorare. Nos igitur pium et laudabile tuum propositum dignis in Domino laudibus commendantes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus auctoritate nostra suffultus, et Apostolica benedictione munitus, reverenter efficias super hoc quod in nomine Domini intendis. Datum Laterani, VII kal. januarii, pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem fere modum scriptum est universis Christi fidelibus nobilibus, et aliis per Angliam constitutis, usque : *Cantuaria cantus arœ.* Vos autem, inquam, si diligenter attenditis hunc honorem, gratiarum actiones assiduas largitori bonorum omnium exsolvetis, cui vos, ex impensæ benedictionis gratia terræ vestræ potestis cognoscere debitores, ut ingratitudinis evitetis vitium, et possitis devoti filii nuncupari. Et quidem si omni tempore puro corde benedicere, ac honorare Dominum debeatis, istas tamen præcipue vos oportet vestes induere nuptiales, et cum jucunditate in laudes vestro assurgere Creatori; cum venturæ festivitatis veneranda solemnitas id exposcat. Sane venerabili fratre nostro S. Cantuariensi archiepiscopo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali nuper accepimus intimante, quod idem volens ostendere in effectu quanto devotionis fervore martyris supradicti memoriam veneretur, sacratissimum corpus ejus sublevare proponit de terra, ipsumque translatum honorabilius collocare, quum dignum sibi, et condecens videatur illum quantum in eo est, exaltare in terra, quem in cœlo Dominus exaltavit. Nos igitur pium, et laudabile archiepiscopi memorati propositum acceptantes, universitatem vestram hortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pacem mutuam et concordiam in charitatis vinculo conservantes, vestras conscientias cunctis perversitatibus expietis, et sic vos in bonis studeatis operibus exercere, ut cum dies ipsius solemnitatis advenerit, in occursum vestri sanctissimi martyris et patroni, ipsum possitis honorificentia debita taliter venerari, quod doceatis alios per exemplum quantum esse debeat celebris per diversa mundi climata præfati martyris memoria gloriosa. Datum Laterani septimo kalendas januarii pontificatus anno tertio.

LXXXIII

Ad episcopum electum Belvacensem.

29 decemb. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 172. Mss. La Porte du Theil.]

Confirmat concessionem vicesimæ colligendæ in Francia.

Honorius, etc., dilecto filio... electo Belvacen.

Vicesimam in Belvacen. et Remen. diœc. cum pecunia collecta et colligenda in Francia devotioni tuæ meminimus concessisse. Cum autem beneficia principum interpretanda sint large : pecuniam quoque collectam, et colligendam in prædictis diœcesibus pro redemptione votorum, tibi, salvo eo quod jam regi concessimus, pari modo volumus assignari, potestatem cogendi ad ejus solutionem rebelles, tibi auctoritate præsentium, appellatione postposita concedentes. Datum Laterani, IV kal. januarii anno tertio.

LXXXIV

Ad Cisterciensem, Clarevallensem et Quinciaci abbates.

29 decemb. 1218.

[Liber Pontificum, Bibl. nat. Mss. anc. fonds lat., 5993 A, p. 21.]

Erga Erardum de Brena et Philippinam uxorem ejus relaxantur sententiæ, treugis initis inter partes.

Honorius, etc., dilectis filiis Cistercien., Clarevallen. et Quinciaci abbatibus Cistercien. ordinis diœcesis Lingon. et Catalaunen., salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte nobilis viri Erardi de Brena et Ph. uxoris ipsius nobis fuit humiliter supplicatum ut, cum occasione controversiæ quæ inter ipsos ex parte una et nobilem mulierem comitissam Campaniæ ac natum ejus ex altera vertitur, multiplici sint tam ipsi quam adjutores eorum excommunicatione ligati et terra eorum sit supposita ecclesiastico interdicto, treugis nunc initis inter partes, faceremus sententias ipsas juxta formam Ecclesiæ relaxari. Nuntii vero comitissæ prædictæ in nostra præsentia constituti relaxari, hujusmodi sententias juxta formam in treugis expressam et in litteris altius scriptis contentam cum

instantia postularunt, ita videlicet ut si nos videremus quod prædictæ comitissæ ac filio ejus, terræ suæ nullum inde damnum vel gravamen debeat provenire. Quia igitur redeuntibus ad ecclesiam non est claudendum gremium pietatis discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus sententias supradictas juxta formam ecclesiæ relaxetis. Datum Laterani, IV kal. januarii, pontificatus nostri anno tertio.

LXXXV

Ad Haimardum episcopum Suessionen. abbatem S. Joannis de Vineis et decanum Suessionensem.

30 decemb. 1218.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, 675; Regest. lib. III, epist. 216.]

Cum Erardus de Chastenaio ad fidelitatem et homagium Theobaldi, Campaniæ comitis, redierit, latam in eum excommunicationis et interdicti terræ suæ sententiam relaxat Honorius, ea lege ne in infidelitatem recidivam labatur.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo (*a*), et dilectis filiis abbati S. Johannis in Vineis (*b*) et decano (*c*) Suessionensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex litteris nobilis viri Erardi de Chastenaio nobis innotuit, quod, cum ipse a fidelitate et homagio præstitis nobili mulieri B.(*d*) comitissæ et Th., nato ejus, comiti Campaniæ, temeritate propria resilierit, et a nobis auctoritate nostra monitus ad eos redire noluerit, vos ipsum excommunicationis vinculo innodastis et terram ejus supposuistis interdicto. Tandem vero, recepto ab eo corporaliter juramento, quod nostræ dispositioni super his staret, easdem sententias relaxastis; et statim de ipsius pronunciastis consensu, quod ipse ac terra sua eisdem excommunicationis et interdicti essent sententiis involuti, si forsan ipse vel sui dictam comitissam vel comitem, seu terram eorum, antequam nostram dispositionem reciperet et impleret, præsumeret infestare : sed si, postquam dispositionem nostram effectui mancipasset, ab ea forsitan resiliret, ipso facto, non essent ipse et terra sua eisdem sententiis involuti, nisi nos in dispositione ipsa id duxerimus exprimendum, in eum tamen et terram suam illa nobis jurisdictione servata, quam auctoritate litterarum nostrarum habuistis in eos, antequam sententias relaxaretis easdem, nisi forsan jurisdictionem eamdem nos ipsi duxerimus revocandam.

Nos igitur, saluti ejusdem nobilis et indemnitati prædictorum comitissæ et comitis paterna volentes sollicitudine providere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sub debito juramenti ex parte nostra injungatis eidem, ut ad fidelitatem et homagium redeat eorumdem, et in eis firmiter perseveret; alioquin ipsum in pristinas una cum terra sua sententias, appellatione postposita, reducatis, et faciatis easdem, auctoritate nostra, usque ad satisfactionem idoneam firmiter observari. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III kal. januarii, pontificatus nostri anno tertio.

LXXXVI

Ad Gehrardum archiepisc. Bremensem.

2 januarii 1219.

[Lappenberg, Hamb. Ub. I, 367, n. 421.]

Ut vicesimam ecclesiasticorum proventuum subsidio Terræ Sanctæ destinatam diligenter colligat eamque Martino cubiculario et Johanni marescalco assignet.

Honorius, etc., venerabili fratri Bremensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Exercitus christianus rem publicam universorum Christi fidelium agentes viriliter et potenter in partibus transmarinis, dum ad vindicandam injuriam crucis Christi et terram in qua pedes ejus steterunt, de perfidorum manibus vindicandam laudabiliter animam suam ponunt, cum jam nequeant ulterius suis totaliter stipendiis militare, clamant ad nos, preces supplices et omni favore dignissimas effundendo, ut sibi tam in victualibus quam pecunia, necnon aliis modis quibus possumus, celeriter succurramus, sicut cupimus, ne deficiant sed proficiant prælium Domini præliando. Unde nos, qui ad liberationem terræ prædictæ tanto ardentius inspirante Domino aspiramus, quanto Christi causam, utpote ipsius vicarii licet immeriti constituti, tenemur gerere specialius, quinque millia marcarum et mille ducentas libras provenientes, præter naulum et alias multas expensas, quas Romanis crucesignatis dedimus, ad

(*a*) Haimardo. (*b*) Radulfo. (*c*) Guidoni de Chezy. (*d*) Blanchæ.

subventionem prædicti exercitus de camera nostra nuper providimus destinanda.

Sed quia hæc sunt modica inter tantos, expedit ut adhuc alias eis copiosius succurrere festinemus, ne, quod absit, mora periculum ad se trahat. Cum igitur, sicut scis, statutum fuerit in Concilio generali, ut omnes omnino clerici, tam subditi quam prælati, vicesimam ecclesiasticorum proventuum a tempore prædicti concilii usque ad triennium integre conferant, in subsidium Terræ Sanctæ per manus eorum, qui ad hoc fuerint Apostolica providentia ordinati, ecce dilectos filios, Martinum cubicularium et Johannem, marescalcum, nostros Militiæ Templi et Hospitalis Hierosolymitani fratres, viros utique providos et discretos, de quorum fide ac devotione plenam in Domino fiduciam obtinemus, propter hoc ad partes Allamaniæ transmittentes, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente ac per Apostolica tibi scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus vicesimam tam tuorum proventuum quam tuæ diœcesis, quæ nondum collecta est, studeas colligere diligenter, contradictores si qui fuerint vel rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo et tam collectam quam colligendam, necnon pecuniam in truncis collectam et aliam collectam pro redemptione votorum fideliter sine diminutione qualibet cures prædictis nuntiis assignare, alias eisdem super negotio hujusmodi ob reverentiam divinam et nostram impensurus consilium et auxilium opportunum, ita quod et Deum, cujus principaliter causa geritur, propitium et nos tibi exinde reddas favorabiles et benignos. Datum Laterani IV nonas januarii, pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem modum eodemque die Alberto, episcopo Rigensi.

LXXXVII

Ad archiepiscopos et episcopos, ut fratres Cistercienses.

2 jan. 1219.

[Dreger, Cod. Pomeran. I, 92, n. 80. Hasselbach, Cod. Pomeran. I, 276, n. 122.]

Hortatur ut fratribus Cisterciensis ordinis privilegia et indulgentias Apostolicæ Sedis concessas inviolabiliter conservent et faciant ab aliis conservari.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Benefaciens Dominus bonis et rectis corde, dilectos filios fratres Cisterciensis ordinis, in viam mandatorum ipsorum inoffense currentes, tamquam populum acceptabilem sibi numero et merito ampliavit, eisque de rore cœli et terræ pinguedine benedicens dilatavit, locum territorii ejusdem ordinis, et pelles tabernaculorum ejus extendit. Sed, quod dolentes referimus, in via hac qua ambulant, superbi contra eos laqueos extendentes, imo velut torrentes iniquitatis irruentes in eos ipsos bonis suis, quæ soli Domino sunt dicata, non solum nequiter defraudare, cum filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sint, verum etiam iniquitate potentes violenter spoliare nituntur, et quod gravius ut nonnulli de iis qui eos debuerant in Christi visceribus carius amplexari et favorabilius confovere, ipsos immanius persequentes, privilegia, quæ ipsis a Sede Apostolica suis exigentibus meritis sunt indulta, gestiunt penitus enervare, dicendo illa fuisse omnino in generali Concilio revocata, vel alios intellectum privilegiorum ipsorum ita maligna interpretatione ad libitum pervertendo, quod nisi os iniqua loquentium obstruatur, nil restet quin prædicti fratres privilegiorum suorum penitus frustrentur, per quod illi non tam eisdem fratribus quam nobis injuriari probantur, dum contra Sedis Apostolicæ indulgentias memoratos fratres temere perturbare præsumunt, molientes contra nostræ plenitudinem potestatis, dum indulta nostra irreverenter impugnant. Nos igitur, qui prædictos fratres speciali prærogativa dilectionis et gratiæ amplexamur, utpote qui jugiter offerentes Domino suorum vitulos labiorum non solum nobis sed etiam universali ecclesiæ piis intercessionibus incomparabiliter suffragantur, nolentes hujusmodi vexationibus eorum salubrem amaricari quietem, quos potius tenemur omnimodis consolari, universitatem vestram monemus et hortamur attente, ac per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus supradictos fratres ob reverentiam divinam et nostram habentes in visceribus caritatis eis privilegia et indulgentias Apostolicæ Sedis eisdem concesssas inviolabiliter conservetis et faciatis ab aliis conservari,

salva moderatione Concilii generalis, videlicet ut de alienis terris a tempore prædicti Concilii acquisitis et de cætero acquirendis exsolvant decimas ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi aliter cum eis duxerint componendum, alias quoque prædictos fratres ab incursibus malignorum taliter defendatis, quod defensores justitiæ ac pietatis probemini amatores, Dominumque vobis propitium et nos reddatis exinde favorabiles et benignos. Datum Laterani, III nonas januarii, pontificatus nostri anno tertio.

LXXXVIII

Ad abbatem priorem Sancti Albini et magistrum scholarum Andegavensem.

3 jan. 1218.

[Regest., lib. III, epist. 197. Mss. La Porte du Theil.]

De simoniacis in ecclesia Vindocinensi informent et corrigant.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati, et... priori Sancti Albini et... magistro scholarum Andegaven.

Dilectus filius Fulco canonicus ecclesiæ beati Georgii, Vindocinen. nobis exponere procuravit, quod magister M. Capicerius, Henricus et Simon canonici, et quidam alii clerici in ipsa ecclesia simoniace sunt recepti, sicut fama publica protestatur. Quædam etiam in eadem ecclesia per... abbatem Sanctæ Mariæ Blesen. et collegas suos dilecti filii nostri R. tituli sancti Stephani in Cœlio monte presbyteri cardinalis tunc legati Sedis Apostolicæ delegatos, minus canonice statuta esse noscuntur, quæ Apostolicæ correctionis limam exposcunt. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad locum personaliter accedentes, inquisita super his vice nostra et cognita veritate, appellatione remota corrigatis et reformetis in dicta ecclesia quæ correctionis et reformationis officio videritis indigere, reducentes in irritum si quid contra jus expressum inveneritis minus licite attentatum. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Datum Laterani, tertio nonas januarii, pontificatus nostri anno tertio.

LXXXIX

Ad episcopum Nannetensem.

4 jan. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 203. Mss. La Porte du Theil.]

Concedit duobus canonicis, quos exulare coegit dux Britanniæ, facultatem percipiendi beneficia eodem modo ac si in ecclesia residerent.

Honorius, etc., venerabili fratri.... episcopo Nanneten., salutem, etc.

Compatientes tibi super gravaminibus et pressuris, quibus nobilis vir... comes Britanniæ te ac clericos tuos exulare coegit, duobus ex concanonicis tuis quamdiu in obsequio tuo fuerint percipiendi beneficia sua, quemadmodum ea perciperent, si in ecclesia in qua ea obtinent personaliter residerent, concedimus facultatem. Contradictores si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante, compescas. Datum Laterani secundo nonas januarii, pontificatus nostri anno tertio.

XC

Ad potestatem et universos diœcesis Nucerinæ.

7 jan. 1219.

[Theiner, Cod. dipl. dominii tempor. I, 49, n. 69.]

Ut mulieri quondam ducis Spoletani uxori de suis bonis intendant.

Honorius, etc., dilectis filiis... potestati et universis tam civitatis quam diœcesis Nucerinæ, salutem, etc.

Præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus donec de ipso ducatu plenarie disponamus, nobili mulieri... uxori quondam... ducis Spoletani de iis, quæ de civitate vestra ac comitatu ipsius ad curiam pertinent, intendatis, episcopi, clericorum et ecclesiarum per omnia jure salvo. Datum Laterani VII idus januarii, anno tertio.

XCI

Ad archidiaconum, cantorem et magistrum de Lumpris, Catalaunenses.

7 jan. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 202. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut informent de electione abbatissæ.

Honorius, etc., dilectis filiis... archidiacono... cantori et magistro P. de Lumpris canonico Catalaunen., salutem, etc.

Ex parte monialium Jotrien. fuit propositum coram nobis, quod bonæ memoriæ

abbatissa earum rebus humanis exempta, ipsa a nobili muliere B. comitissa Campaniæ advocata ipsarum, petita, ut moris est, prius eligendi licentia et obtenta, hoc modo, quod personam non eligerent merito sibi suspectam, ex parte ipsius, si secus agerent, appellatione ad Sedem Apostolicam interjecta..., priorissam monasterii sui, in qua vota majoris et sanioris partis conventus et canonicorum ejusdem monasterii concordabant in abbatissam, aliis tunc nec appellantibus nec objicientibus aliquid, elegerunt, cui consensum suum dicta præstitit comitissa. Pars vero altera prædictæ appellationi non deferens, aliam ejusdem monasterii monialem ipsi comitissæ certa ratione suspectam, postmodum nominavit, quæ post aliquantulum temporis asserens se jus ex hujusmodi nominatione habere, in vocem appellationis prorupit. Unde moniales prædictæ nobis humiliter supplicarunt, ut electionem suam, utpote a majori et saniori parte conventus, et canonicorum ejusdem loci de persona idonea celebratam canonice confirmantes, nominationem hujusmodi ab inferioribus et paucioribus factam irritam censeremus. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super hoc plenius veritate, si electionem priorissæ a majori et saniori parte conventus et canonicorum loci ejusdem inveneritis canonice de persona idonea celebratam, eamdem sublato appellationis obstaculo confirmetis. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani VII idus januarii anno tertio.

XCII

Ad B. comitissam Campaniæ et Theobaldum natum ejus.

7 jan. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 214. Mss. La Porte du Theil.]

De feudis in pignus traditis.

Honorius, etc., dilectis filiis B. comitissæ Campaniæ, ac Theobaldo comiti nato ejus.

Quum sæpe contingat eos qui a vobis feoda tenent, aliis ipsa pignori obligare, ac vos ob hoc debitis obsequiis defraudari, nos vestræ indemnitati volentes consulere, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut si feoda, quæ a vobis tenentur, vos in pignus contingat recipere, fructus quos perceperitis ab eisdem in sortem non teneamini computare, dummodo iidem feodatarii a servitio, quo vobis pro feodis ipsis tenentur, interim sint immunes. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis infringere etc. si quis autem, etc. Datum Laterani, septimo idus januarii anno tertio.

XCIII

Ad capitulum Carnotense.

8 jan. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 221. Mss. La Porte du Theil.]

Illiterati Hugonis electio ad episcopatum Carnotensem cassatur.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Carnoten.

Exhibita nobis, æstate præterita, electione facta de Hugone de Feritate in ecclesia vestra, et ipsius examinata persona, quum pateretur in litteratura defectum, ipsam utpote contra Lateranen. statuta concilii attentatam, deliberavimus omnino cassare. Quod quum ad ipsius Hugonis, et sociorum ejus notitiam pervenisset, suo providit libera cessione pudori. Nos autem vobis potestatem eligendi de gratia reservantes, mandavimus, ut electionem curaretis infra certum terminum celebrare; sed votis vestris in diversa divisis, quidam in prædictum Hugonem, et alii in abbatem Pontiniacen. sua desideria direxerunt. Utraque igitur electione nobis et nostris fratribus præsentata, electionem ipsius Hugonis, quia fuit contra prædicti formam Concilii, non solum nunc, sed etiam alia vice præsumpta, irritam nuntiantes, electores ipsius jam bis contra ipsum concilium præsumentes, sententialiter declaravimus eligendi potestate privatos, et jus hujusmodi penes alios resedisse, præsumptoribus prædictis a beneficiorum perceptione suspensis. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, sexto idus januarii, pontificatus nostri anno tertio.

XCIV

Ad abbatem Sancti Quintini in Insula, decanum Sancti Quintini, et archidiaconum Cameracensem.

9 jan. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 220. Mss. La Porte du Theil.]

Ut inquirant de appellatione ab abbate Sancti Remigii Remensis facta.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati mo-

nasterii Sancti Quintini in Insula, et... decano Sancti Quintini Novionen. diœcesis et J. archidiacono Cameracen.

Dilectus filius... Belvacen. electus nobis per nuntium, et litteris intimavit, quod cum venerabilis frater noster... Remen. archiepiscopus iter Jerosolymitanæ peregrinationis aggrediens, sibi vices suas in Remen. provincia commisisset, ipse audit, fama publica divulgante, quod ecclesia Sancti Remigii Remen. languente capite membrisque infirmantibus grave patiebatur in spiritualibus detrimentum, illuc ad petitionem abbatis causa visitationis procedens, receptis sufficientibus depositionibus monachorum ejusdem ecclesiæ juratorum, liquido comperisset quod per abbatis negligentiam ecclesia multipliciter erat collapsa, propter quod severius potuerat procedere contra eum; volens tamen misericorditer agere cum eodem, si forte sano usus consilio, saltem ex tunc intelligeret, ut bene ageret, ac se ad frugem vitæ converteret melioris, de prudentum virorum consilio, deliberatione habita diligenti, ordinationem, ut ejus verbo utamur, fecit in eadem ecclesia de cætero firmiter observandam, cujus tenorem ad nos ab eodem electo sub suo sigillo transmissum, vobis sub bulla nostra duximus destinandum. Hanc autem ordinationem, sicut idem electus suis nobis litteris intimavit, abbas et conventus ejusdem ecclesiæ tanquam providam et necessariam approbantes, humiliter receperunt, excepto quod cum in ordinatione contineatur, ut abbas ad exsolvenda quædam quæ in ordinatione continentur eadem, se astringat corporali præstito juramento, idem abbas se ad id nolens astringere, quamquam super hoc deliberationis inducias postularit, tandem in vocem appellationis, occasione propter hoc frivola mendicata prorupit. Præfatus vero electus appellationi hujusmodi quam frustratoriam reputabat minime deferens, primo in eum suspensionis, ac demum crescente ipsius contumacia excommunicationis sententias promulgavit. Quare supplicavit nobis humiliter et devote, ut cum ipsi ecclesiæ utiliter providisset, sicut sibi visum fuerat expedire, relicto vobis quod superesset agendum, indemnitati ejusdem ecclesiæ paterna dignaremur diligentia providere. Nuntii vero prædictorum abbatis et conventus apud Sedem Apostolicam constituti, e contrario responderunt, quod cum præfatus electus ad eorum monasterium accessisset visitationis ibidem officium impensurus, promisit eisdem, quod canonice in inquisitione procederet, et de abbatis consilio corrigeret corrigenda. Qui postmodum quod promiserat non servato, et prætermissa forma Concilii generalis non exprimendo capitulo, de quibus erat inquisitio facienda, in eorum gravamen ad inquisitionem pro sua voluntate processit, statuens, ut idem abbas quatuor monachos et totidem laicos secum haberet, sine quorum consilio, vel ad minus eorum quatuor nihil magnum disponeret, nullas expensas faceret, nec aliquem contractum summam viginti librarum excedentem iniret, augendi, minuendi et mutandi penes se potestate retenta, adjiciens etiam, ut abbas de servando statuto hujusmodi præstaret corporaliter juramentum. Sed cum prædictus abbas statutum peteret publicari, ut si quis personam ipsius tangeret, ei super hoc defensionis copia non deesset, idem electus id facere recusavit, propter quæ omnia memoratus abbas sentiens sibi, et monasterio grave præjudicum generari, et prædictum electum contra promissionem suam, et concilii formam in inquisitione perperam processisse cognoscens, nostram audientiam appellavit, appellationi ejus conventu ejusdem monasterii adhærente. Sed prædictus electus ejus appellatione contempta, primo suspensionis, et post iter arreptum ad Sedem Apostolicam veniendi, in ipsum et sequaces ejus excommunicationis sententias promulgavit, quamvis arrepto itinere corporis debilitate correptus remanserit secus Alpes. Quare prædicti nuntii humiliter petierunt prædictam excommunicationis sententiam, utpote post appellationem ad nos legitime interpositam promulgatam, irritam nuntiare, vel saltem abbatem ad cautelam absolvi. Quia vero super his nobis non potuit fieri plena fides, discretioni vestræ de utriusque partis procuratorum assensu per Apostolica scripta mandamus, quatenus abbate, et sequacibus ejus ante litis ingressum absolutis juxta formam ecclesiæ, ad cautelam, et inquisita super præmissis, et cognita veritate, si processum electi prædicti canonicum esse inveneritis, moderatione adhibita quam æquitas persuaserit adhibendam, ipsum auctoritate Apostolica confirmetis. Alioquin sicut justum

fuerit, irritetis eumdem. Contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium veritati, et justitiæ præjudicantibus a Sede Apostolica impetratis. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, quinto idus januarii, pontificatus nostri anno tertio.

XCV

Ad abbates Vallis Secretæ, Sancti Joannis in Vineis, et decanum Suessionensis ecclesiæ.

9 jan. 1219.

[Bouquet, Recueil des Histor., t. XIX, p. 675. Regest., lib. III, epist. 216.]

Nondum definita Romæ controversia de jure natalium Philippæ, conjugis Erardi de Brena, mandat Honorius, ut ambo conspectui suo se repræsentent, neque interim Campaniæ comitatum perturbent; sin minus, reducantur iidem in pristinas ecclesiæ sententias, a quibus absoluti fuerant.

Honorius episcopus servus, servorum Dei, dilectis filiis Vallis Secretæ (*a*) Præmonstratensis ordinis, Laudunensis diœcesis, S. Johannis in Vineis (*b*) Suessionensi abbatibus et decano Suessionensis ecclesiæ (*c*), salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ad supplicationem nobilis viri Erardi de Brena et Philippæ uxoris ipsius, dilectis filiis Cisterciensi, Clarevallensi et Quintiaci abbatibus, Cisterciensis ordinis, nostris dederimus litteris in mandatis, ut excommunicationis sententias in eos et coadjutores ipsorum pro nobili muliere Blancha, comitissa Campaniæ, ac Th. comite, nato ejus, prolatas, et interdictum cui terræ ipsorum suppositæ sunt, juxta ecclesiæ formam relaxent (1), discretioni vestræ, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, cum eædem sic fuerint relaxatæ, ac a dictis comitissa et comite fueritis requisiti, injungatis eisdem, ut infra terminum competentem, quem ipsis peremptorium assignetis, per se vel per procuratores idoneos Apostolico se conspectui repræsentent, super his pro quibus prædictæ fuerint sententiæ promulgatæ, nostrum audituri mandatum, et parati nihilominus in causa ejusdem Philippæ natalium, pro qua jam pridem citati fuerunt auctoritate Apostolica, respondere, ac proponere si quid habent. Quod si forsan (quod absit!) juxta præscriptam formam absolvi noluerint, vel absoluti mandatum prædictum contempserint adimplere, seu statum comitatuum Campaniæ atque Briæ, in quo erant tempore quo dicti Erardus et Philippa auctoritate Apostolica fuere citati, perturbare vel immutare præsumpserint, donec justo Apostolicæ Sedis judicio declaretur utrum ipsa Ph. debeat illegitima reputari, eos et terras ipsorum in pristinas sententias, appellatione postposita, sine moræ dispendio reducatis, et faciatis easdem sententias publicari, juxta tenorem litterarum nostrarum, quas super hoc direximus archiepiscopis et episcopis, ac aliis ecclesiarum prælatis per Lugdunensem, Bisuntinensem, Senonensem, Bituricensem, Turonensem, Remensem, Coloniensem et Treverensem provincias constitutis. Quod si non omnes, etc...

Datum Laterani V idus januarii pontificatus nostri anno tertio.

(*a*) Conrado. (*b*) Radulfo.
(*c*) Guidoni de Chezy.

XCVI

Ad abbatem et conventum S. Remigii Remensis.

10 jan. 1219.

[Regest., lib. II, epist. 227. Mss. La Porte du Theil.]

Ut novalium decimas percipere valeant.

Honorius episcopus servus, servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sancti Remigii Remensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate vobis præsentium indulgemus ut intra terminos infra quos decimas ante generale Concilium percepistis novalium decimas percipere valeatis, salvis aliorum privilegiis a Sede Apostolica impetratis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem om-

(1) Recurrendum ad Honorii Litteras, lib. II, epist. CXXII, col. 644, t. II.

nipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani IV idus januarii pontificatus nostri anno tertio.

XCVII

Ad Autissiodorensem, Cabilonensem episcopos et ad priorem Sancti Leonardi Eduensis diœcesis.

14 jan. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 228. Mss. La Porte du Theil.]

Vituperat abbatem Virgiliacensis monasterii de cessione sua a ministerio abbatiæ et mandat ut de ea informent.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus... Autissiodoren. et...Cabilonen. episcopis, et... priori Sancti Leonardi Eduen. diœcesis.

Etsi ecclesiarum omnium curam teneamur gerere generalem, illas tamen quæ nos nullo mediante respiciunt tanto diligentiori sollicitudine nos prospicere convenit, quanto ipsarum nobis adscribi profectus, et defectus, quod absit, posset probabilius imputari. Audivimus siquidem quod dilectus filius... quondam abbas Virgiliacen. monasterii ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, qui monasterium ipsum jamdiu in spiritualibus et temporalibus feliciter gubernavit, nunc corporis imbecillitate confractus, soli Deo vacare desiderans, cessione a nobis, prout ad nos pertinet, minime postulata, reliquit ministerium abbatiæ, immemor quod nonnisi per nos cessionem poterat obtinere. Quare tenemur nos citius specialiter interesse damnis ejusdem monasterii et occurrere præcavendo, cum possumus, et succurrere providendo, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad idem monasterium personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Deum, eo quod non de licentia nostra cessit ab administratione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis ; et si constiterit vobis ipsum utiliter ministrasse, ac videritis monasterio expedire, moneatis eumdem, ut resumptam retineat abbatiam. Alioquin cessione ab ipso vice nostra recepta, conventui ejusdem monasterii auctoritate nostra firmiter injungatis, ut infra decem dies sibi per electionem canonicam de persona idonea honesta videlicet, litterata et provida provideant in pastorem, et vos electionem et electum examinantes, sicut convenit diligenter, eam si de persona idonea fuerit canonice celebrata, sublato appellationis obstaculo confirmetis. Quod si forsan ipsi eligere infra terminum prædictum neglexerint, vos ex tunc auctoritate nostra suffulti, provideatis de persona idonea in abbatem, qui auctore Domino monasterio ipsi præesse valeat et prodesse. Contradictores si qui fuerint vel rebelles per censuram, etc. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Datum Laterani XIX kalendas februarii anno tertio.

XCVIII

Ad episcopum Carnotensem.

16 jan. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 229. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut episcopus Carnotensis a suspensione relaxet canonicos ejusdem ecclesiæ.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Carnoten.

Licet quidam canonici Carnoten. graviter deliquisse noscantur eligendo in episcopum Hugonem de Firmitate canonicum Carnoten. contra Lateranensis concilii instituta, propter quod sententialiter declarantes eos eligendi potestate privatos, ipsos a beneficiorum perceptione duximus suspendendos ; quia tamen nobis multotiens supplicasti ut super hoc cum eis misericorditer agere dignaremur, nos tuis devotis precibus inclinati, vices nostras in hac parte fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, duximus committendas, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, si dicti canonici se tales exhibuerint circa te, quod merito debeant gratiam promereri, statuas circa ipsos quod statuendum videris in hac parte. Datum Laterani XVII kalendas februarii pontificatus nostri anno tertio.

XCIX

Ad decanum et capitulum S. Stephani Trecensis.

16 jan. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 230. Mss. La Porte du Theil.]

Capitulum corrigere debet excessus canonicorum et clericorum juxta statuta Concilii generalis.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano, et capitulo beati Stephani Trecen.

Cum in Concilio generali provida fuerit deliberatione statutum, ut canonicorum cathedralium ecclesiarum excessus, qui consueverunt corrigi per capitulum, per

ipsum in illis ecclesiis, quæ talem hactenus consuetudinem habuerunt, ac commonitionem et jussionem episcopi corrigantur infra terminum competentem ab episcopo præfigendum. Alioquin ex tunc episcopus Deum habens præ oculis, ipsos, prout animarum cura requirit, per censuram canonicam corrigere non postponat, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut circa canonicos, et clericos ecclesiæ vestræ forma correctionis hujusmodi observetur, præsertim cum per capitulum hactenus corrigi consueverint canonicorum et clericorum vestrorum excessus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani XVII kalendas februarii anno tertio.

C

Ad Joannem Strigoniensem archiepisc.

17 jan. 1219.

[Fejer, Codex diplom., III, I, 275. Theiner, Monumenta Hungariæ, I, 18, n. 28.]

Ut colligat vicesimam.

Honorius, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Strigoniensi, etc.

Dilecti filii exercitus christianus rem publicam universorum Christi fidelium agentes viriliter et potenter in partibus transmarinis, dum ad vindicandam injuriam crucis Christi, et terram, in qua pedes ejus steterunt, de perfidorum manibus vindicandam laudabiliter animam suam ponunt, cum tam nequeant ulterius suis totaliter stipendiis militare, clamant ad nos, preces supplices et omni favore dignissimas effundendo, ut sibi tam in victualibus quam pecunia necnon in aliis modis, quibus possumus, celeriter succurramus, sicut cupimus, ne deficiant, sed perficiant prælium Domini præliando : unde nos, qui ad liberationem terræ prædictæ tanto ardentius, inspirante Domino, aspiramus, quanto Christi causam utpote ipsius vicarii, licet immeriti constituti, tenemur gerere specialius, quinque millia marcarum et mille ducentas libras proventuum, præter naulum et alias multas expensas, quas Romanis crucesignatis dedimus, ad subventionem prædicti exercitus de camera nostra nuper providimus destinanda. Sed quia hæc sunt modica inter tantos expedit, ut adhuc alias eis copiosius succurrere festinemus, ne quod absit, mora periculum ad se trahat. Quum igitur, sicut scis, statutum fuerit in Concilio generali, ut omnes omnino clerici, tam subditi quam prælati, vicesimam ecclesiasticorum proventuum a tempore prædicti Concilii usque ad triennium integre conferant in subsidium Terræ Sanctæ, per manus eorum qui ad hoc fuerint Apostolica providentia ordinati, ecce dilectum filium Accontium subdiaconum et capellanum nostrum, virum utique providum et discretum, de cujus fide ac devotione plenam in Domino fiduciam obtinemus, propter hoc ad partes Hungariæ transmittentes, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente ac per Apospostolica scripta tibi in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus vicesimam tuorum proventuum, quam tuæ diœcesis, quæ nondum collecta est, colligas diligenter, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, et tam collectam quam colligendam, necnon pecuniam in truncis collectam et aliam receptam pro redemptione votorum fideliter sine diminutione qualibet, prædicto nuntio studeas assignare: alias eidem super negotio hujusmodi ob reverentiam divinam et nostram impensurus consilium et auxilium opportunum, ita quod et Deum, cujus principaliter causa geritur, propitium et nos tibi etiam reddas favorabiles et benignos. Datum Laterani XVI kal. februarii, pontificatus nostri anno tertio.

CI

Ad abbatem Sancti Lupi, cantorem et decanum Sancti Stephani.

17 jan. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 233. Mss. La Porte du Theil.]

Ne contra indulgentias et privilegia molestatio inferatur.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati Sancti Lupi... cantori majoris ecclesiæ, et... decano Sancti Stephani Trecen.

Nobis principaliter injuriosi videntur, qui contra indulgentias et privilegia Sedis Apostolicæ quosquam nituntur temere perturbare, molientes contra nostræ plenitudinem potestatis, dum ea irreverenter impugnant. Quum igitur sicut dilecti filii abbas et conventus Sancti Remigii Remen. nostris auribus intimarunt, nonnulli contra indulgentias et privilegia eorum monasterio ab Apostolica Sede concessa, ipsos multipli-

citer aggravent et molestent; nos nolentes eos super his indebite perturbari, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus abbatem et conventum prædictos contra indulgentiarum tenorem, quæ ab Apostolica Sede obtinent indebite molestari nullatenus permittatis. Molestatores indebitos per censuram ecclesiasticam appellatione remota veritate cognita compescendo, post duos annos præsentibus litteris minime valituris. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Laterani, XVI kalendas februarii, pontificatus nostri anno tertio.

CII

Ad archiepiscopum Senonensem et suffraganeos ejus.

17 jan. 1219.

[Regest, lib. III, epist. 231. Mss. La Porte du Theil.]

Admittendi sunt decani et canonici in concilio provinciali.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus... archiepiscopo Senonen. et suffraganeis ejus.

Cum olim tam ex parte capitulorum cathedralium provinciæ vestræ, quam dilectorum filiorum... decani et capituli beati Stephani Trecen., pro eo quod procuratores eorum ad comprovinciale concilium admittere nolebatis, ad Sedem fuerit Apostolicam provocatum, nosque dolentes super hujusmodi turbatione dissidii, cum in corpore Christi non deceat esse schisma, quod in vinculo pacis servare debet spiritus unitatem. Habito fratrum nostrorum consilio, pro cathedralium ecclesiarum procuratoribus admittendis sub certa forma vobis direxerimus scripta nostra, ut similis dissidii materia prædictis decano et capitulo beati Stephani auferatur, volumus et mandamus, quatenus procuratores eorum juxta formam eamdem ad concilia hujusmodi sine disceptatione qualibet de cætero admittatis. Datum Laterani decimo sexto kalendas februarii anno tertio.

CIII

Ad abbates de Zuetula et de Ebrach et priorem de Zuetula.

18 jan. 1218.

[Manrique, Ann. Cisterc., t. IV, p. 159.]

Eis mandat ut de vita R. Olomucensis episcopi diligentius inquirant.

Ad aures nostras, dilecto filio abbate Silocense insinuante, pervenit, quod licet venerabilis frater noster R. Olomucensis episcopus, Cisterciensis ordinis, regulam sit professus, ita tamen est in reprobum sensum datus, quod duobus homicidiis perpetratis, duas sorores Cunicensis monasterii moniales, et plures mulieres alias conjugatas cognovit carnaliter et quamdam virginem defloravit; hæc et alia committens turpia impudenter in suæ salutis dispendium, et scandalum aliorum. Quocirca discretioni vestræ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus inquisita super his diligentius veritate, quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quidquid statueritis per censuras ecclesiasticas firmiter observari. Quod si non omnes, duo saltem vestrum, etc. Datis Laterani, XV kalendas februarii, pontificatus nostri anno tertio.

CIV

Ad archidiac. et prælatos Vindocinenses.

18 jan. 1219.

[Chopin, De sacra politica, 445.]

Honorius Vindocinenses monachos diœcesano visitationis imperio exemptos esse jubet, authenticis litteris quarum hoc fuit exemplum.

Auctoritate præsentium inhibemus, ne quisquam archidiaconorum vel prælatus ab hujusmodi monachis, vel vobis ipsorum occasione, procurationes exigere præsumat : præsertim cum sacerdotes, qui ex vestris redditibus in prædictis villis et grangiis sustentantur, ratione parochiæ debitas procurationes exsolvant, etc. XV kal. febr. pontificatus anno tertio.

CV

Ad collectores censuum debitorum Romanæ Ecclesiæ.

19 jan. 1219.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 676. Regest., lib. III, epist. 236.]

Censum colligant Ecclesiæ Romanæ debitum, necnon indictam ecclesiis vicesimam partem reddit
tuum clericorum, et ea quæ pro votorum redemptione crucesignati in Terram Sanctam non proficiscentes persolverunt.

Honorius episcopus... dilectis filiis Centio presbytero, Uguicioni subdiacono et capellano nostro, basilicæ principis apostolorum canonicis, salutem, etc.

Sicut olim viva voce vobis injunximus.

ita et nunc discretionem vestram monemus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus cum omni mansuetudine et diligentia censum Ecclesiæ Romanæ ac vicesimam, nec non ea quæ a crucesignatis pro redemptione votorum suorum per ecclesiarum prælatos sunt recepta, colligere studeatis, et a singulis archiepiscopis, episcopis et abbatibus locorum a quibus ea collegeritis, litteras testimoniales habere curetis, quid et quantum receperitis continentes, et juxta consilium prælatorum collectam pecuniam in uno vel pluribus locis securis, cum ea cautela quæ convenit, deponatis, transmittendam in subsidium Terræ Sanctæ, præmissa omnia ita honeste ac provide impleturi, quod nulla contra nos vel vos valeat murmuris occasio subveniri, quin potius exinde vestra diligentia merito debeat commendari. Datum Laterani, XIV kalendas februarii, pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem modum scriptum est fratri Stephano et sociis ejus in Franciam destinatis.

In eumdem modum scriptum est fratri Johanni Hospitalario et fratri Martino Templario, in Alemanniam destinatis.

CVI

Ad decanum Trecensem.

22 jan. 1219.

[Ennen Quellen zur Geschichte der Stadt Köln, p. 76, n. 63.]

Ei mandat ut compositionem faciat observari.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio decano Trecensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum inter dilectos filios Guillelmum de Sancto Antonio, Beneincasam matrem Johannis Zachæ et Martinam uxorem quondam Scarlaci cives Romani ex una parte et bonæ memoriæ Gerardum præpositum Sanctæ Mariæ ad gradus in Colonia et magistrum Johannem scolasticum Carpensem nuncios et procuratores venerabilis fratris nostri Coloniensis archiepiscopi super debito decem et septem marcarum bonorum novorum et legalium sterlingorum, necnon damnis, pœnis, sumptibus et expensis, quæ iidem Romani a prædictis procuratoribus exigebant coram dilecto filio nostro G. tit. S. Anastasiæ presb. card., quem utrique parti concessimus auditorem, quæstio verteretur, tandem mediante et arbitrante cardinali eodem amicabilis inter eos compositio intervenit, quam ab utraque parte sponte receptam et adjecta pœna quadraginta marcarum et juramentis hinc inde corporaliter præstitis roboratam, sicut in ejusdem cardinalis litteris plenius continetur, duximus confirmandam, tenorem litterarum cardinalis prædicti de verbo ad verbum litteris confirmationis nostræ inseri facientes. Volentes igitur compositionem tam solemniter celebratam a partibus observari, ne, quod absit, exinde incurrerent detrimentum, discretioni tuæ per Apostolica scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus compositionem prædictam, sicut est auctoritate Apostolica confirmata, facias sublato cujuslibet contradictionis obstaculo inviolabiliter observari; contradictores sive præfatum archiepiscopum sive alios per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, nullis litteris obstantibus harum tenore tacito impetratis, seu etiam impetrandis nec obstante constitutione Concilii generalis, qua cavetur, ne quis ultra duas diætas extra suam diœcesim ad judicium trahi possit. Datum Laterani, XI kalendas februarii, pontificatus nostri anno tertio.

CVII

Ad Tolosanum ac Carcassonensem episcopos.

22 jan. 1219.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 676. Regest., lib. III, ep. 246.]

Dat eis potestatem absolvendi omnes propter violentam manuum injectionem et incendia excommunicatos, dummodo arma suscipere contra Tolosanos infideles voluerint.

Honorius episcopus..., venerabilibus frabribus Tolosano (*a*), Carcassonensi (*b*), Bigorritano (*c*), et Convenarum (*d*) episcopis, salutem, etc.

Cum ad subventionem fidelium qui contra perversores fidei christianæ decertant in partibus Tolosanis, fideles alios de mandato nostro sollicite animetis, ut labor noster fructum possit ulteriorem afferre, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut in

(*a*) Fulconi. (*b*) Guidoni. (*c*) Arnaldo de Biran. (*d*) Grimoaldo.

locis in quibus vos hujusmodi officium exercere contigerit, eis qui pro injectione manuum violenta, vel etiam pro incendiis, excommunicati habentur, si contra inimicos fidei supradictos ire voluerint, postquam passis injuriam satisfecerint competenter, absolutionis beneficium vice nostra impendere valeatis juxta formam ecclesiæ consuetam, nisi forsan aliquorum esset ita gravis et enormis excessus, quod merito essent ad Sedem Apostolicam destinandi. Concedimus etiam, ut, si qui, pœnitentia, vel voto ad laborem alicujus peregrinationis adstricti, ad succursum ire voluerint fidelium prædictorum, vobis liceat peregrinationes ipsorum in laborem hujusmodi commutare, Hierosolymitana peregrinatione duntaxat excepta, a qua nullum adstrictum ad illam propter hoc volumus excusari. Datam Laterani, XI kal. februarii, pontificatus nostri anno tertio.

CVIII

Ad præpositum et capitulum Quinqueecclesienses.

23 jan. 1219.

[Theiner, Monum. Hungariæ, I, 19, n. 29.]

Ut certam pecuniæ summam eidem capellano tradant.

Honorius, etc., dilectis filiis... præposito et capitulo Quinqueecclesiensi, salutem, etc.

Cum sicut nobis est pro certo relatum, bonæ memoriæ... Quinqueecclesiensis episcopus crucesignatus dimiserit quamdam summam pecuniæ pro subsidio Terræ Sanctæ, quæ ad manus vestras dicitur devenisse: quia principaliter interest nostra eidem terræ modis, quibus possumus, providere, sicut exercitus christianus specialiter ad nos clamat, congruum subdidium postulando : discretionem vestram monemus attente, per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus pecuniam ipsam dilecto filio magistro Accuntio sudiacono et capellano nostro, quem pro vicesima et aliis ad prædictæ terræ subsidium deputatis transmittimus colligendis, integre sine difficultate qualibet assignetis in ejusdem terræ subsidium destinandam. Alioquin venerabili fratri nostro... episcopo Cenadiensi nostris damus litteris in mandatis, ut vos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellat. Datum Laterani X kal. februarii, anno tertio.

CIX

Ad universos prælatos ecclesiarum Ecclesiæ Romanæ censualium per Hungariam constitutos.

24 jan. 1219.

[Fejer, Codex diplomaticus, III, I, 277. Theiner, Mon. Hungariæ, I, 19, 30.]

Ut censum debitum solvant.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus universis prælatis ecclesiarum Ecclesiæ Romanæ censualium per Hungariam constitutis, salutem, etc.

Universitatem vestram monemus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus censum Ecclesiæ Romanæ debitum dilecto filio magistro Accuntio subdiacono et capellano nostro, quem ad hoc providimus destinandum, singuli sine difficultate qualibet persolvatis. Datum Laterani IX kal. februarii, anno tertio.

CX

Ad abbatem et conventum S. Thomæ de Abirbrothoc.

26 jan. 1219.

[Liber S. Thomæ de Abirbrothoc, 156, n. 222.]

Ipsos cum omnibus bonis protegendos suscipit, specialiter autem ecclesias suas eis confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Sancti Thomæ martyris de Abirbrothoc, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligenter consuevit et ne pravorum hominum molestiis agitentur eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas et monasterium vestrum cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci : sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de Monifodu, de Stradechtyn, de Muraus, de Kerimo, de Kinernyn, de Rothuen et de Abirkerdos ecclesiis, cum capellis, terris et aliis pertinentiis suis, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis : vobis et per vos præfato monasterio vestro aucto-

ritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli igitur omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se novit incursurum. Datum Laterani VII kalendas februarii pontificatus nostri anno tertio.

CXI

Ad abbatem, et conventum S. Thomæ de Aberbrothoc.

26 jan. 1219.

[Liber S. Thomæ de Aberbrothoc, 156, n. 223.]

Eis terras et alia bona confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui monasterii sancti Thomæ martyris de Aberbrothoc salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, terram de Balfeth, terram de Glasker Batellum de Munros cum terra pertinente ad ipsum, terram de Monedene, terram de Gravioch, quatuor bovatas terræ in territorio de Kateripe, duas bovatas terræ in territorio de Rossyn, terram de Portincray cum piscaria, terram quæ est inter Ethkar et Kaledoun, terram de Ballegilleyrand, terram de Mundurnath. Annuum redditum unius marcæ vobis a bonæ memoriæ Fergus comite de Buchan pia liberalitate collatum. Toftum et croftum ac duas acras terræ in villa de Strakaterath, nemus de Trostach, unam Savath in territorio de Kengelduris. Annuum redditum dimidiæ marcæ in piscaria de Ur et alia bona vestra, sicut ea omnia juste et pacifice possidetis vobis et per vos dicto monasterio vestro, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani VII kal. februarii, pontificatus nostri anno tertio.

CXII

Ad abbates de Bretolio, de Merlimis et priorem de Bretolio.

26 jan. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 260. Mss. La Porte du Theil.]

Archidiaconus contentus sit de uno beneficio et non invadat quod archipresbyter consuevit percipere.

Honorius, etc., dilectis filiis... de Bretolio Cistercien. ordinis et de Merlimis abbatibus et priori de Bretolio Andegaven. diœcesis.

Venerabili fratre nostro... Cenomanen. episcopo accepimus intimante, quod cum in ecclesia Cenomanen. archipresbyteratus, et archidiaconatus officia ita diversa esse debeant et divisa, quod eorum alterum diaconi, aliud vero requirit officium sacerdotis, dilectus filius V. Cenoman. archidiaconus istud, sicut condecet, non attendens, suî archidiaconatus proventibus non contentus, illos præsumit percipere redditus, quos ibidem percipere archipresbyter ipsius ecclesiæ consuevit. Unde nobis idem episcopus supplicavit, ut, cum dictus archidiaconus ex eo credat in hoc defendere culpam suam, quod nos ea beneficia et ecclesias quæ ante generale Concilium pacifice tenuit sibi duximus confirmanda, cum expressam mentionem non fecerit de prædictis, præfatæ dignaremur ecclesiæ super his paterna sollicitudine providere. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad locum ipsum personaliter accedentes, et inquisita super his diligentius veritate, si vobis constiterit de præmissis, dictum archidiaconum, ut uno beneficio contentus resignet aliud, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani VII kalendas februarii pontificatus nostri anno tertio.

CXIII

Ad episcopum Cenomanensem.

26 jan. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 261. Mss. La Porte du Theil.]

Confirmatio divisionis in duas parochiales ecclesias in civitate Cenomanensi.

Honorius, etc., venerabili fratri... Cenomanen. episcopo.

Cum a nobis petitur, etc. usque *perducatur*

effectum. Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis, quod cum parochialis ecclesia de Longo campo tuæ diœcesis abundans redditibus affluenter, et parrochianorum multitudine plena tanto esset terræ spatio ampliata, quod vix in ea, ut cura requirebat ipsius, persona unica deservire poterat condecenter volens cultum ampliare divinum et animarum saluti providere desiderans in pastorem, cum deliberatione provida ordinasti, ut infra metas ipsius parrochiæ duæ sint a modo parrochiales ecclesiæ, ac duæ personæ ad animarum curas habendas instituantur in ipsis, quarum una duntaxat apud ipsam ecclesiam de Longo campo resideret, alia vero apud ecclesiam de Monte Audini, quæ capella ejusdem ecclesiæ hactenus extitit commoretur, ita videlicet quod utraque personarum ipsorum assignatis a te sibi redditibus sit contenta, et parrochianis qui infra certos limites continentur. Unde nobis humiliter supplicasti, ut ordinationem hujusmodi robur faceremus firmitatis habere. Nos igitur tuis precibus inclinati, ordinationem eamdem, sicut provide facta est, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis, etc. Si quis autem... Datum Laterani VII kalendas februarii pontificatus nostri anno tertio.

CXIV

Ad Bertrannum tituli sanctorum Joannis et Pauli cardinalem A. S. legatum.

26 jan. 1219.

[Regest. lib. III, epist. 233. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut ordinare velit difficultatem in quadam parochia Massiliensi.

Honorius, etc., dilecto filio B. tituli sanctorum Johannis et Pauli presbytero cardinali, Apostolicæ Sedis legato.

Ex parte venerabilis fratris nostri... episcopi et capituli Massiliensis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum fere septem millia civium Massilien. existentium in quadam parte civitatis Massiliensis, ad eorum ecclesiam pertinente, quæ separata est ab alia parte civitatis ejusdem, precisæ nostris, et ejusdem episcopi juraverint stare mandatis et justitiæ plenitudinem de se conquerentibus exhibere, parati ad majorem cautionem tum in pignoribus, tum in obsidibus, vel aliam quam expedire viderent his quibus committendum duxerimus, impendendam; volentes insuper ut qui ex eis reperti fuerint fuisse contra negotium pacis et fidei, animadversione debita percellantur, interdicti sententiam, quam sustinent, et cui causam aliquam non dederunt, quoad eos relaxare misericorditer dignaremur. Nos autem eorumdem episcopi et capituli precibus, quantum cum Deo possumus, annuere cupientes, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus personaliter ad prædictam partem præfatæ civitatis accedens, et diligenter inquirens de clericorum et laicorum partis ipsius excessibus veritatem, recepta prædicta et alia quam pro hujusmodi negotio expedire videris a dictis civibus cautione, ac punitis qui fuerint puniendi, quoad prædictos dumtaxat præfatam interdicti sententiam appellatione remota relaxes, proviso prudenter, ut illi qui absoluti fuerint, excommunicatos evitent, ita quod vigor ejusdem sententiæ nequaquam circa illos qui in excommunicatione remanserint enervetur. Si vero propter hostiles incursus, aut etiam locorum distantiam, sive propter negotiorum multiplicitatem personaliter exsequi prædicta nequiveris, ne tantum negotium interceptum et negligentia videatur Sedis Apostolicæ derelinqui, venerabilibus fratribus nostris... Ebredunen., et Aquen. archiepiscopis et... episcopo Nemausen., quos juxta consilium venerabilis fratris nostri episcopi Convenarum ad hoc idoneos esse credimus, sicut pacis et fidei negotio videbitur expedire, tam ex nostra quam tua parte injungas, ut ad locum personaliter accedentes, in negotio ipso juxta præscriptam formam quam a te ipsis exhibere volumus et mandamus, sublato appellationis obstaculo, procedere non omittant. Datum Laterani VII kalendas februarii, pontificatus nostri anno tertio.

CXV

Ad abbatem sanctæ Genovefæ et ejusdem conventus et Sancti Martini de Campis priores.

27 jan. 1219.

[Bibl. Nat. Mss. fond latin. n. 5992.]

Honorius non vult quod archiepiscopus Senonen. et suffraganei sui indebite vexent homines et villanos comitissæ Campaniæ.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Sanctæ Genovefæ, et Sanctæ Genovefæ et Sancti

Martini de Campis prioribus Parisien., salutem et apostolicam benedictionem.

Cum olim dilecta in Christo filia nobilis mulier B. comitissa Campaniæ bonæ memoriæ papæ prædecessori nostro conquerendo monstrasset quod venerabiles fratres nostri Senonen. archiepiscopus et quidam suffraganei sui contra bailivos et homines suos, occasione assumpta ex eo quod, ut dicebant, iidem aliquibus injuriam irrogabant, quanquam de ipsis prout spectabat ad eam parata esset omnibus justitiæ plenitudinem exhibere, in eos excommunicationis sententiam pro suæ voluntatis arbitrio promulgantes villas suas supponerent cogentes nihilominus præfatos homines suos aliquando super causis quæ ad ipsorum non spectant examen in sua præsentia respondere, tam in his quam in aliis eamdem comitissam multipliciter aggravando. Idem prædecessor noster prout in ejus litteris perspexit contineri, mandavit archiepiscopum et suffraganeos suos ab ipsius comitissæ ac hominum suorum super præmissis de cætero in debita molestatione compesci. Quum igitur præfata comitissa et dilectus filius Th. natus ejus nuper contra ipsum archiepiscopum et suffraganeos ac officiales eorum nobis tandem replicarunt querelam, nos gravamen ipsorum nolentes, conniventibus oculis pertransire nostra per Apostolica scripta mandamus quatenus dictum episcopum et suffraganeos ac officiales eorum ut ab eorumdem comitissæ ac comitis et hominum suorum super præmissis de cætero molestatione indebita conquiescant efficaciter moneatis, ipsos ad id, si necesse, districtione qua convenit sublato appellationis obstaculo compellentes. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequentur. Datum Laterani VI kal. febr. Pontificatus nostri anno tertio.

CXVI

Ad abbates S. Andreæ diœcesis.

30 jan. 1219.

[Theiner, Monum. Hiberniæ, 9, n. 22.]

Judicibus, ut de vita episcopi Moraviensis inquirant et referant, eumque Romam citent.

Honorius episcopus, dilectis filiis de Cupre, de Scone et de Dumferlin abbatibus S. Andreæ diœcesis, salutem.

Dilecti filii archidiaconus et cancellarius Moraviensis ecclesiæ per suas nobis litteras denuntiare curarunt, quod eorum episcopus, quærens in grege sibi commisso solummodo lac et lanam, interdum octavam et interdum tertiam partem suorum reddituum ab eis pro arbitrio suæ voluntatis extorquet, nihilominus ab eisdem pecuniam nomine procuratoris extorquens, licet eorum ecclesiis visitatoris officium non impendat, et non attendens, quod Dominus a templo vendentes columbas ejecit, ab ordinandis non solum pecuniam recipit, sed etiam exigit, et extorquet, alias eos collectis frequentibus intolerabiliter aggravando, ac male collectam pecuniam pœnis dissipans et dispergens, illam cum mulierculis, quarum est contubernio infamatus, prodigit et consumit, legitima quoque matrimonia pecunia mediante dissolvit, et non legitima tolerat, non propter pœnitentiam, sed propter pecuniam peccata dissimulans subditorum, qui super his et aliis sic publica laborat infamia, ut factus sit odor mortis in mortem, quibus se odorem vitæ in vitam debuerat exhibere. Et licet iidem archidiaconus et cancellarius ipsum caritative monuerint jam frequenter, ut reformaret in melius vitam suam, nihil tamen proficere potuerunt. Nolentes igitur hoc sub dissimulatione transire, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si famam præfati episcopi super prædictis inveneritis esse læsam, inquiratis super his sollicite veritatem, et tam ea, quæ inveneritis, quam quæ idem episcopus ad sui excusationem proponet, nobis sub vestris sigillis inclusa fideliter transmittatis, præfigentes ipsi episcopo terminum competentem, quo se nostro conspectui repræsentet pro meritis recepturus. Datum Laterani III kal. februarii, pontificatus nostri anno tertio.

CXVII

Ad abbatem et conventum de Tepla.

5 februarii 1219.

[Hugo, Annales Præmonstratenses, II, prob. 579.]

Abbatem et conventum de Tepla sub Petri et sua protectione suscipit, libertates quoque et immunitates eis confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui de Tepla, Præmonstratensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo

exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in posterum justis modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem villam de Tepla cum telonio, et villam de Lischtenstall cum foro et sylva, et omnibus pertinentiis earumdem, et de Sandau, de Cripse, de Plan, de Schihan, de Bernadid, de Schirnewid, de Clepi, de Ovenschi, de Biscovid, etc., de Rochau, villas cum omnibus pertinentiis suis. Curtim etiam Novi Montis super Albiam cum omnibus pertinentiis suis, et cætera bona, quæ bonæ memoriæ Uroznata comes Bohemiæ monasterii vestri fundator, pia vobis liberalitate donavit, libertates quoque et immunitates vobis a carissimo in Christo filio nostro Ottogaro rege Bohemiæ illustri concessas, sicut in ejus authentico plenius continetur, ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolornm ejus se noverit incursurum. Datum Laterani nonis februarii, pontificatus nostri anno tertio.

CXVIII

Ad episcopum, diaconum et archidiaconum Cabilonen.

6 febr. 1219.

[Regest., lib. III, ep. 277. Mss. La Porte du Theil.]

Ut beneficium præbendale subdiacono faciant assignari.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo, et dilectis fiiis... decano, et S. archidiacono Cabilonen.

Dilecti filii Johannes Eduen. et magister Martinus Silviniacen. archidiaconi suis nobis litteris intimarunt, quod cum... decanum et capitulum Virgiacen. Eduen. diœcesis auctoritate nostra monuerint diligenter, ut dilectum filium subdiaconum juxta quod scripseramus eisdem in canonicum reciperent et in fratrem, præbendale sibi beneficium assignando, majori parte canonicorum Virgiacen., sicut ex litteris eorum accepimus, in recompensationem illius ob reverentiam Sedis Apostolicæ concordante, decanus cum sociis suis super certo numero præbendarum objectis quibusdam frivolis exceptionibus, contra eum, quas una cum responsionibus partis alterius iidem monitores nostro apostolatui transmiserunt, noluit consentire. Ne igitur verbum quod de ore nostro procedit, ad nos vacuum revertatur cum sagitta Jonathæ retrorsum abire non debeat, sed dirigi potius in directum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus cum major pars, ut dictum est, jam consenserit in eumdem, nisi dictus decanus et sui cum sint numero pauciores aliud rationabile objecerint et probarint, propter quod fieri non debeat vel non possit, præfatus subdiaconus, cui a quibusdam fratribus nostris laudabile testimonium perhibetur, in Virgiacen. ecclesia in canonicum et fratrem admitti et assignari sibi præbendale beneficium faciatis. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani VIII idus februarii anno tertio.

CXIX

Ad Raynerium Interamnensem episcopum.

12 febr. 1219.

[Bullar. Romanum, ed. Taur. III, 348, n. 31.]

Ei confirmat concessiones, redditus, jura et omnia quæ Interamnensis communitas episcopatui assignavit in dotem.

Honorius, episcopus, etc., ven. fratri nostro Raynerio Interamnensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectum consequenter complere. Ea propter, ven. in Christo frater episcope, tuis justis postulationibus grato concurrentes affectu concessiones, redditus, jura, et omnia, quæ Interamnensis communitas episcopatui assignavit in dotem, sicut ea omnia juste possides, et quiete, et instrumento inde confecto plenius continetur, tibi, ac successoribus tuis auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus : ad rei au-

tem evidentiam pleniorem, tenorem ipsius instrumenti præsentibus de verbo ad verbum fecimus annotari, qui talis est : « In Dei nomine, anno Domini MCCXVIII tempore D. Honorii Papæ III, indict. VI, mense februarii. Hoc namque tempore nos Petrus Capitonus potestas, et Jacobus Petri camerarius cum consilio, consensu, et auctoritate consiliariorum Interamnensis non vi, nec dolo ducti, sed nostra bona, propria, ac spontanea voluntate, præsente magistro Gratia capellano D. Papæ, primo ad ordinandum dotem episcopatus Interamnensis, et secundo ad incathedrandum ipsum D. episcopum, et assignandum eidem D. episcopo possessiones, et redditus, et jura episcopatui concessa a D. Papa Honorio destinata, et verbum inde concione ad populum proponente, et populo universo reclamante, et assentiente pro nobis, et successoribus nostris, et communantia, et populo Interamnensi damus, donamus, tradimus, concedimus, atque largitur ecclesiæ Interamnæ ad opus episcopatus, et vobis D. Raynerio episcopo Interamnæ, et per vos, et vestris successoribus in eadem ecclesia in perpetuum in dotem omnia infrascripta tenimenta, et possessiones terrarum, vinearum, canapinarum, et jardini, sicut suis finibus clauduntur, videlicet totum tenimentum canapinarum, quæ habent hos fines, a primo palatium, et parlatium, et via, quæ vadit ad portam... a secundo, murus civitatis, a tertio, forma, a quarto, terra, et vinea canonica, et istæ possessiones consistunt infra murum, et extra murum civitatis, et totum jardinum, quod est infra palatium, ita quod nulla domus circa palatium habeat exitum, vel prospectum de intra in ipsum jardinum excepto, quod domus et criptæ Guidonis Thebalduccii debeant ostia, et fenestras, sicut modo habent, salvo quod ipse Guido faciat a via jardini versus domus, et criptas suas murum fieri ita altum usque ad fenestram ipsius domus altiorem, quæ modo ibi est, ita quod non fiat in prænominato jardino prospectus, et totum tenimentum quod insistit extra formam, et habet suos fines; a primo, formam; a secundo Arderado, secundum quod recte vadit, iter a forma per illud, quod fuit Arderadi usque in viam; a tertio, via publica, a quarto, filii Oderisii per quod vadit via, qua itur ad pontem S. Martini, et totum tenimentum, positum in vocabulo S. Martini, et habet fines, a primo, secundo, et tertio, via; a quarto Petrus Raynutii, et Joannes Jordani, et totum tenimentum terræ positæ in vocabulo Canneti vel crucis S. Fortunati, et habet suos fines; a primo forma, sive fossatum; a secundo, via, quæ vadit ad Collem Lunæ; a tertio, Thomaso Matthæi, et Joannes Berardusii Bai, et Angelus de Mælatii, et filia de Scropona, et assale; et Raynutius de Benencasa, et limes Canniti, et Sinibaldus Matthæi, sicut recte descendit a limite inferiori per illud quod fuit dicti Sinibaldi, et filii Laurentii, et Carboncellus, et Thomas de Ductaleva et filia de Benencasa de Pagano usque in viam canneti; a quarto, via canneti et Bai de Benencasa, et Paulus in Golano, sicuti recte venit inferius per illud quod fuit ipsius Pauli, et filii Padei Joannis Cemello, et terra sancti Petri Licon, et Baji Renaldi, et filius Nicolæ de Cassa, et Paulus Baji, usque in prænominatum fossatum, sive formam per quem campum labitur forma de foris, et quinque cannas ad justam mensuram, qua mensuratur circa eclesiam S. Fortunati, undique, et totum tenimentum vinearum, et terræ, quod est positum in vocabulo S. Savini, et dolii, et habet fines a primo, et a secundo, et a tertio, via, a quarto falco bonefide, et filii Tallacozzi, et Bolletta, et totum spatium terræ positum, ibidem ab alia parte videlicet quæ fuit Matthæi Gottifredi, et habet hos fines, a primo, et secundo, via; a tertio, filii de Franco Gislerii, et a quarto, dictus Gottifredus, reservato jure eundi, et redeundi cum suis necessariis ad Gottifredum, et filios per dictam terram sine malitia et eorum hæredes, et totum tenimentum vinearum, et terræ positæ ad S. Mariam de Rocca, et habet suos fines a primo, et a secundo, via; a tertio, possessio S. Nicolai foris portam et Donadeno Berardi; a quarto, filii Jo. Berardi sicut recte venit inferius in viam per illud quod fuit filiorum Joannis Berardi et aliud petium terræ positum ibidem, et habet fines a primo, via; a secundo, a tertio, et quarto, terra prædictæ ecclesiæ, et unum de Calcaja, cum terra sibi subjacente, et totum tenimentum terræ positum in flumine, et habet hos fines; a primo, Paulus Falconus; a secundo, forma; a tertio, possessio canonica, a quarto, fossatellum, infra quos fines, et in jam dictis vocabulis damus, donamus, tradimus, atque largimur vobis D. Raynerio episcopo Interamnensi supradicto, et vestris

successoribus, et ipsius ecclesiæ Interamnæ memoratæ in perpetuum in dotem omnia supra scripta tenimenta, et possessiones terrarum, vinearum, canapiarum et jardini cum introitibus, exitibus, et omnibus usibus, et utilitatibus suis, et cum omnibus infra se, vel super se habentibus, et habendis, ad habendum, tenendum, possidendum, et quidquid vobis et vestris successoribus deinceps placuerit faciendum, item damus similiter domus, concedimus, tradimus, atque largimur vobis D. Raynerio episcopo Interamnæ, et vestris successoribus in perpetuum in dotem omnes redditus subnotatos, et jura per subscripta a capitulo declarata, scilicet, de qualibet sarcina lignorum ad ignem, quæ intrabit in civitate Interamnæ recipiat episcopus vel ejus nuncius ad voluntatem suam. »

« Item quicumque est vel erit venditor piscium publicum in civitate Interamnæ, vel in ejus burgis, in qualibet hebdomada dabit unum piscem episcopo, non majorem, nec minorem, sed mediocrem. Item de quolibet clibano civitatis, vel burgi, qui est, vel erit, et his qui sunt inter mormam, et flumen habeat episcopus quolibet sabato unum panem boni frumenti de iis quos habuerit clibanarius pro fornatico. »

« Item quicumque est, vel erit macellarius, in vigilia Nativitatis Domini dabit unam spallam porcinam, et integram cum cute episcopo Interamnensi. Item quicumque est vel erit, qui habeat molendinum ad partem, vel coptumum dabit in festivitate S. Mariæ Augusti unum raserium annonæ episcopo Interamnensi ad raserium communitatis nostræ, cum quo publice venditur, et emitur. Item si domini molendini retinuerit molendinum, ita quod non det aliis ad partem, vel coptumum, similiter solvat, unum raserium annonæ episcopo Interamnæ prædicto tempore, item quicumque est, vel erit ferrarius, qui habeat focinam, dabit unum par de ferriis cum clavis episcopo Interamnæ ad voluntatem episcopi omni anno, exceptis quatuor de ferrariis si maluerit episcopus qui dabunt ei quatuor cultellos, inter omnes quatuor. Item quicumque est, vel erit pandarius lanæ, dabit episcopo annuatim mediam libram ceræ in vigilia Nativitatis Domini. Item quicumque est, vel erit mercator, qui vendat res suas ad pondus libræ, dabit annuatim episcopo quartam partem piperis in vigilia Nativitatis Domini: item quicumque est, vel erit coljolarius, dabit annuatim episcopo unum par sutellarium ad sensum episcopi. Item quicumque est vel erit magister lapidum, vel lignorum, dabit episcopo singulis annis unam operam sine fraude ad voluntatem episcopi, et cum expensis episcopi, videlicet comestionis. Item de quolibet bove, vel vacca ad arandum habeat episcopus, in vigilia Omnium Sanctorum duodecim Lucenses. »

« Item quicumque erit textor, vel textrix canaparii in civitate, vel burgis solvat annuatim in vigilia Omnium Sanctorum D. episcopo, qui pro tempore erit, mediam libram piperis, salvo quod si plures essent textores, vel textrices similes in una domo, et in una familia, non solvat nisi unus eorum. Item quicumque est, vel erit pelliparius, det, et solvat omni anno in vigilia Omnium Sanctorum D. episc. mediam libram ceræ. Item de omnibus acceptis sive intratis, quæ communitas Interamnensis habebit, teneatur communitas dare D. episcopo decimam, quam decimam camerarius, qui pro tempore erit, solvere teneatur, excepto quod de collectis, quæ universaliter per civitatem colligent, et de condemnatis, et condemnandis ad murum civitatis faciendum non fuit permissa decima; et quicumque suprascripta non observarerit, requisitus teneatur solvere pœnam duplicem, et pœna soluta nihilominus persolvat. Item constituimus et ordinamus, quod episcopus non constringatur aliquo bando de vendendo vel extrahendo blada, vel vina, vel quidquid de fructibus terræ voluerit intra in civitate, vel extra, prout sibi placuerit. Item constituimus, et ordinamus, quod episcopus et canonici non teneantur solvere salarium pro causis, quas habuerint in curia Interamnensi rerum canonicatus, et episcopatus. Item constituimus, et ordinamus, quod nulli excommunicato ab episcopo, et denunciato justitia flat in curia communitatis Interamnæ, nisi prius satisfecerit, et hæc capitula constituimus, et volumus per nos, nostrosque successores, et per populum Interamnensem firma, et rata perpetuo teneri. Item constituimus, et ordinamus, quod de omnibus expensis, quas fecerit episcopus in causis extra civitatem pro retinendo, et recuperando episcopatu, et jura ipsius episcopatus cum hominibus qui non sunt cives Interamnæ, communitas ipsa teneatur fa-

cere expensas pro tertia parte, et hoc usque ad decem annos, quia hæc omnia supra scripta sunt ob reverentiam sanctæ Ecclesiæ, et vestram, vestrorumque successorum, nostra a mera, bona, propria, ac spontanea voluntate nobis placuit dare, tradere, et constituere, ac ordinare. »

« Insuper promittimus, et obligamus nos, nostrosque successores in hoc officio extituros, et populum Interamnensem vobis D. Raynerio episcopo Interamnæ, et vestris successoribus, præsente magistro Gratia capellano D. Papæ supradicto, verbum in concione super prædictis, et aliis ad populum proponente, et unanimiter populo consentiente hanc chartam, et dationem datis, omnium prædictarum rerum, possessionum, reddituum, ac statutorum semper in perpetuum firmam tenere, et contra nullo modo venire. Quod quidem si hanc chartam, et ea quæ supradicta sunt rumpere vel falsare, ant in aliquo immutare voluerimus, aut si hæc prædicta in curia, vel extra curiam litigando, aut alias molestando venire tentaverimus, vel si res prædictas quandocumque et ubicumque necesse fuerit ab omni homine, jure, et etiam per vim non defenderemus, quia noluerimus, aut non potuerimus, componemus ipsas res, quæ evincerentur in duplum nomine canæ, et pœna soluta, hæc charta, et omnia supradicta nihilominus firma semper, et illibata permaneant. Nos Petrus Capitanus potestas, et Jacobus camerarius prædicti cum consilio, et auctoritate consiliariorum Interamnensium, sicut supra legitur, scribi rogavimus. Ego Joannes imperiali curia notarius, de mandato, et precibus, et auctoritate omnium supradictorum hanc chartam, et omnia supradicta scripsi, et in publicam formam redegi. »

Nulli ergo omnino hominum, etc.

Datum Laterani secundo idus februarii pontificatus nostri anno tertio.

CXX

Ad episcopum Engolismen.

12 feb. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 205. Mss. La Porte du Theil.]

Ut in presbyterum Thomam, monachum S. Amantii, promoveant.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Engolismen.

Thomas monachus Sancti Amantii de Buxia proposuit coram nobis, quod cum in annis esset puerilibus constitutus, quædam barra ferrea super dexteræ suæ pollicem fortuito casu cadens, ungulam evulsit ab ea. Cum autem desideret, sicut asserit, in sacerdotali officio Domino famulari, nobis humiliter supplicavit, ut per te, qui ejus diœcesanus existis, promoveri eum in presbyterum mandaremus. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si ad frangendum Eucharistiam sit in pollice ipso potens, et aliud canonicum non obsistat, propter deformitatem hujusmodi non dimittas quin eum ad ordinem promoveas sacerdotis. Datum Laterani secundo idus februarii anno tertio.

CXXI

Ad abbatem et conventum monasterii Sanctæ Mariæ de Wolkolderos.

13 febr. 1219.

[Frid. Rudolphi Gotha diplomatica, II, 267.]

Ipsos protegendos suscipit omnesque eorum possessiones ac bona, jura et privilegia confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati monasterii de Volkolderos ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis. I. N. P. P. M.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod tamen absit, sacræ religionis infringat. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium sanctæ Dei genitricis et Virginis Mariæ de Volkolderos in quo divino estis obsequio mancipati sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus.

In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium in eodem monasterio institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successori-

bus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis ac etiam graminis, possessionibus, pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis, et pascuis in vasto et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis.

Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, de possessionibus habitis ante Concilium generale sive de ornis et virgultis et piscationibus vestris vel de nutrimentis animalium vestrorum, aut etiam de novalibus nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat.

Licet quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere et eos absque contradictione retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio vestro professionem, fas sit sine abbatis sui licentia, de eodem loco discedere; discedentem vero absque communi litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis retinere forte præsumpserit, licitum vobis sit in ipsos monachos vel conversos regularem sententiam promulgare, illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dare sive alio modo abalienari, absque consensu totius capituli vel majoris an sanioris partis ipsius; si quæ vero donationes vel alienationes, aliter quam dictum est, factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc etiam prohibemus, ne aliquis monachus sive conversus sub possessione vestræ domui adstrictus sine consensu et licentia abbatis et majoris partis vestri capituli pro aliquo fide jubeat, aut ab aliquo pecuniam mutuo accipiat, ultra pretium capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem; quod si facere forte præsumpserit, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere. Licitum præterea sit vobis in causis propriis sive civilem sive criminalem contineant quæstionem, fratrum vestrorum testimoniis uti, ne pro defectu testium jus vestrum in aliquo valeat deperire.

Insuper auctoritate Apostolica inhibemus ne ullus episcopus vel alia quælibet persona ad synodos vel conventus forenses vos ire, vel judicio sæculari de vestra propria substantia vel possessionibus vestris subjacere compellat, nec ad domos vestras causa ordinis celebrandi, causas tractandi, vel conventus aliquos publicos convocandi venire præsumat, nec regularem abbatis vestri electionem impediat, aut de instituendo vel removendo eo, qui pro tempore fuerit contra statuta Cisterciensis ordinis si aliquatenus intromittat. Si vero episcopus, in cujus parochia domus vestra fundata est, cum humilitate ac devotione quæ convenit, requisitus, substitutum abbatem benedicere et alia quæ ad officium episcopale pertinent, vobis conferre renueret, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios novitios benedicere et alia quæ ad officium suum pertinent, coercere et vobis omnia ab alio episcopo percipere, quæ a vestro fuerint indebita denegata. Illud adjicientes, ut in recipiendis professionibus quæ a benedictis et benedicendis abbatibus exhibentur, ea fuerit episcopi forma, ea expressione contenta, quæ ab origine ordinis noscitur instituta, ut scilicet abbates ipsi, salvo ordine suo profiteri debeant, et contra statuta ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum, sive pro oleo sancto et quolibet alio ecclesiastico sacramento nullus a vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio quolibet modo quidquam audeat extorquere; sed hæc omnia gratis vobis episcopus diœcesanus impendat, alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate nobis, quod postulatur, impendat. Quod si sedes diœcesani episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis, sic tamen ut ex hoc in posterum propriis episcopis nullum præjudicium generetur, quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habetis, si quem episcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis per vos transire contigerit, ab eo benedictionis vasorum, et vestium, consecrationes altarium, ordinationes monachorum, auctoritate Apostolicæ Sedis recipere valetis.

Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas inibi constitutas suspensionis, et excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros pro eo quod decimas, sicut dictum est, non persolvitis, sive aliqua occasione eorum quæ ab Apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo, quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate præstiterint, vel ad laborandum adjuverint in illis diebus vos laboratis et alii feriantur, eamdem sententiam protulerint, ipsam tanquam contra Sedis Apostolicæ indulta prolata duximus irritandam, nec litteræ ullæ firmitatem habeant, quos tacito nomine Cirterciensis ordinis et contra tenorem apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari. Præterea cum commune interdictum terræ fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro monasterio, exclusis excommunicatis et interdictis, divina officia celebrare. Paci quoque tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, homines temere capere vel interficere seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ordini vestro concessas, nec non et libertates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis inductas, auctoritate Apostolica confirmavimus et præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum propriorum gubernatio ac sustentatio concessa sunt usibus omnimodis profutura salva Sedis Apostolicæ auctoritate.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. (*Sequuntur suscriptiones cardinalium.*)

Datum Laterani, per manum Ranerii Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, idus februarii Indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno MCCXVIII, pontificatus vero domini Honorii PP. III anno tertio.

CXXII

Ad præpositum et capitulum S. Salvii Albien.

13 febr. 1219.

[Regest., lib. III, ep. 280. Mss. La Porte du Theil.]

Eorum possessiones sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius, etc., dilectis filiis... præposito et capitulo ecclesiæ sancti Salvii Albien.

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Eapropter, etc., *usque* assensu, personas vestras et locum in quo mancipati cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem Sancti Africani, Sancti Michaelis de Borzac, Sancti Benedicti de Bosco, Sancti Africani de Alauz, Sancti Benedicti de Montilio, Sancti Salvii de Petraforte, Sancti Saturnini de Intermontis, Sancti Petri de Cambo, Sancti Petri de Conilio, Sancti Nicolai de Gaulena, Sancti Stephani de Brugarolis, Sancti Martialis de Pasamaco, Sancti Petri et Sanctæ Genovefæ de Monasterio, Sancti Martini de Sarmasis, Sancti Laurentii de Lopraco, Sancti Johannis de Lausasam, Sancti Genesii, Sancti Salvii de Fenzet, Sancti Victoris, Sancti Salvii de Cofolens, Sancti Epartii et Sanctæ Mariæ, de Sancto Epartio, Sancti Salvii de Gerosens, Sancti Michaelis de Monthelio, de Combortio, de Armairaco, et de Lentinio et de Conazaco ecclesias cum omnibus pertinentiis suis, grangiam montis Salvii cum pertinentiis suis, podium Sancti Africani, possessiones, et alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis, et

per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad hujus autem specialis nostræ protectionis, et confirmationis indicium, unum obolum aureum gratis oblatum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Nulli ergo, etc., Si quis autem, etc., Datum Laterani, idibus februarii, pontificatus nostri anno tertio.

CXXIII

Ad decanum Nivernensis ecclesiæ.

13 febr. 1219.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 677. Regest., lib. III, ep. 282.]

Deficientibus pecuniis Herveo comiti Nivernensi, pro Christo in transmarinis partibus peregrinanti, mandat Honorius, ut integre et accuratius colligatur taxatio eidem comiti concessa.

Honorius episcopus... dilectis filiis, decano, (1) thesaurario et sacristæ Nivernensis ecclesiæ, salutem.

Cum dilectus filius, nobilis vir, comes Nivernensis (2), crucesignatus exsequeretur potenter, ultra quam propriæ facultates sibi suppeterent, votum suum; nos bonæ memoriæ Bituricensi archiepiscopo, et venerabilibus fratribus episcopis, in quorum diœcesibus terra comitis supradicti consistit, direximus scripta nostra, ut eidem ad exsequendum plenius et commodius ejus propositum, ipsius terræ tam vicesimam, quam collectam in truncis eleemosynam, assignarent, de quibus parum, sicut accepimus, comes ipse percepit, illis, per quos assignari prædicta mandavimus, tepidis ad hoc existentibus et remissis. Unde comes ipse, agens in partibus transmarinis rem publicam et negotium Crucifixi, nobis fecit humiliter supplicari, ut pro Crucis reverentia sic super hoc provideremus eidem, ut ipse, qui propter hoc majora subiit onera expensarum, spe quam concepit de provisione hujusmodi non frustretur, et ex hoc commune negotium dispendium non incurrat. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, prædicta fideliter colligentes, ea integre juxta prioris mandati nostri tenorem procuratoribus ejusdem comitis assignetis, contradictores etiam, qui infra terram ejusdem comitis ad Romanam Ecclesiam immediate pertinere noscuntur, sublato appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam compellentes. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, idibus februarii, anno tertio.

(1) Hugoni.

(2) Herveus.

CXXIV

Ad abbatem et conventum S. Victoris.

15 febr. 1219.

[Belzunce, Antiq. de Marseille, II, 82.]

Concedit ut, si canonici ad obsequia venire malitiose noluerint requisiti, eis liceat corpora mortuorum ad cœnobium deportare.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Sancti Victoris Massiliensis, salutem, etc.

Cum hominum non sit malitiis indulgendum, indignum credimus et absurdum ut alienis machinationibus aliquis in jure suo præjudicium patiatur. Sicut autem vestra nobis relatio patefecit, mos antiquius hactenus habuit, ut mortuorum corpora, qui sepulturam, apud vestrum monasterium, elegerint, extra civitatem canonicis matricis ecclesiæ et clericis prosequentibus, deferrentur. Quoniam igitur canonici se subtrahunt ab hujusmodi funeribus exsequendis, volentes cœnobio vestro sub hoc prætextu solitas subtrahere sepulturas, ad exemplar felicis recordationis Clementis papæ prædecessoris nostri, universitati vestræ præsentibus indulgemus, quatenus si a vobis commoti, secundum antiquam consuetudinem, ad obsequia malitiose venire noluerint requisiti, aliquibus de vestro collegio, sine alicujus appellatione vel contradictionis obstaculo, liceat de mortuorum domibus ad vestrum cœnobium eorum corpora deportare, qui scilicet apud vos devoverunt sepeliri. Nulli ergo, etc. Datum Laterani XV kal. martii, pontificatus nostri anno tertio.

CXXV

Ad Azonem abbatem S. Benedicti.

17 febr. 1219.

[Margarini, Bull. Casin. I, 33.]

Ipsi ejusque successoribus usum mitræ indulget.

Honorius, etc., dilecto filio Azoni S. Benedicti super Padum, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad hoc in ecclesia Dei visibilis est sacramentorum species instituta, ut per exteriora, quæ cernimus, ad interiora quæ in-

telligimus, transmittamur. Inter cæteros siquidem sacramentales ornatus prælatorum ecclesiæ mitra conceditur, quæ cum in capite deferatur, in quo viget sensuum plenitudo, per visibilem faciem prælatus jugiter admonetur, ut caput nostrum, qui Christus est, humiliter reverendo ad ipsum actus dirigat universos, cum sit bonorum omnium ipse donator. Cum igitur monasterium Sancti Benedicti super Padum, quod Romanam Ecclesiam nullo respicit mediante, sincera diligamus in Domino charitate, volentes ipsum in te alicujus dignitatis privilegio decorare, ut et Ecclesiæ Romanæ magis existat obnoxius et devotus, et fortius et efficacius regimini commissi tibi monasterii debeas imminere, usum mitræ tibi et successoribus tuis de benignitate Sedis Apostolicæ indulgemus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Dat. Laterani XIII Kal. martii, pontificatus nostri anno tertio.

CXXVI

Ad Præmonstratensem abbatem.

18 febr. 1219.

[Le Paige, Bibl. Præmonstrat., 650.]

Præmonstratenses decimas de novalibus a tempore Concilii excultis, solvere non tenentur.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Præmonstratensi et universis coabbatibus suis et fratribus, sub eodem ordine Deo servientibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Contingit interdum quod nonnulli propriis incumbentes affectibus, dum sanctionum sensum legitimum ad sua vota non habent accommodum, superadducunt adulterum intellectum, in temporali compendio æternum dispendium non timentes. Sane sicut audivimus, quidam suo nimis inhærentes ingenio, nimiumque voluntarii, Concilii generalis interpretes, de novalibus post idem concilium acquisitis, a vobis intendunt decimas extorquere. Ne super iis vos contingat indebita molestatione vexari, nos interpretationem illorum intellectui constitutionis prædicti concilii super Præmonstratensium decimis editæ, asserimus peregrinam. In ipsa quidem expresse cavetur, ut de alienis terris, et amodo acquirendis, si eas propriis manibus aut sumptibus colueritis, decimas persolvatis ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur. Unde si ad prope positum aciem discretionis intenderent, advertentes nihilominus de quibus novalibus Apostolica Sedes intelligat, indulgentiam super talibus piis locis concessam, non sic circa novalia novæ interpretationis ludibrio, injuria fatigarent. Inhibemus igitur auctoritate præsentium, ut nullus a vobis de novalibus a tempore Concilii excultis, vel in posterum propriis manibus aut sumptibus excolendis, decimas exigere vel extorquere præsumat. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani XII Kal. martii, pontificatus nostri anno tertio.

CXXVII

Ad decanum et capitulum Parisienses.

18 febr. 1219.

[Guérard, Cartulaire de l'église de N.-D. de Paris, I, 228.]

Ipsis indulget decimas novalium de nemoribus suis propriis, quæ habuerant ante Concilium generale, prout redigentur in posterum ad culturam.

Honorius, etc., dilectis filiis decano et capitulo Parisiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum; ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, decimas novalium de nemoribus vestris propriis, quæ habuistis ante Concilium generale, prout redigentur in posterum ad culturam, vobis de speciali gratia indulgemus, ita tamen ut satisfiat sacerdotibus competenter, in quorum parochiis sunt ipsa nemora constituta. Nulli ergo, etc. Datum Laterani XII Kal. martii pontificatus nostri anno tertio.

CXXVIII

Ad abbatem Præmonstratensem.

18 febr. 1219.

[Le Paige, Bibl. Præmonstrat. 651.]

Decimas novalium Præmonstratenses solvere non tenentur.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Præmonstratensi et universis coabbatibus ejus et fratribus, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia ejus est interpretare jura, cujus est

condere, nos habentes utriusque, licet immeriti, potestatem, auctoritate præsentium declaramus, quod licet statutum fuerit in Concilio generali, ut fratres ordinis Præmonstratensis de alienis terris, et a tempore prædicti Concilii acquirendis, si eas propriis manibus aut sumptibus excoluerint, solvant decimas ecclesiis, quibus ratione prædiorum ante solvebantur, nisi cum ipsis ecclesiis, aliter duxerint componendum, non tamen intelligendum est vos teneri ad decimas de novalibus persolvendas. Unde statuimus ut de novalibus vestris excultis a tempore Concilii generalis, aut in posterum excolendis, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Nulli ergo ommino, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani XII kal. martii pontificatus nostri anno tertio.

CXXIX

Ad Wilhelmum abbatem ejusque fratres.

20 febr. 1219.

[Dugdale, Monasticum Anglicanum, II, 232, n. 21.]

Privilegium de omnibus libertatibus Sancti Albani et possessionibus cum cellis adjacentibus.

Honorius, etc., dilectis filiis Willelmo abbati monasterii Sancti Albani ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringatur. Eapropter, dilecti in Domino filii, ob reverentiam beati Albani gloriosi Anglorum protomartyris, cujus sacratissimum corpus in loco vestro requiescere dignoscitur, prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Calixti, Cœlestini, Eugenii, Adriani, Alexandri, Lucii, Clementis et Cœlestini tertii, Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium ipsum, in quo divino vacatis obsequio, quod ad jus beati Petri specialiter spectare dignoscitur, cum adjacentibus cellis et ecclesiis et omnibus eidem monasterio pertinentibus, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut universa quæ illustris memoriæ Offa videlicet, et filius ejus Egfridus, Edredus, Willielmus, et Henricus, Ricardus, Johannes, Anglorum reges, aut alii fideles de suo jure vestro monasterio contulerunt, quæcumque etiam ipsum monasterium in præsentiarum juste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : videlicet, monasterium ipsum beati Albani cum villa tota, ecclesiam beati Petri, ecclesiam quoque B. Stephani et ecclesias de Ryngesbyri et de Watford, Richemareswithe, de Langeleya, de Rethburne, de Cudicote, de Waldene, de Hecstonestun, de Northuna, de Neuham, de Estuna, de Barnet, de Scepeale, de Thinhirli, de Brantefeld, de Stanmere, cum eisdem villis et omnibus earum pertinentiis. Ad susceptionem hospitum, ecclesiam de Podesgrave et ecclesiam de Lutune cum ecclesia de Hoctune et cum tota terra quam Willielmus camerarius tenuit in soca Lutunie (1) et in villa de Hoctune et in Hertwell et in Badelesdune et in Podesgrane et cum omnibus terris et decimis et quibuscumque rebus ad eas pertinentibus, sicut regis Henrici carta testatur. Ad coquinam monachorum, ecclesiam omnium sanctorum in Suberia cum capella de Berindune et adjacente terra, et ecclesiam de Lethewrtha cum capella de Burgalexa. Ad sustentationem pauperum, ecclesiam de Heveresdune et ecclesiam de Henebella cum adjacente terra, et ecclesiam de Wengrave cum decima de Heswa et de Ryngetune, et decimam de Roynges. Terram quoque quam Willielmus filius Gaufridi dedit, scilicet unam hidam in Helesburne in sartis de Wydehale, et unam virgatam in nemore ejusdem Wydehall, sicut donatoris carta confirmat. Ad cameram monachorum, ecclesiam de Thirefeld. Ad sacristiam, ecclesiam de Dachat, et ex dono Hamonis in villa de Chalfunte unam virgatam terræ et dimidiam et unam assartam cum libera pastura pecudum et porcorum. In Eboracisira eccles. de Hapeltune cum ecclesia Haymundesby et omnibus earum pertinentiis. Præterea ecclesiam de Tynemuhe, cellam de Bynham, cellam de Wymundham, cellam de Walinford, cellam de Benwer, cellam de Herford, cellam de Bello Loco, cellam de Hethfeld,

(1) Mss. Socalutinie.

cum omnibus omnium earum pertinentiis, dignitatibus, ac liberis consuetudinibus, nec non alias ecclesias, decimas, villas, terras, aquas, prata, pascua, sylvas, redditus etiam et omnia eidem monasterio vel cellis ejus pertinentia, sicut in privilegiis pontificum, regum vel aliorum scriptis fidelium continetur; quidquid præterea dignitatis, libertatis et competentis ecclesiæ ac monasterio consuetudinis per regum vel aliorum fidelium scripto, loco eidem et cellis ejus collatum est, nos quoque hujus scripti nostri robore confirmamus, ut videlicet ecclesias Sancti Albani et cellæ ejus et omnia ad eas pertinentia libera sint ab omni tributo sive regis seu episcopi, sive comitis, vicecomitis, ducis, judicis et exactoris et omnibus operibus quæ indici (1) vel emendatione pontium, castellorum, parcorum.

Omnia autem pontificalia jura cellarum Sancti Albani et ecclesiarum ejus sub ejusdem abbatis dispositione ac arbitrio permaneant. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, benedictiones abbatis, monachorum seu clericorum ordinationes, a quocumque malueritis catholico suscipiatis antistite, qui nimirum nostra fultus auctoritate quod postulatum fuerit indulgeat, nec quod petieritis audeat denegare. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur. Sed liceat vobis communi consilio, conventus vel partis consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam, absque ullius contradictione abbatem eligere, qui in susceptione benedictionis suæ cunctis in posterum diebus soli Romanæ Ecclesiæ professionem obedientiæ debeat exhibere. Cui etiam abbati licitum sit, sicut a prædecessoribus nostris vobis concessum est, personam de suis fratribus quam maluerit honestam, idoneam et maturam constituere, quæ curam animarum sub eo gerat et archidiaconi officium in omnibus impleat. Verum ne per hujus dignitatis prærogativam abbas prædicti monasterii aliquo tempore faciliorem fortassis ad episcopatum habeat accessum, Apostolica auctoritate interdicimus, ne unquam in monasterio beati Albani Sedes episcopalis constituatur, ne occasione ista quandoque monachi dispositioni subjaceant clericorum et claustralis quies turbetur, nec non et regularis observantiæ disciplina simul cum substantia, monasterii minuatur; sed cunctis in posterum diebus ecclesia Sancti Albani non episcopum sed abbatem a quo regatur habeat, qui ob reverentiam ejusdem pretiosi martyris pontificalis dignitatis, in quantum abbati concedi fas est, debeat obtinere videlicet ut sicut pontificalia habet jura, ita et pontificalia habeat ornamenta, mitram scilicet, cirotecas, annulum et sandalia, tunica quoque et dalmatica in celebrationibus missarum utatur, quæ liceat ei non tantum in propria ecclesia vel in cellis vestris sed et in omnibus ecclesiis ad quas rogatus accesserit in festis diebus gestare, benedictionem dare, vestimenta sacerdotalia benedicere, clericos suos tonsare, et in sortem dominicam assumere, sanctimoniales suas benedicere. Et sicut beatus Albanus Anglorum protomartyr esse dignoscitur, ita et abbas monasterii ipsius inter abbates Angliæ primus omni tempore dignitatis ordine habeatur. Ita tamen quod nunquam hac occasione infra claustra monasterii abbas ipse præsumat uti cappa clericali, vel sæculari aliquo indumento, sed monastici habitus reverentiam in omnibus diligenter observet et formam religionis prætendere intuentium oculis comprobetur.

In ponendis vero vel removendis prioribus cellarum vel monachis, nullus omnino clericus sive laicus se objiciat; sed abbas qui pro tempore fuerit ponendi vel removendi eos, ubi opportunum fuerit, absque alicujus contradictione liberam habeat facultatem, quatenus tam priores quam monachi in abbatum suorum semper potestate permaneant, et ita per omnia liberi sint ubilibet habitantes ab episcoporum subjectione, ac si in corpore monasterii morarentur, in quos nulla omnino persona, præter Romanum Pontificem vel legatum cardinalem a nostro latere destinatum, excommunicationis seu interdicti sententiam audeat promulgare. Quod si quispiam alius aliquo tempore attentare præsumpserit, ejus in hac parte factum omnino viribus careat et penitus irritum habeatur. Prohibemus quoque, ut nullus episcopus sive archiepiscopus in vestro cœnobio vel adjacentibus ecclesiis in quibus ejusdem monasterii abbas jus pontificale habere dignoscitur, missas publicas

(1) *Deest*: solent.

vel conventum sive synodum celebrare, cathedram collocare, processionem solemnem facere aut exigere, regem coronare seu aliquod episcopale officium in aliqua cellarum suarum exercere vel hospitium exigere præsumat. Universaliter statuentes, ut quicumque episcopi, archiepiscopi, vel eorum clerici aut ministri super ipsum monasterium, vel super cellas et prædictas parochiales ecclesias nullam aliquatenus potestatem habeant, nec earum presbyteros vel clericos quoscumque sive laicos, sed nec abbatem, priores vel monachos ad synodum suum vel capitulum convocare vel ab officio divino suspendere, seu aliquod in eos vel minimum jus exercere, aut parochianos suos a communione illorum prohibere præsumant, sed omnia pontificalia eorum jura et quæcumque ecclesiæ Sancti Albani fuerint abbatis solummodo ejusdem monasterii potestati libere tractanda subjaceant. Nolumus enim ut alicui, nisi tantum Romano Pontifici, debeant in aliquo respondere. Nec monasterii vestri abbas vel monachi seu cellarum vestrarum ubilibet positarum fratres pro qualibet interdictione vel excommunicatione, etiamsi commune interdictum terræ fuerit, divinorum officiorum suspensionem patiantur. Sed tam abbas et monachi ipsi quam et famuli eorum et qui se monasticæ professioni devoverunt, clausis ecclesiarum januis, non admissis excommunicatis et interdictis, non pulsatis tintinnabulis, humiliori voce divina celebrent et sepulturæ eis debita peragant. Liceat quoque vobis quandocumque vos manifeste gravari senseritis, ad remedium appellationis confugere, etiam si causa quæ contra vos agitur appellatio sit remota. Post factam vero appellationem, nemini liceat in vos sententiam dare, vel aliquid innovare, seu vos aut possessiones vestras ausu temerario perturbare. Ad hæc sancimus, ne quis fratres vestros, post factam in monasterio vestro professionem, absque abbatis licentia suscipere audeat vel retinere. Inhibemus insuper, ut nulli omnino hominum liceat in cellis vestris absque assensu vestro abbatem aliquando constituere Ecclesiæ autem in quibus jura pontificalia non habetis, sive capellæ vestræ, et cœmeteria, libera sint, et ab omni exactione immunia præter episcopi consuetam potestatem et justitiam in presbyteros si adversus sui ordinis offenderint dignitatem. In quibus etiam ecclesiis vel capellis liceat vobis seu fratribus vestris presbyteros eligere, ita tamen quod ab episcopis vel ab episcoporum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant. Quibus nimirum presbyteris cum tantum assignaveritis unde victus et vestitus necessaria possint honeste percipere, quidquid residuum fuerit liceat vobis in usus proprios convertere. Si qui præterea fidelium monasterio vestro aut cellis ad ipsum pertinentibus ecclesiam aut possessionem aliquam seu beneficium pietatis intuitu conferre voluerit, nullus omnino audeat impedire.

Adjicientes etiam auctoritate Apostolica prohibemus, ut nullus minister de cætero, dapifer videlicet, vel pincerna, camerarius, dispensator, janitor, seu per manum regis, vel alicujus principis, violentiam, vobis invitis in vestro monasterio, vel in locis ad ipsum pertinentibus ordinetur. Antiquas quoque consuetudines et redditus monasterio vestro debitos, scilicet in sexta feria post Ascensionem Dominicam, de unaquaque caruca Her[t]efordensis comitatus obulum unum et in eodem die sive hebdomada Pentecostes ex toto comitatus processionem solemnem. In secunda vero solemnitate beati Albani, de unaquaque carruca nummum unum, itemque eodem die de unaquaque domo totius terræ Sancti Albani nummum unum vobis auctoritate Apostolica confirmamus, et perpetuis temporibus inviolabiliter præcipimus observari. Decernimus ergo nulli hominum liceat supradictum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere sive quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra observentur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura; salva in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Ad indicium autem hujus a Sede Apostolica perceptæ libertatis, unam unciam auri nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sa-

cratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus fiat pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Leo tituli sanctæ Crucis in Jerusalem presbyter cardinalis.

Ego Stephanus Basilicæ duodecim Apostolorum presbyter cardinalis.

Ego Gregorius tituli Anastasiæ presbyter cardinalis.

Ego Thomas tituli sanctæ Sabinæ presbyter cardinalis.

Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Guido Prænestinus episcopus.

Ego Conradus, Portuensis et Sanctæ Rufinæ episcopus.

Ego frater Nicolaus, Tusculanus episc.

Ego Guido, S. Nicholai in carcere Tulliano diaconus cardinalis.

Ego Oct. Sanctorum Sergii et Bachi diaconus cardinalis.

Ego Gregorius Sancti Theod. diaconus cardinalis.

Ego Stephanus Sancti Adriani diaconus cardinalis.

Data Laterani per manum Ranerii, sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecamerarii, X kalendas martii, indictione, VI Incarnationis Dominicæ anno MCCXIX, pontificatus vero domini Honorii tertii anno tertio.

CXXX

Ad decanum electum et officialem Bituricenses.

23 feb. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 310. Mss. La Porte du Theil.]

De rebellione conversorum contra priorem et clericos Grandimontensis monasterii; eorumdem punitio; ejusdem monasterii ad Philippum regem recursus.

Honorius, etc., dilectis filiis... electo... decano et... officiali Bituricen.

Cum olim gravis fuisset ad nos perlata querela, quod conversi Grandimontenses prioris sui cameram et ipsam Grandimontensem ecclesiam ausu sacrilego confringentes, eumdem priorem et alios ejusdem loci clericos detinebant inclusos, et alios injuriis et contumeliis gravibus afficere præsumebant. Nos volentes in hoc cum maturitate procedere sicut exigebat negotii magnitudo, venerabili fratri nostro....... Carnotensi episcopo tunc Pontiniacensi abbati et dilecto filio..... priori Sancti Victoris Parisien. super hoc sub certa forma direximus scripta nostra. Qui mandatum nostrum fideliter exsequentes, ad locum personaliter accesserunt, et invento quod conversi perpetraverant ea, quæ fuerunt nobis suggesta, et alia graviora, adeo ut etiam ipsum priorem de facto destituere præsumpsissent, de prudentum virorum consilio restituerunt eumdem, et in ipsos conversos, licet jam per ipsum priorem excommunicationis sententia innodatos, propter contumaciam eorumdem similem sententiam protulerunt, quibus ea contempta in sua duritia persistentibus, et domum Grandimonten. detinentibus occupatam, prior et clerici ab eadem, conversorum formidantes sævitiam, exierunt; iidem vero conversi et quidam clerici cum eis, Stephanum ipsius loci clericum in locum prioris intrudere, et ei prioris nomen imponere præsumpserunt. Quibusdam igitur clericis et conversis ordinis propter hoc in nostra præsentia constitutis, nos declarando quædam capitula regulæ quæ præcipue videbantur inter eos materiam parere jurgiorum, ac quidam prædecessorum nostrorum innovando statuta, et nostra etiam adjiciendo de novo pacificare cuncta sategimus, per quæ tranquillitatem, et pacem ejusdem ordinis conservandam credimus in futurum. Quia vero eorumdem conversorum excessus plus possent exemplo nocere, quam facto si eos transire contingeret impunitos, de consilio fratrum nostrorum decrevimus, ut priorem, quem de jure restituerunt judices contradicti, de facto etiam plenarie restituto, et reducto cum clericis universis, dicti conversi restitutis omnibus, quæ ab ipsa domo, et membris ejus temere adsportarunt, absolutionis beneficium humiliter petant et devote recipiant ab eodem, iidemque singulis diebus dominicis usque ad annum in capitulo verberentur, et omni sexta feria vivant in pane et aqua, nisi prior clementius agendum duxerit cum eisdem. A perceptione quoque Dominici corporis et sanguinis per annum abstineant, nisi forsan mortis videretur articulus imminere. Præterea omnes illi qui fuerunt principales tantæ iniquitatis

auctores ab administratione seu dispositione temporalium rerum toto vitæ suæ tempore arceantur, nisi prior inspecta utilitate domus aliter processu temporis duxerit providendum. Prædictus quoque Stephanus, qui quasi alter Abner cubile patris ascendere non expavit, et clerici qui adhæserunt eidem, ac excommunicati in loco interdicto divina præsumpserunt officia celebrare, dicta pœna plectantur, nec de cætero celebrent vel ministrent, nisi forsan processu temporis gratiam poterunt obtinere. Si qua vero facta sunt per eumdem Stephanum dum se pro priore gerebat, ea decernimus habenda penitus pro infectis. Priori autem omnes tam clerici, quam conversi sicut patri et pastori suo humiliter obediant et intendant; ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus dictum priorem cum clericis in Grandimonten. personaliter reducentes, tam ea, quæ præmissa sunt, quam quæ in nostro privilegio continentur, faciatis inviolabiliter observari. Contradictores si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, quotiens requisiti fueritis, compescentes, invocato nihilominus si res forsan exegerit auxilio brachii sæcularis. Nos enim carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francorum illustri, ac regni ejus principibus dirigimus scripta nostra, ut ad reprimendam rebellium insolentiam vobis præstent auxilium, consilium et favorem, cum a vobis fuerint requisiti. Quod si non omnes duo vestrum, etc. Datum Laterani septimo kalendas martii pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem modum scriptum est universis archiepiscopis et episcopis per regnum Franciæ constitutis *usque* intendant. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus et districte præcipimus quatenus tam ea quæ præmissa sunt, quam quæ in nostro privilegio continentur, faciatis in domibus ipsius Ordinis per vestras diœceses constitutis illibata servari quotiens fueritis requisiti. Contradictores si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescentes, auxilio clarissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris et principum regni ejus, quibus super hoc scripta nostra dirigimus si res forsan exegerit, invocato. Datum, etc.

In eumdem modum scriptum est archiepiscopis et episcopis, in quorum diœcesibus domus Grandimontenses consistunt *usque* compescentes; auxilio comitum et baronum ac nobilium vestrarum diœcesum, quibus super hoc scripta nostra dirigimus, si res forsan exegerit, invocato. Datum, etc.

In eumdem modum scriptum est vicariis episcopi Lemovicen.

Scriptum est in eumdem modum regi Franciæ et comitibus, baronibus et nobilibus viris per regnum Franciæ et Bituricen. Narbonen. Burdegallen. et Auxitan. provincias. Amalrico comiti Tolosani, Lemovicen. et Turonen. comitibus. Hugoni de Leziniaco, Nelie de Resez et aliis nobilibus per Lemovicen. et Pictaven. diœceses constitutis, *usque* intendant. Unde venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis per regnum Franciæ constitutis districte præcipiendo mandamus ut tam ea, quæ præmissa sunt quam quæ in nostro privilegio continentur, faciant inviolabiliter observari. Contradictores si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo, quotiens requisiti fuerint, compescentes, auxilio charissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris, cui super hoc scripta nostra dirigimus atque vestro, si res forsan exegerit, invocato. Ideoque nobilitatem vestram rogamus et monemus attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus cum dicti prælati super hoc auxilium vestrum duxerint requirendum, vos illud ita efficaciter impendatis eisdem, quod Deo valeatis et hominibus complacere, nosque devotionem vestram commendare merito debeamus. Datum, etc.

CXXXI

Ad Ludovicum subdiaconum.

26 feb. 1219.

[Regest. lib. III, epist. 308. MM. La Porte du Theil.]

Ne quis illum compellat ad ordines suscipiendos vel ad residentiam in capella S. Boni.

Honorius, etc., dilecto filio Lud. Subdiacono.

Precibus dilecti filii nobilis viri Ludovici nati carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris, cujus es deputatus obsequiis, inclinati, auctoritate præsentium inhibemus, ne quis quamdiu nobis placuerit, ad suscipiendos ordines

te compellat vel in capella sancti Boni Parisiensis, quam es canonice assecutus, residentiam faciendam, cum, sicut asseris, curam non habeas animarum. Datum Laterani quarto kalendas martii pontificatus nostri anno tertio.

CXXXII

Ad Hugolinum episcopum Ostiensem.

27 feb. 1219.

[Affo, Ist. di fuastella, I, 361, n. 51.]

Mandat ut assignet terminum competentem priori monasterii S. Xisti et potestati Cremon. ut coram pontifice compareant.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Hostien. Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum causa quæ inter monasterium Sancti Xisti Placentin. ex parte una, et commune Cremon. ex altera, super curtibus Guastallæ et Liciariæ vertitur nondum finem sortiri potuerit, licet plures super hoc litteræ a Sede Apostolica emanarint, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatis litteris nequaquam obstantibus præfigas partibus terminum competentem, quo per procuratores idoneos cum instrumentis et aliis probationibus, ac defensionibus suis compareant coram nobis, ita quod causa ipsa fine possit debito terminari. Datum Laterani III kal. martii pontificatus nostri anno tertio.

CXXXIII

Ad prælatos, clericos et laicos S. Mariæ de Fese, S. Georgii, S. Damiani, etc.,

27 febr. 1219.

[Ughelli, Italia sacra, t. I, p. 757.]

Prælatis, clericis, et laicis S. Mariæ de Fese, S. Gregorii, S. Damiani, S. Erasmi, S. Andreæ de Porcacio, S. Blasii de Macrino, etc., et universis capellanis ad easdem plebes pertinentibus mandat, ut de cætero nullatenus intendant episcopo Spoletano, sed Interamnensi, tanquam episcopo et pastori suo obedientiam et reverentiam debitam impendant.

Honorius, etc., prælatis et clericis et laicis S. Mariæ de Fese, S. Georgii, S. Damiani, S. Erasmi, S. Andreæ de Porcacio, S. Blasii de Macrino, S. Juvenalis de Agiano, S. Georgii de Psachia, S. Laurentii de Castillione, S. Mariæ de Strictura, S. Mariæ de Oliveto, S. Valentini Castelli loci, S. Angeli de Petrarco, Sanctæ Mariæ de Eches, S. Mariæ de Cascia, S. Venantii de Testano, S. Donati de Funco, S. Mariæ de Sala, S. Martini de Fonamelone, S. Venantii de Melice, S. Spiritus, et universis capellanis ad easdem plebes pertinentibus.

Grave gerimus, et indignum, quod sicut ven. frater noster Interamnensis episcopus posuit coram nobis, cum felicis memoriæ Innocentius papa, prædecessor noster, vobis dederit in mandatis, ut de cætero nullatenus intenderitis episcopo Spoletano, sed Interamnensi priori, vos qui sibi estis lege diœcesana subjecti, eidem intendere non curatis, quamvis quidam vestrum ei obedientiam præstiterint quam non servant. Nolentes igitur tantum episcopi prædicti contemptum, quod evidenter in nostram injuriam redundat, æquanimiter sustinere quem potius favorabiliter confovere volumus, de gratia speciali universitatem vestram monendam duximus, et hortandam per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus ei tanquam episcopo, et pastori animarum vestrarum efficaciter intendentes impendatis eidem obedientiam et reverentiam debitam et devotam. Alioquin sententiam, quam idem rationabiliter tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, firmiter observari.

Datum Laterani III kalend. martii, pontificatus nostri anno tertio.

CXXXIV

Ad Feltrensem et Bellunensem episcopum.

27 febr. 1219.

[Ughelli, Italia sacra, V, 479.]

Feltrensi et Bellunensi episcopo mandat, ut sententiam suspensionis, quam tulerat Concordiensis electus contra episcopum Polensem, ecclesiæ suæ bonorum dilapidatorem, observari faciat.

Honorius, etc., venerabili fratri Feltren. et Bellun. episcopo, etc.

Gualfridus presb. et Bartholdus laicus procuratores majoris et sanioris partis ecclesiæ civitatis Polensis sua nobis insinuatione monstrarunt, quod cum I. dudum venerab. fratrem nostrum Polen. episcopum coram bonæ memoriæ Aquil. patriarcha metropolitano suo super excommunicationis nota, simoniæ vitio, et aliis criminibus accusassent, et idem patriarcha in ipsum episcopum, veritate cognita, suspensionis sententiam non ex delegatione Apostolica exigente justitia protulisset : dictus episcopus

Apostolicam Sedem frustatorii provocans ad Jordanem priorem S. Benedicti de Pado Apostol. litteras super ipso negotio impetravit, qui ex eo quod procuratores memorati tempestate maris quod transire debebant, et asperitate temporis impediti, ad diem præfixum ejus se præsentare conspectui nequieverunt, præfatam infirmavit sententiam juris ordine prætermisso, propter quod procuratores ipsi nostram audientiam appellantes, super hoc ad bonæ mem. quondam Concordiensem electum nostras litteras reportarunt, qui demum attestationibus, allegationibus et rationibus utriusque partis plenius intellectis, quoniam dictum episcopum legitime accusatum simoniacum, perjurum, et dilapidatorem invenit, et sibi de impedimento procuratorum suorum superius annotato constitit evidenter, in pristinam suspensionis sententiam reduci eumdem, venerabiles iidem procuratores nobis humiliter supplicarunt, ut cum dictus episcopus suspensionis sit sententiam innodatus, pro eo quod super objectis sibi criminibus culpabilis est inventus, eamdem sententiam confirmare paterna sollicitudine dignaremur. Quia vero super præmissis omnibus, episcopi parte absente, nobis fieri non potuit plena fides, fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipientes mandamus, quatenus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, faciens auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari, super principali negotio audias, quæ proposita fuerint hinc inde, et causam sufficienter instructam ad nostrum tribunalis examen, præfigens partibus terminum competentem, quo se nostro conspectui repræsentent, justam, auctore Domino, sententiam recepturi. Datum Laterani III kal. martii pontif. nostri anno tertio.

CXXXV

Ad cantorem, archidiaconum et cancellarium ecclesiæ Parisiensis.

28 feb. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 328. Mss. La Porte du Theil.]

De negotio super præbenda inter Martinum diaconum et archiepiscopum Rothomagensem.

Honorius, etc., dilectis filiis R. cantori, E. archidiacono, et Ph. cancellario Parisien.

Litteræ vestræ nobis exhibitæ continebant, quod quum causam quam Martinus diaconus habet adversus venerabilem fratrem nostrum... Rothomagen. archiepiscopum super præbenda Rothomagensis ecclesiæ vobis duxerimus committendam petente eodem diacono, ut cognosceretis de appellatione, quam ex legitimis causis in litteris nostræ commissionis expressis fecit ab examine judicum Lexovien. quibus eadem causa fuerat ab Apostolica Sede commissa, ac revocantes in irritum quidquid foret post appellationem ipsam temere attentatum, procederetis in causa juxta litterarum tenorem ad præfatos judices directarum. Procurator ipsius archiepiscopi objecit præfato diacono quod excommunicatus erat a judicibus supradictis; quare dicebat quod respondere non tenebatur eidem. Vos vero super his et aliis hinc inde propositis de consensu partium recipi testes partis utriusque fecistis, et publicatis eorum attestationibus et rationibus partium diligenter auditis, de prudentum virorum consilio partibus præsentibus interlocuti fuistis, quod dictus Martinus excommunicatus non erat, nec ad præfatos judices remittendus, cum appellationem suam legitimam probavisset; a qua interlocutoria procurator ipsius archiepiscopi appellavit. Porro vos appellationem hujusmodi de prudentum virorum consilio frivolam reputantes, certum diem ipsi archiepiscopo assignastis, exprimentes quod sive veniret, sive non, vos nihilominus procederetis secundum tenorem litterarum directarum ad judices supradictos, prout vobis in commissionis nostræ litteris mandabatur. Cumque interim diligenter inspexissetis acta coram judicibus Bajocen. qui super hoc auctoritate Apostolica sententiam promulgarant, et a jurisperitis vobis consultum fuisset eamdem esse sententiam confirmandam, procuratores jam dicti archiepiscopi statuto die in vestra presentia comparentes, quoddam nostrum vobis exhibuerunt scriptum ad judices Ebroicen. super eadem quæstione directum, et ipsorum judicum litteras per quas vobis inhibetur ab ipsis, ne ulterius procederetis in negotio memorato. Licet autem litteræ nostræ ad vos directæ de consensu partium impetratæ fuissent, expresso ut procederetis in causa, non obstantibus litteris, si quæ obtentæ a Sede Apostolica præter assensum partium apparerent, vos tamen, ad instantiam ipsius, processum negotii vobis duxistis per seriem esse inti-

mandum. Cum igitur secundum ea quæ præmissa sunt, vobis sustinendum non fuerit occasione litterarum ad Ebroicen. judices obtentarum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, nisi forsan in litteris ad ipsos Ebroicen. directis ex probabilibus causis fuerit signanter expressum, ut procederent in ipso negotio, non obstante quod idem de consensu partium vobis erat ab Apostolica Sede commissum, vos illis nequaquam obstantibus, in eo juxta formam vobis traditam sublato appellationis obstaculo procedatis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani secundo kalendas martii, pontificatus nostri anno tertio.

CXXXVI

Ad priorem Grandimontensem ejusque fratres.

1 martii 1219.

[Bullarium Romanum, III, 351, n. 32.]

Reformatio ordinis Grandimontensis in regno Francorum.

Honorius, etc., dilectis filiis priori Grandimonten. ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad sopiendam materiam jurgiorum, quæ vestræ religionis quietem longo jam tempore turbaverunt, plures tam a nobis, quam a felicis recordationis Urbano, Clemente, Cœlestino, Innocentio et aliis prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus indulgentiæ, ac privilegia emanarunt, quorum multitudinem ad compendium duximus redigendam, singula eorum capitula præsentibus complectendo quibusdam exceptis per obreptionem, ut videtur, obtentis, quæ vel regulæ vestræ contraria, vel inter se invicem dissona videbantur, ac aliis de novo adjectis, prout paci et tranquillitati vestræ vidimus expedire. In primis ergo statuimus ut prior, qui pro tempore fuerit, plenam in spiritualibus et temporalibus habeat potestatem, et omnes clerici et conversi tam capitis quam membrorum ei obediant absolute, idemque spiritualia cum clericis et temporalia cum conversis disponet. Verumtamen in ordinatione spiritualium et temporalium licebit ei clericos et conversos, quos voluerit, et magis idoneos viderit advocare, et habere consilium eorumdem. Ipse quoque prior cuilibet cellæ ordinis unum præficiat sacerdotem, quem ad hoc idoneum reputaverit, penes quem de ipsius prioris mandato cura spiritualium tam circa clericos, quam laicos omnino resideat, et omnes eidem reverenter obediant et intendant. Idemque sacerdos corrigendi tam clericorum quam laicorum excessus plenam habeat potestatem, ita tamen quod nec curiosum a cura temporali deponere nec aliquem ab ordine poterit removere; sed hoc soli priori reservetur. Quicumque autem sive clericus, sive laicus, sive etiam ipse curiosus ejus correctionem recipere recusaverit, tribus diebus continuis ad terram comedat grossiori pane et aqua, unoque tantum pulmento contentus, et si perseveraverit ad priorem mittatur ejus arbitrio puniendus.

Porro ipse corrector semper diebus dominicis et festivis post Primam; pro festis vero diebus in hyeme post Tertiam, et post Primam in æstate capitulum teneat, ad quod singulis diebus conveniant omnes clerici et conversi qui poterunt convenire. Dominicis vero et festivis diebus conveniant omnes tam clerici, quam laici, eisque omnibus corrector in ipso capitulo præsit, ubi proponat ipse corrector, seu alius verbum Dei exponendo aliquod capitulum regulæ, aut aliud, quod ad animarum ædificationem pertineat proponendo, idemque corrector corrigat, et disciplinet, cum opus fuerit, omnes tam clericos quam laicos, et statuta ordinis faciat ab omnibus observari, quæ omnia in ipso capite adimpleri volumus per priorem vel per illum, cui prior ipse id duxerit injungendum, hoc moderamine in correctionibus observato, ut correctio illorum delictorum dumtaxat, quorum emendatio sine priore secundum statuta vestri ordinis fieri potest per ipsum correctorem fiat, ita ut juxta ejus providentiam clerici per clericos, et conversi per conversos disciplinentur, ubi hoc excessus exegerint, et ordinis instituta requisierint, nec ullus laicorum fratrum in confessionibus, pœnitentiis, divinis officiis celebrandis, et corrigendis excessibus clericorum aliquam sibi auctoritatem usurpet, sed hæc omnia per priorem et correctorem, sicut prænuntiatum est, impleantur. Quæcumque peccata aliquis fratrum commiserit alicui sacerdoti, qui cum eo fuerit in sua cellula, ea confitebitur, nec oportebit eum de necessitate cellulam occasione dicendæ confessionis exire,

et sacerdoti licebit illi pœnitentiam injungere, his peccatis exceptis, de quibus secundum statuta vestri ordinis nonnisi solus prior potest pœnitentiam injungere, de quibus tamen, si manifesta non fuerint, presbytero, qui secum in cella morabitur, licebit injungere pœnitentiam confitenti. Hæc autem volumus illibata servari non obstante conventione illa, quæ in præsentia charissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris, et baronum suorum inter quosdam clericos et conversos vestri Ordinis facta fuit, quum ea statutis Apostolicæ Sedis in pluribus adversetur, et ideo eam vires nullas volumus obtinere.

Curam vero temporalium prior uni conversorum, quem discretionem, et ad hoc magis idoneum viderit, in qualibet domorum exteriorum committat, qui eleemosynas et alia bona domus recipiat, et ea in pios usus, ac necessitatem domus provida consideratione convertat, hoc adhibito moderamine, ut curiosus ipse majora negotia utpote ædificationes, venditiones, emptiones, obligationes, ac debitorum solutiones nunquam faciat sine correctoris consilio et assensu. Idem quoque curiosus de commissis sibi curis, et receptis omnibus ac expensis, reddat ad minus singulis mensibus rationem omnibus fratribus in communi vel si requisiverint omnes commode interesse prudentioribus, quos corrector et curiosus duxerint advocandos, redditurus nihilominus rationem priori, cum audire voluerit et eis, quibus idem prior in hoc vices suas duxerit committendas. Clerici per conversos mansionem non mutabunt, immo eorum mutatio de sola fiet voluntate prioris, licebit tamen converso curioso excessus clerici qui secum debet nunciare priori, et similiter licebit clerico excessus laici nunciare priori, ut quod prior mandaverit impleatur. Ad amputandum quoque plenius audaciam excedendi, statuimus ut presbyteri, qui de mandato prioris in domibus de Vicenis de Bosco Rærii, et de Podio Caprarii cellis vestri Ordinis per tempora correctoris officium obtinebunt, sint visitatores Grandimontensis ecclesiæ speciales, iique semel in anno visitent ipsam domum et corrigant in ea tam in capite quam in membris, quæ corrigenda invenerint secundum Deum, et Grandimontensis Ordinis instituta, et audiant de receptis et expensis omnibus rationem, et eorumdem visitatorum consilio annuatim prior, sicut moris est, in generali capitulo, provideat presbyteros idoneos et discretos ad visitationem semel in anno per totum ordinem generaliter faciendam, qui bini et bini, uno converso assumpto, omnes cellas Ordinis cum tanta potestate, quantam eis prior concesserit; visitantes corrigant et reforment, qui secundum regulam et instituta ordinis, ac Apostolicæ Sedis statuta correctionis et reformationis officio viderint indigere. Statuta vero quæ fient in generali capitulo ab omnibus observentur proviso, ut nulla fiant contra tenorem præsentis privilegii, nec regulæ instituta; correctores et curiosi singularum cellarum annuatim conveniant in Grandimonte ad capitulum generale. Appellationes autem quæ fuerint contra statuta regularia interjectæ, præcipimus non admitti; domui vero Grandimontensi, quæ caput est ordinis ad arbitrium prioris, et trium principalium visitatorum provideatur taliter de bonis mobilibus aliarum domorum, ut fratres de aliis domibus venientes, alibi necessaria quærere non cogantur. Domo vero Grandimontensi destituta priore, omnes tam clerici quam laici totius ordinis prædictis tribus visitatoribus ipsius domus humiliter obediant et intendant, donec alius secundum regulam Bulla nostra munitam fuerit substitutus. Hique interim curam ipsius domus et totius ordinis vice prioris ita prudenter et fideliter gerant, ut dignam rationem reddere possint Deo, et etiam substituto priori si duxerit exigendam, non tamen potestatem aliquam habeant aliquem de fratribus a locis suis interim amovendi. Sane hi, qui relicto sæculo ad ordinem vestrum confugerint priori, qui pro tempore fuerit et successoribus ejus catholicis, vel si prior non fuerit, futuri prioris nomine dictis visitatoribus obedientiam, et reverentiam absolute promittant.

Liceat quoque vobis clericos et laicos, liberos et absolutos de sæculo fugientes, dummodo juxta statuta regulæ vestræ vigesimum annum attigerint ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, fas sit absque prioris sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem

vero absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere, quod si quis forte retinere præsumpserit licitum sit vobis in ipsos clericos vel conversos proferre sententiam regularem. Nullus præterea clericus vel conversus unquam proprium habeat nec etiam arcam; deposita vero in ordine vestro deinceps recipi prohibemus; prior lectum suum habebit in dormitorio, et dormiet cum fratribus, dum sanus fuerit. Illud vero districtius inhibemus, ne aliquis clericus ordinis vestri nisi prior, vel qui hoc fecerit de mandato prioris, fratres suos excommunicare præsumat. Silentium vero tam in capite, quam in membris in ecclesia, in claustro, in refectorio, et in dormitorio ab omnibus continue observetur, et tam in capite, quam in membris, in quibus conventus fuerit, claustrum ita servetur, ut nullus exeat, nec loquatur alicui sine licentia prioris vel ejus, cui commiserit vices suas; in ipso etiam claustro sub eadem observantia resideant laici diebus dominicis et festivis. Transgressor autem in capitulo verberetur, et pane, et aqua sit ipsa die contentus, et ut quæ de silentio præmissa sunt commodius valeant observari, statuimus ut habeatis de cætero certa signa, quibus, cum expedierit, possit unus alteri sine silentii læsione, suam innuere voluntatem; cura significandi horas in singulis cellis, sicut et in capite, alicui fratri clerico committatur, qui ita provideat, ut omnia horis competentibus compleantur, et fratres qui fuerint in laboribus, ad collationem convenire valeant competenter. Ad quam collationem necnon ad refectionem idem clericus campanam pulset. Vasorum quoque altaris et sacrarum vestium penes clericos erit conservatio eorum, videlicet quæ ad quotidianum usum pertinent; alia vero vasa et sacræ vestes in custodia unius clerici, et unius conversi consistant, quos prior ad hoc magis idoneos elegerit: librorum omnium penes clericos erit conservatio. Regulæ vero et præsentis privilegii, ut nihil possit addi vel minui, unum volumen volumus esse penes clericos, et aliud penes conversos, et tertium in capitulo prioris, et clericorum erit ecclesiastici officii ordinatio.

Præterea domum, et loca vestra cum omnibus, quæ in præsentiarum juste, et pacifice possidetis secundum vestræ regulæ instituta, vel in futurum secundum eamdem concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, favente Domino, poteritis adipisci, vobis, et successoribus vestris confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut ea firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant. Præterea priori vestro, qui pro tempore fuerit, tonsurandi fratres vestros clericos, et pannos eorum benedicendi licentiam indulgemus. Cæterum si rex, vel archiepiscopus, aut episcopus, seu aliquis princeps cellas vestri ordinis intrare voluerit, secum quatuor viros minime suspectos introducere possit. Communitas et æqualitas sit omnibus vobis tam clericis quam conversis in cibo et potu in refectorio, et in dormitorio, et de communibus pannis sine differentia vestiemini, eleemosynæ et eleemosynarum quantitas, earumque datores dicentur publice in singulis quibus datæ fuerint cellulis, et aut sequenti die, quo datæ fuerint, et tali hora in qua possunt omnes fratres tam clerici quam laici convenire. In nulla vero cellula de cætero unus tantummodo frater clericus collocetur, sed ea potius in hoc adhibeatur discretio, ut ubi sex conversi fuerint, tres clerici, ubi octo conversi, quatuor clerici, ubi decem conversi, quinque clerici, ubi duodecim conversi sex ad minus clerici statuantur, ubi vero duodenarium numerus excesserit conversorum in arbitrio prioris existat multiplicare clericos, et conversos, prout visum fuerit expedire. Hoc autem dicimus, si in ordine vestro tot poterunt clerici reperiri, si vero clericis placuerit ut exeant ad laborem, exeant cum conversis, et cum eis pariter revertantur, semper tamen corrector, vel sacerdos loco ejus dimissus in cella remaneat, ne desit aliquo modo sacerdos, quod si forsan clericus contra regularem statutum excesserit, exeundo contra eum, vel a clerico, vel converso in capitulo proclametur, ubi tandem non judicetur per laicum, sed per correctorem presbyterum regulariter corrigatur.

Prohibemus insuper ne clerici a cellis, in quibus fuerint sine causa transferentur honesta, et hoc ipsum cum fuerit faciendum, fiat provide a priore adhibito sine præjudicio auctoritatis ipsius discretorum consilio clericorum. Si qui autem ex justa causa fuerint transferendi, nec librum nec scripturam, nec aliquid penitus secum ferant, nisi

quantum eis fuerit de prioris concessione permissum, sed nec conversi, quum eos mutari contigerit, aliquid secum ferant sine prioris licentia speciali. Sane laborum vestrorum quos infra metas vestras propriis manibus, aut sumptibus colitis de terris habitis ante Concilium generale, necnon de novalibus nullus a vobis decimas exigere, aut extorquere præsumat. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum, et ordinationibus clericorum, sive pro oleo sancto, vel quolibet ecclesiastico sacramento nullus a vobis sub obtentu alicujus consuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere, sed hæc omnia gratis vobis a diœcesanis episcopis impendantur, alioquin liceat vobis quemcumque catholicum adire antistitem, gratiam atque communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Porro si episcopi, vel alii ecclesiarum rectores in ecclesias vestras, vel personas inibi constitutas excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros pro eo, quod sicut dictum est, decimas non persolvitis, seu aliqua occasione illorum, quæ a benignitate vobis Apostolica sunt indulta, seu benefactores vestros pro eo, quod vobis aliqua beneficia vel obsequia ex charitate præstiterint, vel ad laborandum adjuverint in illis diebus in quibus vos laboratis, et alii feriantur, etc., decerminus irritanda.

Sane cum locus vester longe sit ab hominum habitatione remotus, vobis pagina præsenti concedimus, ut cum generale terræ fuerit interdictum, liceat vobis unius campanæ pulsatione fratres vestros competentibus horis de laboribus ad ecclesiam convocare. Hoc autem, et in aliis locis vestris concedimus observari, quæ a civitatibus, castris ac vicis adeo separantur, ut in eis sonus campanæ vestræ minime audiatur: ad hæc omnibus regulam vestram servantibus, laborem loco pœnitentiæ, et peccatorum suorum remissione injungimus quem in ipsa observantia patiuntur. Vobis autem firmiter injungimus ut sitis contenti statutis regulæ vestræ, et hoc privilegio tantum, nos enim alia privilegia, sive indulgentias decernimus non tenere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam domum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei, ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in æterno examine districtæ subjaceat ultioni; cunctis autem eidem domini jura servantibus fit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Laterani per manum Raynerii, sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, kalendis martii, indictione septima, Incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo decimo nono, pontificatus vero domini Honorii papæ tertii anno tertio.

CXXXVII

Ad Margaritham relictam imperatoris Constantinopolitani viduam.

1 mars 1219.

[Fejer, Codex diplom., III, I, 284.]

Ipsam ad preces Andreæ regis Hungariæ protegendam suscipit.

Idem Honorius Margaritham, relictam imperatoris Constantinopoli viduam ad preces Andreæ regis Hungariæ sub protectione Sedis Apostolicæ suscipit. Datum Laterani kal. martii, anno tertio. (Honor., lib. III, f. LXVII. Katona, t. V.)

CXXXVIII

Ad archiepiscopos et episcopos in regno Franciæ constitutos.

4 mart. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 316. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut assignent bona mobilia et immobilia quæ obtinent cellæ Grandimontenses contra ejus ordinis instituta.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis per regnum Franciæ constitutis.

Præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus omnia tam mobilia, quam immobilia, quæ domus Grandimonten. et ejus cellæ in diœcesibus consistentes obtinent contra suæ regulæ instituta faciatis vobis, Ecclesiæ Romanæ nomine, assignari, et distractis mobilibus cum consilio aliquorum ex fratribus quos prior ad hoc duxerit deputandos, eorum pretium, ac immobilia ipsius Ecclesiæ Romanæ nomine fideliter conservetis, donec de ipsis ad utilitatem Grandimontensis ordinis aliter duxerimus providendum. Datum Laterani IV nonas martii pontificatus nostri anno tertio.

CXXXIX

Ad Andream regem Hungariæ.

4 mart. 1219.

[Theiner, Monum. Hungariæ, I, 19, nº 23.]

De matrimonio filii Hungariæ regis cum Armenorum regis filia, deque successione in Armeniæ regnum.

Honorius episcopus, etc., carissimo in Christo filio A. regi Hungarorum illustri salutem, etc.

Cum sicut tam ex tuis quam carissimi in Christo filii nostri L. Armeniæ regis illustris litteris intelleximus, inter te ac regem prædictum convenerit, ut natus tuus ipsius filiam accipiat in uxorem, ita ut eidem regi ratione filiæ suæ prout hæres succedat in regnum habiturus illud toto tempore vitæ suæ, si etiam contingat eam decedere ante quam traducatur ab illo; nos, quod super hoc provide ac utiliter factum est, te ac rege prædicto supplicantibus, duximus approbandum. Datum Laterani, III nonas martii pontificatus nostri anno tertio.

CXL

Ad Colocensem et Bathiensem capitulos.

4 mart. 1219.

[Theiner, Monum. Hungariæ, I, 19, nº 31.]

Electionem de cancellario regni Hungariæ nequit annuere ad præsens et mandat ut cum electo nuncios iterum ad curiam destineut.

Honorius episcopus, etc., dilectis filiis Colocensi et Bathiensi capitulis salutem, etc.

Litteras vestras et dilectos filios A. præpositum Sancti Laurentii et B. archidiaconum de Bodrog, ad nos ex parte vestra transmissos, qua decuit benignitate recepimus, plene intelligentes, quæ in litteris continebantur eisdem, et prædicti nobis exponere curaverunt. Sane licet providere vobis de pastore idoneo cupiamus; quia tamen examinatis, sicut juris et moris est, nuntiis vestris super electione quam de dilecto filio V. regni Hungariæ cancellario celebrastis, plene nobis de quibusdam non potuit, quæ non sunt in hoc negotio postponenda, liquere, annuere ad præsens nequivimus votis vestris. Quocirca præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus aliquos ex vobis cum patentibus litteris vestris, qui super provisione pastoris omnium vices gerant, unocumque prædicto a vobis electo ad nostram curetis præsentiam destinare, ut sic super hoc salubrius procedatur. Datum Laterani IV nonas martii anno tertio.

CXLI

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates et alios ecclesiarum prælatos.

4 mart. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 219. Mss. La Porte du Theil.]

Ut faciant restituere bona direpta e domo Grandimontensi et ex ejus cellis.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, et aliis ecclesiarum prælatis ad quos litteræ istæ pervenerint.

Satagentes sopire discordiam quæ licet longo jam tempore fratres Grandimonten. turbavit, his tamen temporibus sævisse plus solito videbatur, quædam capitula regulæ suæ, quæ præcipue pariebant materiam jurgiorum, de fratrum nostrorum consilio declarare curavimus, et innovando quædam prædecessorum nostrorum statuta, et nostra etiam adjiciendo de novo, ita providimus, quod hujusmodi discordia poterit cessare de cætero, maxime, si, prout in aliis litteris, quas super hoc vobis direximus continetur, efficaciter curaveritis interponere partes vestras. Quia vero sæviente jam dicta discordia quædam bona Grandimonten. domus et cellarum suarum tam a clericis quam a conversis inordinate, et quasi surrective apud diversas personas et loca deposita fuisse dicuntur, universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, restituatis priori, si qua de bonis ipsius domus vel cellarum ejus in depositum recepistis, faciatis singuli per ecclesias vestras et vobis subditas publice nuntiari, ut quicumque aliqua de bonis supradictæ

domus vel cellarum ipsius nomine depositi, vel violenter, seu alio modo illicito aut custodienda etiam receperunt, ea infra quadraginta dies post denunciationem ipsam sine diminutione restituant dicto priori, vel cui mandaverit restitui vice sua. Alioquin ex tunc auctorite nostra se noverint excommunicationis sententia innodatos. Datum Laterani, quarto nonas martii, pontificatus nostri anno tertio.

CXLII

Ad archiepiscopos, episcopos aliosque ecclesiarum prælatos.

5 mart. 1219.

[Le Paige, Biblioth. Præmonstratensis, 651.]

Ut Præmonstratensium privilegia conservent, et conservari faciant. Novalium exemptio.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Benefaciens Dominus bonis et rectis corde, dilectos filios fratres Præmonstratensis ordinis in via mandatorum ipsius inoffense currentes, tanquam populum acceptabilem sibi numero et merito ampliavit, eisque de rore cœli et terræ pinguedine benedicens, dilatavit locum tentorii ejus et extendit. Sed quia dolentes reperimus in via hac qua ambulant superbi, contra eos laqueos extendentes, imo velut torrentes iniquitatis irruentes in eos, ipsos bonis suis, quæ soli Domino sunt dicata, non solum nequiter defraudare (cum filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sint) verum etiam iniquitate potentes violenter spoliare nituntur. Et quod gravius est, nonnulli de iis qui eos debuerant in Christi visceribus carius amplexari et favorabilius confovere, ipsos in manus persequentes privilegia quæ ipsis a Sede Apostolica, suis exigentibus meritis, sunt indulta, gestiunt penitus enervare, dicendo illa fuisse omnino in generali Concilio revocata, vel alias intellectum privilegiorum ipsorum ita maligna interpretatione ad libitum pervertendo, quod nisi os iniqua loquentium obstruatur, nihil restet, quià prædicti fratres privilegiorum suorum pene penitus fructu frustrentur, per quod illi non tam eisdem fratribus, quam nobis injuriari probantur, dum contra Sedis Apostolicæ indulgentias memoratos fratres temere perturbare præsumunt; molientes contra nostræ plenitudinem potestatis, dum indulta nostra irreverenter impugnant. Nos igitur qui prædictos fratres speciali prærogativa dilectionis et gratiæ amplexamur, utpote qui Domino jugiter offerentes suorum vitulos labiorum, non solum vobis, sed etiam universali Ecclesiæ piis intercessionibus intemperaliter suffragantur, nolentes hujusmodi vexationibus eorum sabbati amaricari quietem, quos potius tenemur omnimodis consolari, universitatem vestram monemus et hortamur attente, ac per Apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus prædictos fratres ob reverentiam divinam et nostram habentes in visceribus charitatis eis privilegia et indulgentias Apostolicæ Sedis eisdem concessas inviolabiliter conservetis et faciatis ab aliis conservari, salva moderatione Concilii generalis; videlicet, ut de alienis terris a tempore prædicti Concilii acquisitis et de cætero acquirendis, exsolvant decimas ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi aliter cum eis duxerint componendum. Alias quoque prædictos fratres ab incursibus malignorum taliter defendatis, quod defensores justitiæ ac pietatis probemini amatores, Deumque vobis propitium et nos reddatis, exinde favorabiles et benignos. Datum Laterani III nonas martii, pontificatus nostri anno tertio.

CXLIII

Ad priorem et fratres Grandimontenses ordinis.

5 mart. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 319. Mss. La Porte du Theil.]

In privilegio reformationis noluit derogari scripto Clementis papæ super exemptione.

Honorius, etc., dilectis filiis... priori et fratribus Grandimonten. ordinis.

Licet in nostro privilegio expresserimus ut sitis contenti statutis regulæ vestræ, ac privilegio ipso decernentes alia privilegia, seu indulgentias non tenere, per hoc tamen nolumus scripto, quod fel. men. Clemens PP. præd. noster vobis super exemptione concessit, quantum ad exemptiones articulum in aliquo derogari. Datum Laterani tertio nonas martii anno tertio.

CXLIV

Ad magistrum Guidonem, archidiaconum Lemovicensem.

3 mart. 1219.

[Regest. lib. III, epist. 317. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut bona in deposito accepta restituantur priori Grandimontensi.

Honorius, etc., dilecto filio magistro Guidoni archidiacono Lemovicen.

Satagentes sopire discordiam, quæ, licet longo jam tempore fratres Grandimontis turbavit, his tamen temporibus sævisse plus solito videbatur, quædam capitula regulæ suæ, quæ precipue pariebant materiam jurgiorum, de fratrum nostrorum consilio declarare curavimus, ut innovando quædam prædecessorum nostrorum statuta, et nostra etiam adjiciendo de novo, ita providimus quod hujusmodi discordia de cetero poterit, Domino concedente, cessare. Quia vero thesaurus Grandimonten. ecclesiæ tibi, sicut accepimus, commissus extitit, jam dicta discordia sæviente, discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus thesaurum ipsum, et alia, si quæ de bonis ipsius ecclesiæ, et cellarum ejus custodienda, vel etiam nomine depositi recepisti, nec non ea quæ de bonis ordinis tibi dicuntur a Templariis..... assignata, dilecto filio... priori ejusdem loci vel cui mandaverit, sine qualibet diminutione ac dilatione resignes, præceptum nostrum taliter impleturus, quod devotionem et obedientiam tuam debeamus merito commendare. Datum Laterani tertio nonas martii pontificatus nostri anno tertio.

CXLV

Ad priorem et conventum vallis Scholarum.

7 mart. 1219.

[Bullarium Romanum, edit. Taur. III, 355.]

Confirmatio statutorum ordinis vallis Scholarum ordinis Cistercien.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis priori, et conventui vallis Scholarum salutem, et apostolicam benedictionem.

Exhibita nobis ex parte vestra petitio continebat, quod quum de prudentum virorum consilio certam vivendi formam elegeritis juxta beati Augustini regulam observandam, de approbatis religionibus quasdam institutiones proinde assumpseritis, quod tu scilicet, fili prior, et successores tui, omnibus ecclesiæ tui ordinis, de more Cisterciensium visitationis officium, sine ulla rerum temporalium exactione impendatis, et tres primæ filiæ ipsius ordinis visitandi matrem de more Cisterciensium fratrum habeant facultatem, et quod priores Forenseci semel in anno tempore statuto apud ecclesiam vestram convenientes in unum celebrent more dictorum Cistercien. capitulum generale; nec non etiam ut scapularia fratres deferant laborantes, camisias autem lineas non habeant, nec in dormitorio culcitras, sani carnibus non vescantur, nisi debiles, et ægroti. Unde nobis humiliter supplicatis, ut institutiones prædictas Apostolico dignaremur munimine roborare. Nos autem vestris postulationibus inclinati personas vestras, et loca in quibus divino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci sub protectione beati Petri suscipientes, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, et confirmationis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani nonis martii pontificatus nostri anno tertio.

CXLVI

Ad Amalricum comitem Tolosanum.

8 mart. 1219.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 678; Regest. epist. 250.]

Cum Amalricus de Monteforti ad jus dicendum vocaretur ab iis quos pater spoliaverat, indulget ei Honorius, ut nulli respondere teneatur præter quam A. S. legato, nisi derogetur huic concessioni per litteras a S. A. missas.

Honorius episcopus... dilecto filio Amalrico comiti Tolosano, salutem, etc.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum nonnulli æmuli tui per litteras Apostolicas te faciant ad loca diversa citari, ad quæ sine gravi periculo nec ire potes, nec procuratores idoneos destinare; quatenus, in te, quasi ob contumaciam, excommunicationis sententiam faciant promulgari, super hoc tibi paterna providere

sollicitudine dignaremur. Quum igitur dubium non existat, quod tua virtus atque devotio multos tibi peperit inimicos, nos volentes eorum obviare malitiæ in articulo prænotato, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut, quamdiu coram Apostolicæ Sedis legato in illis partibus existente paratus fueris de te conquerentibus exhibere justitiæ complementum, non tenearis cuiquam sub alio respondere, nisi forsan per litteras quæ, a Sede Apostolica de certa scientia emanantes, plenam de præsenti concessione facient mentionem; si quam vero sententiam in te vel terram tuam contra ejusdem concessionis munimen contigerit promulgari, eam decernimus non servandam.

Nulli ergo liceat hanc paginam nostræ concessionis et constitutionis infringere, etc.

Datum Laterani, VIII idus martii, pontificatus nostri anno tertio.

CXLVII

Ad abbatissam et moniales fontis Ebraudi.

11 mart. 1219.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 679; Regest., lib. III, epist. 333.]

Eximi quoque a vicesimæ dicta præstatione Fontis Ebraudi monasterium jubet Honorius propter illarum virginum sanctimoniam et paupertatem.

Honorius episcopus... dilectis in Christo filiabus, abbatissæ et monialibus Fontis Ebraudi, salutem, etc.

Etsi fuerit in generali Concilio constitutum, ut universorum ecclesiasticorum proventuum vicesima in Terræ Sanctæ subsidium deputetur, quibusdam duntaxat religiosis exemptis ab hac præstatione merito eximendis, quia, sicut ex quorumdam fratrum nostrorum assertione nobis innotuit, monasterium vestrum et magnæ religionis odore præfulget et nimia paupertate gravatur, de speciali gratia Sedis Apostolicæ, vos a præstatione vicesimæ duximus eximendas, districtius inhibentes, ne quisquam vos audeat contra tenorem indulgentiæ nostræ super hoc de cætero molestare, non obstante, quod nobilibus viris comiti Marchiæ (1) et S. (2) de Maloleone crucesignato vicesimam Pictavensis diœcesis, in qua monasterium vestrum situm esse dignoscitur, mandavimus asignari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis et indulgentiæ infringere, etc. Datum Laterani V idus martii, anno tertio.

(1) Hugoni de Leziniaco.

(2) Savariaco.

CXLVIII

Ad archiepiscopum Cretensem.

11 martii 1219.

[Mss. fonds Moreau, t. 1180, p. 242. Biblioth. nation.]

Indulget ut ad tempus teneat episcopatum Sancti Miri.

Honorius, etc., archiepiscopo Creten.

Nobis exponere procurasti, quod cum venerabilis frater noster P. Albanensis episcopus, legationis dudum fungens officio in partibus Romaniæ, diligenter attenderet quod redditus Creten. ecclesiæ, cui prius adeo modici erant et tenues, quod ex eis non poteras commode sustentari, episcopatum Sancti Miri tibi tandiu concessit habendum, donec disponeretur aliter per Sedem Apostolicam de eodem. Unde nobis humiliter supplicasti, ut cum adhuc laboris inopia, et paupertatis aculeus te affligat, episcopatum ipsum tibi concedere dignaremur. Nos igitur tuis volentes necessitatibus subvenire, præfatum episcopatum de gratia speciali tandiu tenendum concedimus, donec de ipso nos aliter disponamus. Datum Laterani, quinto idus martii, pontificatus nostri anno tertio.

CXLIX

Ad Catalaunensem episcopum.

11 mart. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 356. Mss. La Porte du Theil.]

Ut in ecclesiasticis beneficiis providere non cogatur.

Honorius, etc., venerabili fratri... Catalaunen. episcopo.

Nobis humiliter supplicasti, ut cum frequenter a clericis, quos bon. mem. prædecessor tuus ad sacros ordines promovisse dignoscitur, per litteras Apostolicas plurimum super conferendis ecclesiasticis beneficiis molesteris, quibus satisfacere nunquam potes, ex eo quod nullius ecclesiastici beneficii donatio, præter duas tantum ecclesias, ad te spectat, tuæ super his dignaremur impotentiæ providere. Nos igitur attendentes quod lege necessitas non arctat, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut nisi aliquam prædictarum duarum ecclesiarum vacare contigerit, vel aliorum beneficiorum donatio ad manus tuas devenerit, ad

providendum in ecclesiasticis beneficiis dictis clericis auctoritate Apostolica non cogaris. Datum Laterani quinto idus martii, anno tertio.

CL

Ad præpositum de Selbold.

11 mart. 1219.

[Wurtvein, Diœc. Moguntina, lib. III, 165.]

Illi ecclesiam de Grinda præpositurae ejus libere in augmentum præbendarum collectam ab Frederico rege collatam, confirmat.

Honorius, etc., dilecto filio præposito de Selbold, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam de Grinda a charissimo in Christo filio Frederico illustri rege Siciliæ in Romanorum imperatorem electo ac venerabili fratre nostro Moguntino archiepiscopo sui capituli accedente consensu, tuæ præpositurae libere in augmentum præbendarum collatam, sicut eam juste possides et quiete, tibi ac per te ipsi præpositurae auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani II idus martii, pontificatus nostri anno tertio.

CLI

Ad episcopum, decanum et magistrum Albericum canonicum Carnotenses.

14 mart. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 329. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut faciant firmiter observari decretum ab A. capellano pontificis latum super receptione præsbyteri præsentati ad ecclesiam vacantem in diœcesi Cenomanensi.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo et dilectis filiis... decano, et magistro Alberico canonico Carnoten.

Dilectus filius... A. subdiaconus, et capellanus noster, exposuit coram nobis, quod cum venerabili fratri nostro episcopo et Bartholomeo præsbytero Cenomanen... apud Sedem Apostolicam constitutis a nobis fuerit datus auditor, idem præsbyter proposuit coram eo, quod cum ad vacantem ecclesiam Sancti Rigomeri de Bosco Cenomanen. diœcesis fuisset ab abbate et conventu de Cultura Cenomanen., qui jus in ea obtinent patronatus, præfato episcopo per litteras præsentatus, idem episcopus ipsum ad eam admittere pro suæ voluntatis arbitrio recusavit, adjiciens quod abbas et conventus prædicti per suas nobis litteras intimarunt se ipsi presbytero præfatam ecclesiam contulisse. Unde cum ex sola præsentatione prædictorum abbatis et conventus jus ei sit, sicut asserit, juxta sanctiones canonicas acquisitum, ad receptionem suam cogi præfatum episcopum postulavit. Fuit autem ad hæc ab ipsius episcopi procuratore responsum quod idem episcopus per dilectum filium magistrum R. subdiaconum et capellanum nostrum, quem a nobis obtinuerat idem presbyter auditorem, ab impetratione ipsius extitit absolutus, adjungens, quod non fuerat idem presbyter... archipresbytero et... archidiacono Cenomanen. secundum Cenomanen. ecclesiæ consuetudinem præsentatus; quum ad eos esset præsentatio præmittenda, qui præsentati personam examinant, et examinatum episcopo repræsentant, objiciens quædam contra dictum presbyterum, per quæ illum repellere nitebatur. Ad hæc fuit ex parte memorati presbyteri replicatum, quod a prædicto magistro R. nequaquam fuerat in ipsius causa processum pro eo videlicet quod ipse præsentationis suæ litteras missas episcopo, qui tunc erat apud Sedem Apostolicam, non habebat, destinatas ad nos litteras sufficere sibi credens. Et licet postmodum litteras super hoc habuerit ad eumdem episcopum ad hoc apud Sedem Apostolicam constitutum idem tamen ipsum pro suæ voluntatis arbitrio non admisit. Consuetudinem vero prædictam esse in Cenomanen. ecclesia se ignorare respondit, præsentationem faciendam episcopo secundum jus canonicum asseverans, nec necessarium extitisse ipsum prius examinari per archipresbyterum et archidiaconum supradictos, cum usque adeo sit episcopo ipsi notus, quod ipse, quod ei objici valeat, plene sciat et ei quod voluit jam objecit. Unde ad ultimum supplicavit, ut de misericordia provideremus eidem, ne occasione

præsentationis suæ præfatis archipresbytero et archidiacono faciendæ, laborare iterum compellatur. Prædictus ergo A. subdiaconus, et capellanus noster his et aliis intellectis, de mandato nostro sententialiter diffinivit ut eodem episcopo probante coram delegatis a nobis judicibus prædictam consuetudinem in Cenomanen. ecclesia obtinere, dictus presbyter super præsentatione sua litteras offerat archipresbytero et archidiacono supradictis, ipsumque presbyterum præsentatum ab illis episcopus memoratus admittat, et ad id, si necesse fuerit, districtione qua convenit, appellatione postposita, compellatur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod sententialiter est super hoc a præfato capellano decretum faciatis auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, firmiter observari. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani secundo idus martii pontificatus nostri anno tertio.

CLII

Ad Bertrannum cardinalem, A. S. legatum.

15 mart. 1219.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 678.]

Mandat legato Honorius, ut ecclesias in provincia Narbonnensi, quas propugnaculis muniri siverat, jubeat excastellari.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Bertranno tituli SS. Joannis et Pauli presbytero cardinali A. S. legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Præsentium auctoritate mandamus, quatenus ecclesias tuæ largitionis incastellatas excastellari facias, et incastellari de cætero non permittas, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Laterani, idus martii, anno tertio.

CLIII

Ad Bertrannum cardinalem, Apostolicæ Sedis legatum.

17 mart. 1219.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 678; Regest., lib. III, epist. 353.]

Petente Amalrico de Monteforti, ut capellas quasdam castris suis nimium vicinas alio transferri liceat, propter pericula vel damna futura, concedit id Honorius, salvis parochianorum commodis.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio B. tituli sanctorum Johannis et Pauli presbytero cardinali A. S. legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectus filius nobilis vir Amalricus, comes Tolosanus, nobis humiliter supplicavit, ut capellas quasdam, ex quarum vicinitate castris suis aliquotiens pericula evenerunt, et evenire possunt nihilominus in futurum, de nostra tibi permissione liceat ad alia loca perferre. Nos igitur, id tuæ providentiæ committentes, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus id sibi faciendi licentiam tribuas, ubi videris expedire, proviso, ut ecclesiis quas transferri contigerit ita provideatur tam in opportuno loco, quam possessionibus parochianis et aliis, quod detrimentum occasione translationis ejusmodi non incurrant.

Datum Laterani, XVII kal. aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLIV

Ad abbatem et conventum Cæsariensem.

16 mart. 1219.

[Wirtemberg, Ub. III. 76, n. 613.]

Arbitrii inter eos et conventum Elwacensem super decima de Aicheim confirmatio.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Cæsariensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, arbitrium, quod inter vos, ex parte una et..... abbatem et conventum Elwacensem ex altera, dilectus filius... præpositus Eistetensis cum coarbitris suis ab utraque parte electis super decima de Aicheim protulit, sicut æquitate servata rationaliter est prolatum et ab utraque parte sponte receptum et hactenus pacifice observatum, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani XVII kalendas aprilis pontificatus nostri anno tertio.

CLV

Ad abbatem Sancti Florentii de Salmurio, decanum et cancellarium Carnotenses.

17 mart. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 344. Mss. La Porte du Theil.]

Quam episcopus Cenomanensis sententiam suspensionis promulgaverat contra abbatem Sancti Georgii de nemore post appellationem legitimam relaxat pontifex et mandat judicibus ut informent de contestatione et quod fuerit canonicum statuant.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati Sancti Florentii de Salmurio Andegaven. diœc. et..... decano et cancellario Carnoten. salutem, etc.

Venerabili fratri nostro..... Cenomanen. episcopo et dilecto filio..... abbati Sancti Georgii de nemore in nostra præsentia constitutis dilectum filium nostrum G. Sancti Theodori diaconi cardinalis concessimus auditorem, coram quo proposuit idem abbas, quod cum dictus episcopus in eum post appellationem ad nos legitime interpositam, ab administratione suspensionis sententiam promulgarit, eadem sententia debebat irrita nuntiari, adjiciens quod, cum ipse promisisset præstito corporaliter juramento se fideliter servaturum quidquid in monasterio suo, dictus episcopus cum dilectis filiis..... de Vadacio et..... Sancti Carileffi abbatibus, salva tamen ipsius abbatis dignitate, in omnibus ordinaret, idem episcopus, præfatis abbatibus non vocatis, plurima pro suæ libito voluntatis tam de priore, camerario et..... cellerario non admovendis, vel instituendis sine consilio trium, aut quatuor de senioribus ipsius monasterii, quam de quibusdam aliis ad solius abbatis dispositionem ex consuetudine antiqua spectantibus in præjudicium et læsionem dignitatis ipsius in eodem ordinare præsumpsit, quæ omnia petiit in irritum revocari, et episcopum puniri canonice, pro eo quod quosdam canonicos suos eorum exigentibus culpis excommunicationis laqueo adstrictos ad communionem recepit, et ad ecclesiasticos ordines promovit scienter, postulans nihilominus ecclesiam de Morterolo sibi restitui, qua ipsum, sicut asserit, dictus episcopus spoliavit injuste. Episcopus autem proposuit ex adverso quod cum ad clamosam insinuationem multorum, et canonicorum ipsius monasterii contra eumdem abbatem, invalescente clamore, ad idem monasterium descendisset, facta in eo inquisitione canonica, et multis probatis per quæ idem abbas fuerat de jure forsitan amovendus, quia tamen firmiter emendationem promisit, idem inquisitioni tunc supersedit jam factæ.

Verum quia tempore procedente iterum canonici clamaverunt, fama pariter proclamante quod idem abbas bona monasterii dissipabat, nec fratribus in victu vel vestitu juxta facultates ipsius monasterii providebat, et statuta quædam, quæ in principio promotionis suæ servaturum juraverat, non servabat; ipse, ut saluti et utilitati monasterii, prout ad ejus officium pertinet, provideret, iterum ad locum accessit, sed abbas cauteriatam habens conscientiam, ad appellationis diffugium convolavit in elusionem canonicæ disciplinæ, et tandem omnibus appellationibus interpositis ad quamcumque sedem renuntians, sponte juravit, quod voluntati et ordinationi ejusdem episcopi staret per omnia, salva tamen sua in omnibus dignitate; tunc episcopus habito prudentum consilio, capitula illa, quæ, sicut dictum est, idem abbas ab initio promotionis suæ se juraverat servaturum, recolligens, et quædam alia de novo ad utilitatem monasterii superaddens, ea in ipso de cætero statuit observanda; quibus redactis in scriptis, et abbate præsente ac non contradicente, in capitulo coram fratribus recitatis, de consensu ipsius et fratrum, sigillum suum et ejusdem capituli fecit apponi ad perpetuum munimentum.

Cumque postmodum canonicis conquerentibus ad ipsius audientiam pervenisset, quod abbas ordinationem prædictam contemneret observare, eo quod post decem dies a tempore publicationis statutorum ipsorum frustatorie ad Sedem Apostolicam appellarat, asserens dignitatem suam per ordinationem hujusmodi esse læsam, idem attendens appellationem eamdem in subterfugium correctionis emissam, præsertim cum abbas merito haberetur de dilapidatione suspectus, ipsum, canonica monitione præmissa, de prudentum consilio, ab administratione suspendit. Unde petebat tam suspensionis sententiam quam statuta, quæ in eodem monasterio fecerat, auctoritate Apostolica confirmari, allegans, quod abbatis dignitas per

ordinationem suam læsa non fuerat, quum per illam regimen monasterii, vel prælatio ablata non esset eidem, sed adhuc penes ipsum tota potestas et auctoritas resideret, licet sibi adhibere in agendis et tractandis negotiis monasterii seniorum consilium teneatur, quoniam si secus facere consuevit, hoc dignitatis non extitit, sed abusus. Adjecit insuper, quod abbas non poterat se opponere ordinationi prædictæ, quæ, ipso audiente, nec contradicente, publice in capitulo lecta fuit, et ipsius, et conventus sigillis munita, quam et provocatio non suspendit, cum non fuerit infra tempus legitimum interjecta. Demum idem episcopus inficiens alia, quæ dictus abbas proposuit contra ipsum petiit, ut quum dictus abbas, sicut asserit, litteraturæ insufficientis existat, et domui suæ, cujus bona dilapidat, male præpositus, ac antiqua statuta observare negligat contra proprium juramentum, et aut raro, aut nunquam cum fratribus suis pacem habet, per quæ et alia plurima irreparabilis casus nisi citius succurratur imminet monasterio sæpedicto. De his et aliis quæ sunt proposita contra eum per viros honestos faceremus inquiri, et salubre remedium adhiberi.

Nos igitur his et aliis quæ fuerunt proposita coram cardinali prædicto per fidelem relationem ipsius plenius intellectis, quia per confessionem ipsius factam, in jure nobis constitit, quod eidem episcopo tanquam judici non constiterat dictum abbatem fore de dilapidatione suspectum, tam de ipsius abbatis, quam de alterius partis procuratoris assensu, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictam suspensionis sententiam auctoritate Apostolica relaxetis, ac postmodum ad dictum monasterium accedentes, vocatis qui fuerint evocandi, tam de prædictis statutis, et aliis super quibus est contestatio litis facta, quam de omnibus aliis de quibus dictus episcopus postulavit, inquiri in capite ac in membris inquiratis diligentius veritatem, et quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani XVI kalendas aprilis pontificatus nostri anno tertio.

CLVI

Ad Isabellam reginam Angliæ.

17 mart. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 339. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut sine speciali mandato Sedis Apostolicæ nullus in eam promulgat sententiam excommunicationis vel interdicti.

Honorius, etc., carissimæ in Christo filiæ Isabellæ illustri reginæ Angliæ.

Etsi dignum sit nos quantum cum Deo possumus regiæ dignitati deferre, tuæ tamen sublimitatis laudanda devotio dignius promeretur, ut de speciali Sedis Apostolicæ gratia gratanter tuis precibus annuamus, maxime quas tuæ quietis causa desideras exaudire, qui etiam non rogati te intendimus favorabiliter confovere. Eapropter, carissima in Christo filia, tuis justis postulationibus gratum impartientes assensum, quia interest nostra tuæ tranquillitati paterna diligentia providere, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut nulli sine speciali mandato Sedis Apostolicæ in personam tuam interdicti, vel excommunicationis sententiam liceat promulgare, sententia excommunicationis, quam venerabilis frater noster... Xanctonen. episcopus vel alius in te dicitur promulgasse, nequaquam obstante, quominus præsens indulgentia suam in posterum obtineat firmitatem. Nulli ergo, etc. Datum Laterani decimo sexto kalendas aprilis pontificatus nostri anno tertio.

CLVII

Ad Henricum præpositum et fratres Reicherspergenses ordinis S. Augustini.

18 mart. 1219.

[Monumenta Boica, IV, 428.]

Ipsos tuendos suscipit, specialiter autem decimas, ecclesias, etc., eis confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis Heinrico præposito et fratribus Reicherspergens. Ord. S. Aug. Pataviens. diœc., salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati personas vestras et ecclesiam, in qua divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis, quæ in

præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostram protectionem suscipimus, specialiter autem decimas Putinensis ecclesiæ et de Pramperch et Edliz ecclesias cum ecclesiis et capellis ad eas pertinentibus, quas piæ recordationis Eberh. Salzburg. archiepisc., de capituli sui assensu, ad quem pertinebant, eidem ecclesiæ vestræ provida deliberatione concessit, constituens ut in prædictis ecclesiis Pramperch et Edliz beati Augustini regula observetur, et ad eas per præsentationem Reichenspergensis præpositi et institutionem Salzburgensis archiepiscopi, ministri de vestro collegio assumantur : cujus constitutionem super his successores ipsius, Conradus videlicet, Albertus, et Ewerardus Salzburgenses archiepiscopi suis privilegiis confirmarunt; ecclesiam quoque Munstewz a bonæ memoriæ Pataviensi episcopo, quam etiam a felicis recordationis Adriano papa prædecessore nostro ecclesiæ vestræ asseritur confirmata, cum decimis et aliis pertinentibus suis, et decimas a piæ recordationis... Frisingensi episcopo de capitulorum suorum assensu eidem ecclesiæ vestræ collatas, prædia insuper in Elvin et Graben a quondam... comiti Allensi et in Vilpach a quondam Hartivico cum aliis prædiis in Gurtin, in Mulperch, in Howen, in Potechoven et in Wanepach, in Hagening Urinering, Anthriesgurch et in Bavaria, Austria et Marchia, nec non cum decimis, redditibus, mandis, libertatibus atque immunitatibus ab ecclesiæ Salzburgensis archiepiscopis eclesiæ vestræ concessis, sicut ea omnia eadem ecclesia juste ac pacifice possidet, et in supradictorum archiepiscoporum litteris continetur, vobis et per vos ipsi ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani XV kal. aprilis pontificatus nostri anno tertio.

CLVIII

Ad abbatem et conventum Sancti Victoris Massiliensis.

22 mart. 1219.

[Regest., lib. III epist. 340. Mss. La Porte du Theil.]

Confirmatio possessionum ejusdem conventus.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Sancti Victoris Massilien.

Gaudemus mandata nostra rationabili executioni mandari, ut affectui nostro evidens attestetur effectus, et unicuique jus proprium tribuatur. Significastis siquidem nobis, quod cum venerabilibus fratribus nostris... Regen. et... Antipolitan. episcopis, et dilecto filio... abbati Floreg. nostris dederimus litteris in mandatis ut ea quæ de patrimonio Rechelini quondam monasterii vestri monachi de mandato felicis recordationis Innocentii papæ prædecessoris nostri vobis fuerant assignata, vos facerent pacifice possidere ipsi, sicut nobis litteris intimarunt, mandatum nostrum fideliter exsequentes, Massiliam personaliter accesserunt et in veritate cognita, quod assignatio illa rationabilis fuerat, ipsam auctoritate nostra, ut eorum verbis utamur, approbarunt, et confirmarunt, et te, fili abbas, possessionem rerum assignatarum curarent ponere corporalem, sub excommunicationis pœna districtius inhibentes, ne aliquis super possessione ipsa vos præsumeret molestare. Unde nobis humiliter supplicastis ut quæ per dictos episcopos et abbatem super hoc acta sunt, auctoritate dignaremur Apostolica roborare. Nos igitur vestris justis precibus inclinati, hujusmodi processum eorum, sicut rationabilis est et providus, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Datum Laterani XI kal. april. pontificatus nostri anno tertio.

Scriptum est super hoc conservatoribus... præposito Tolonen. et Isnardo canoni Regen. Gaudemus, etc., *usque* roborare verbis competenter mutatis. Nos igitur eorum justis precibus inclinati, hujusmodi processum, etc. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sæpe dictos abbatem et conventum super præmissis non permittatis contra nostræ confirmationis tenorem ab aliquibus indebite molestari. Molestatores eorum indebitos per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Datum ut supra.

CLIX

Ad priorem ecclesiæ S. Petri.

26 mart. 1219.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temporalis, I, 50, n. 72.]

Dominis castri Montis S. Petri Auximanæ diœcesis investitura ipsis olim collata a Benedicto X, Celestino II, et Innocentio III renovatur.

Honorius, etc., dilectis filiis..... priori

ecclesiæ Sancti Petri, Leopardo, Obertino, et Uberto germanis, Andreæ et Petro germanis, Raynaldo et Angelo dominis castri montis Sancti Petri eorumque hæredibus Ecclesiæ Romanæ fidelibus, salutem, etc.

Sacrosancta Romana Ecclesia, cui licet immeriti, auctore Domino, præsidemus, devotionem fidelium suorum et benigne amplectitur, et eam dignis meritorum præmiis, ut de die in diem crescat in melius optatis incrementis, attollit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ad exemplar felicis recordationis Celestini et Innocentii Romanorum pontificum, prædecessorum nostrorum, donationem, quam felicis recordationis Benedictus papa, prædecessor noster, de castro Montis Sancti Petri prædecessoribus vestris fecisse dignoscitur fidelitate recepta a dominis ipsius castri, qui tunc temporis erant, sicut in privilegio ejusdem Benedicti prædecessoris nostri continetur, ratam habemus et eam auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem evidentiam facti illius privilegii tenorem, sicut in scripto prædicti Innocentii papæ prædecessoris nostri continetur, de verbo ad verbum duximus exprimendum.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei. Acto et Alberto ac Donnello germanis, Bon... atque Guisl... germanis, Alberto et Ingo germanis, Johanni seu Attoni et Pagano sive Bonanto germanis, vestrisque filiis ac nepotibus masculis. Quotiens a nobis illa tribui sperantur, quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium : atque ideo juste et rationabiliter petistis a nobis, ut per præcepti paginam, quæ ante detinuistis, vobis concederemus atque confirmaremus, fundum scilicet Catinianum integrum, in quo est oratorium Sancti Petri et castellum noviter a vobis constructum : a cujus latere primo est via sinistra a pede Monticelli, quæ vadit usque ad Petram siccam ; a secundo latere via, quæ vadit sursum, et postea accipit sinistram viam, quæ pergat usque ad cacumen montium , in quo est oratorium Sancti Petri : et omnia infra ista latera concedi vobis postulastis in integrum, atque totam portionem vestram de fundo Pupiano cum colonis et pensionibus, et cum omnibus eorum pertinentiis, posita in comitatu Auximano juris sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ. Nos itaque inclinati precibus vestris per hujusmodi præcepti seriem nominatum fundum Catinianum in integrum, in quo est oratorium Sancti Petri et castellum noviter a vobis constructum, et totam vestram portionem de fundo Pupiano, ut supra legitur, a præsenti indictione diebus vitæ vestræ vobis concedimus detinendum : ita sane ut a vobis singulis quibusque indictionibus pensionis nomine rationibus ecclesiasticis, duodecim denarii Papienses, difficultate postposita, persolvantur, nullaque ad dandam annuam pensionem a vobis mora proveniat, sed ultro actionariis sanctæ nostræ ecclesiæ apto tempore persolvatur. Vos autem, sive qui præsentes estis, sive futuri tam filii quam nepotes vestri, fidelitatem sacramenti (fidelitatis sacramentum) sanctæ Romanæ Ecclesiæ et nobis nostrisque successoribus præbeatis, et nunquam vobis vel successoribus nostris, aut Romanæ Ecclesiæ legatis prænominatum castellum sancti Petri contradicere vel denegare, si quando a vobis requisierint pro utilitate Romanæ Ecclesiæ, præsumatis. Si quis autem vestrum ea, quæ duximus, observari contempserit, et non omnia, sicut prætaxavimus, fideliter impleverit, statuimus fore invalidam hanc nostram perceptionem. Post vestrum vero obitum memorata omnia cum suis omnibus meliorationibus ad jus sanctæ nostræ, cujus est proprietas, ecclesiæ modis omnibus restaurentur.

Scriptum per manum Octaviani scriniarii et notarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, indictione XI. Benevalete.

Datum Laterani VII kalendas aprilis pontificatus nostri anno tertio.

CLX

Ad eosdem.

27 mart. 1219.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temporalis, I, 50, n. 73.]

Eisdem, ut contra molestationes in suo feudo possidendo coram episcopo vel potestate Auximanis agere possint.

Honorius, etc., dilectis filiis... priori ecclesiæ Sancti Petri, Johanni, Leopardo, Obertino et Huberto germanis, Andreæ et Petro germanis, Raynaldo et Angelo dominis castri montis Sancti Petri, salutem, etc.

Significantibus vobis ad audientiam nos-

tri apostolatus pervenit, quod cum felicis memoriæ Benedictus papa prædecessor noster fundum Carinianum, in quo est castrum Montis Sancti Petri, ad habendum et tenendum in integrum parentibus vestris concesserit, et tam fel. recordationis Celestinus et Innocentius Romani pontifices, prædecessores nostri, quam nos ipsi id vobis duxerimus confirmandum, quidam de consortibus vestris portionem, quam habebant in ipso castro et fundo, alii, sicut dicitur, tanquam rem propriam vendiderunt, quibus etiam alii, qui non sunt de genere vestro, quædam tenimenta fundi ipsius vobis contradicentibus invaserunt, et per violentiam detinent, ac reddere contradicunt. Nos igitur vestris justis postulationibus inclinati ad exemplar supradictorum prædecessorum nostrorum Celestini et Innocentii auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut liceat vobis in præsentia venerabilis fratris nostri..... Auximani episcopi, vel potestatis vel consulum, qui pro tempore in Auximana civitate fuerint, contra eos agere, et possessiones prædictas, salvo jure et annuo censu nostro, prout justum fuerit, ad vestras manus libere revocare. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani VII kal. aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLXI

Ad Bertrannum, cardinalem, Apostolicæ Sedis legatum.

27 mart. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 396. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut moneat principem Luwelin. ad servandum dignitates et alia jura regis.

Honorius, etc., Bertranno Apostolicæ Sedis legato, etc.

Cum sicut ex parte carissimi in Christo filii Henrici regis Anglorum illustris fuit expositum coram nobis, nobilis vir Luwelinius princeps Walliæ castra, redditus, dignitates, et alia jura regia, juramento interposito conservare fideliter teneatur, prout in scripto authentico exinde confecto dicitur plenius contineri, nos causam regis ejusdem tanquam nostram reputantes, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus memoratum nobilem, ut prædicta omnia conservare procuret moneas attentius, et inducas, et si expedire videris, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Datum Laterani VI kalend. aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLXII

Ad Pandulfum electum Norwicen., Apostolicæ Sedis legatum.

27 mart. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 395. Mss. La Porte du Theil.]

Petente rege Henrico indulget pontifex ut qui dent pro subsidio Terræ Sanctæ juxta facultates eorum dispensentur de voto.

Honorius, etc., dilecto filio P. Norwicen. electo, camerario, Apostolicæ Sedis legato.

Charissimus in Christo filius noster Henricus rex Anglorum illustris nobis fecit humiliter supplicari, ut cum quibusdam eorum dando de bonis suis juxta facultates proprias pro subsidio Terræ Sanctæ affectant redimere, dispensare misericorditer dignaremur. Nos igitur ejus precibus inclinati, discretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus personarum ac rerum circumstantiis provide circumspectis, agas super hoc cum iis, prout animarum suarum saluti, et ejusdem terræ utilitati noveris expedire. Datum Laterani VI kalendas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLXIII

Ad electum Norwicensem, Apostolicæ Sedis legatum.

27 mart. 1219.

[Theiner, Monumenta Hiberniæ, 9, 23.]

Electo Norwicensi, Apostolicæ Sedis legato, ut justitiarium Hiberniæ ad reddendam regi Angliæ villicationis suæ rationem compellat.

Honorius episcopus dilecto filio Pandulfo, Norwicensi electo, camerario nostro, Apostolicæ Sedis legato, salutem.

Mirari cogimur et moveri, quod sicut ex parte carissimi in Christo filii nostri H. regis Anglorum illustris nobis extitit intimatum, cum nobili viro justitiario Hiberniæ olim nostris dederimus litteris in mandatis, ut ad præsentiam regis ejusdem accedens, et de redditibus et aliis, quæ de bonis ejus perceperat, redderet rationem, idem consilio inconsulto seductus, non solum accedere hactenus contempsit ad eum, verum etiam præsumit eidem multipliciter adversari, non attendens, quod præter infidelitatis notam, quam exinde inviolabiliter contrahit, grave sibi potest periculum imminere, maxime cum

causam regis ejusdem propriam reputemus. Ut igitur offensam redimat præcedentem et gratiæ se coaptet, de qua ipsum non convenit desperare, iterum sibi dedimus in mandatis, ut ad præsentiam regis ejusdem indubitanter accedens, et villicationis suæ reddat debitam rationem. Ne vero memorati regis justitiam negligere videamur, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus justitiarius mandatum nostrum contempserit adimplere, tu eum ad id per ecclesiasticam censuram, appellatione remota, compellas. Datum Laterani, VI kal. aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLXIV

Ad episcopos in regno Franciæ constitutos.

27 mart. 1219.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 679; Regest., lib. III, epist. 359.]

Quum Honorius pactionem fecisset cum rege Philippo de colligenda reddituum ecclesiasticorum vicesima mandat episcopis ut exemptas a solutione illius habeant Cluniacensium ecclesias.

Honorius episcopus... venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis per regnum Franciæ constitutis salutem, etc.

Licet quamdam partem vicesimæ vestrarum ecclesiarum et diœcesium carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francorum illustri, pro negotio pacis et fidei in Provinciæ partibus promovendo duxerimus concedendam; in litteris tamen ipsius concessionis expressimus, quod concessiones antea factas salvas existere volebamus (1). Quum igitur tam felicis memoriæ Innocentius Papa, prædecessor noster, quam nos, monasterio Cluniacensi pro relevatione debitorum, quibus gravissime premebatur, ecclesiarum suarum vicesimam concesserimus, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus monasterium ipsum, vel ejus ecclesias, non requiratis super ipsa vicesima, nec requiri ab aliquo permittatis. Datum Laterani, VI kal. aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLXV

Ad abbatem et conventum S. Portus Cisterciensis ordinis.

28 mart. 1219.

[Martene, Thes. Anecd. I, 872.]

De festo dedicationis celebrando.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Sancti Portus, Cisterciencis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Postulastis a nobis, ut cum vestri statuta ordinis vos observare oporteat illibata, et dedicationis ecclesiæ vestræ festivitas eo quandoque tempore celebranda vobis occurrat, quo secundum ejusdem ordinis vestri statuta nullum vobis est licitum celebrare, providere vobis super hoc misericorditer dignaremur. Nos igitur vestris super hoc postulationibus pio condescendentes affectu, præsentium auctoritate statuimus, ut festivitas supradicta tertio nonas octobris annis singulis perpetuo celebretur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani V kal. aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLXVI

Ad priores Sanctæ Radegundis, Sancti Hilarii, et subdiaconum Pictaviensis ecclesiæ.

28 mart. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 360. Mss. La Porte du Theil.]

Erga canonicos rebelles sed pœnitentes misericorditer agendum est.

Honorius, etc., dilectis filiis... Sanctæ Radegundis et... Sancti Hilarii prioribus, et subdiacono Sancti Hilarii Pictaven., salutem, etc.

Venerabilis frater noster... episcopus et dilecti filii capitulum Pictaven. nostris auribus intimarunt, quod quum ipsi in canonicos beatæ Mariæ Majoris Pictaven. pro eo quod obedientiæ jugo rejecto, in qua ecclesiæ matrici tenentur, eis intendere pertinaciter contemnebant, excommunicationis sententiam rationabiliter protulissent; postmodum venerabilis frater noster... Burdegalen. archiepiscopus metropolitanus eorum in provinciali concilio ipsos in sua pertinacia perdurantes, officio, beneficioque privasset donec redeuntes ad cor inobedientiæ vitio per subsequentem obedientiam expiato, per Sedem Apostolicam restitui mererentur. Nunc illi præter quatuor tantum, vexatione ipsis tribuente salubriter intellectum, pœnitudine ducti ad obedientiam redierunt, restitutionis gratiam a nobis humiliter fla-

(1) Honorii ad Philippum regem litteras, vide supra nº XVI, col. 24.

gitantes. Unde prædicti episcopus et capitulum nobis pro ipsis, et cum ipsis humiliter supplicarunt, ut agentes misericorditer cum eisdem, ipsos ad officia, et beneficia restituere dignaremur. Illius itaque vicem gerentes in terris, qui parcendo maxime, ac miserando suam omnipotentiam manifestat, discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, quatenus, si res ita se habet, ad officia et beneficia restituatis eosdem. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani V kalendas aprilis pontificatus nostri anno tertio.

CLXVII

Ad clerum et populum civitat. Bononiensis.

28 mart. 1219.

[Savioli, Ann. Bologn. II, 402.]

Archidiacono in his quæ ad officium et jurisdictionem archidiaconatus pertinere noscuntur obediendum est.

Honorius episcopus servus servorum Dei, clero et populo civitatis et diœcesis Bononiensibus.

Cum dilecto filio magistro Gratiæ capellano nostro archidiacono vestro duxerimus indulgendum ut, non obstante aliqua consuetudine quæ canonicis obviat vel derogat institutis, officium et jurisdictionem archidiaconatus sicut ad eum secundum canonica instituta vel approbatam consuetudinem dignoscitur pertinere, libere ac plenarie submoto cujuslibet contrario etiam Apostolico obstaculo præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus quatenus eidem archidiacono vel ejus vicario in his quæ ad officium et jurisdictionem archidiaconatus sui de jure vel approbata consuetudine pertinere noscuntur obediatis devote ac humiliter intendatis. Alioquin noveritis quod sententiam quam idem archidiaconus rationabiliter tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Datum Laterani V kalend. aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLXVIII

Ad Norwicensem electum, Apostolicæ Sedis legatum.

29 mart. 1219.

[Theiner, Mon. Hiberniæ, t. X, n. 24.]

Electo Norwicensi, Apostolicæ Sedis legato, ut Hiberniæ prælatos ad servitia regi Angliæ debita persolvenda compellat.

Honorius episcopus, dilecto filio P. Norwicensi electo, Apostolicæ Sedis legato, salutem.

Suam ad nos carissimus in Christo filius noster H. rex Anglorum illustris quærimoniam destinavit, quod prælati ecclesiarum de Hibernia servitia, in quibus ratione regalium et feudorum, quæ habent ab ipso, nec non alia debita, in quibus ex aliis causis tenentur eidem, tamdiu maxime toto tempore guerræ indebite subtraxerunt, nec adhuc super his satisfecerunt eidem. Nolentes igitur prædicti regis justitiam deperire, quam tenemur favorabiliter confovere, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictos ecclesiarum prælatos, ut super his eidem regi debitam satisfactionem impendant, et de cætero ea sine difficultate persolvant, moneas attentius et inducas, eos ad id, si videris expedire, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellens. Datum Laterani, IV kal. aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLXIX

Ad magistrum et fratres militiæ Templi Massilien.

29 mart. 1219.

[Regest., lib. III, ep. 375. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut nullatenus abbatem et conventum S. Victoris Massiliensis molestent.

Honorius, etc., dilectis filiis magistro et fratribus militiæ Templi Massilien.

Dilecti filii... abbas et conventus Sancti Victoris Massilien. transmissa nobis petitione monstrarunt, quod vos magistrum Rolandum fratrem vestrum, qui æmulans charismata meliora, petita humiliter a magistro licentia, nec obtenta, se altioris ordinis gratia, transtulit in monasterium eorumdem, [qui] in suum admisere consortium, multipliciter molestatis, ita privilegiorum vestrorum intellectum pertinaciter obviantes, ut juri quod super hoc felicis memoriæ Innocentius papa, prædecessor noster super hujusmodi expressit articulo, acquiescere denegetis. Quia igitur majus bonum minori bono præponitur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus... abbatem et conventum prædictos occasione hujusmodi nullatenus molestetis, ne invidiare videamini profectui proximorum, cui congaudere teneamini tanquam vestro, ex officio caritatis. Datum Laterani

quarto kalendas aprilis pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem modum scriptum est... magistro et fratribus militiæ Templi de Rua pro W. de Jaulan.

CLXX

Ad archiepiscopum, decanum et cantorem Rotomagenses.

30 mart. 1219.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 679. Regest., lib. III, ep. 357.]

Cum sententiam olim, anno 1200, latam, qua scholaribus studii Parisiensis Octavianus, A. S. legatus, sub variis pœnis interdixerat, ne arma ferrent, nec de nocte incederent, neque conjurationes, etc., molirentur, renovare Parisiensis episcopus vellet, Honorius irritam haberi eam jubet.

Honorius episcopus... venerabili fratri archiepiscopo (*a*) et dilectis filiis decano (*b*) et cantori Rotomagensibus, salutem, etc.

Dilecti filii magistri et scholares Parisienses nobis graviter sunt conquesti, quod venerabilis frater Parisiensis episcopus (*c*) excommunicationis sententiam ab O. (*d*) bonæ memoriæ, prædecessore suo, et O. (*e*) Hostiensi episcopo, quondam Apostolicæ Sedis legato, latam de conspirationibus et conjurationibus scholarium minime faciendis tam dudum innovans, eos qui, circa statum scholarium, sine consensu ipsius, vel capituli seu cancellarii Parisiensis, conspirationem, conjurationem, constitutionem, seu aliquam obligationem, juramento, fide vel pœna vallatam, facere attentarent, pro suæ voluntatis arbitrio, simili vinculo innodavit, et ipsorum insuper pedibus laqueos excommunicationis expandens, in illos qui noverint scholares arma portantes ac de nocte incedentes, nisi eos infra certum tempus ipsi, vel ejus officiali, seu cancellario, munciarent, similem sententiam fulminavit, eosdem multiplici hujusmodi anathematis mucrone feriens minus caute (1). Nuper autem, cum procuratores præfati episcopi vellent contra dictos magistros et scholares eamdem sententiam retractare in ipsius episcopi litteris exaratam, iidem se gravari timentes, ad Sedem Apostolicam provocarunt; sed dicti procuratores nihilominus per diversa fecerint loca in gravamen scholarium prædictas litteras publicari.

Unde prædicti magistri et scholares nobis humiliter supplicarunt, ut super hujusmodi sententiis et gravaminibus, quæ ab ipso episcopo et suis ac cancellario prætaxatis eisdem sæpius inferuntur, dignaremur sibi misericorditer providere. Cum igitur scholares ipsos, tamquam filios speciales, sinceræ caritatis brachiis amplexemur, et velimus ab ipsorum conscientia hujusmodi scandalorum materiam penitus resecari, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictas sententias et alias consimiles, si quas inveneritis promulgatas, revocantes protinus ad cautelam, dicto episcopo et suis firmiter inhibere curetis, ne ipse, seu quisquam eorum, aliquas consimiles sententias generales in magistros aut scholares Parisienses audeant de cætero sine Romani Pontificis conscientia promulgare. Quod si non omnes, tu, frater archiepiscope, cum eorum altero, etc. Datum Laterani, III kal. aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

(*a*) Roberto Poulain. (*b*) Rogerio de Foucarmont. (*c*) Petrus de Nemours. (*d*) Odone de Sully. (*e*) Octaviano.

(1) Octaviani decretum non habemus. Qua autem occasione latum fuerit id decretum, docet nos Rogerus de Hoveden ad annum 1200, tomo nostro XVII, p. 605 quem videre est de turbis et cruentis etiam seditionibus inter scholares et Parisienses cives. (Bouquet.)

CLXXI

Ad episcopum, decanum et capitulum Cathalaunenses.

30 mart. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 362. Mss. La Porte du Theil.]

Rogat ut inter canonicos Cathalaunen. admittant Nicolaum, sacerdotem probum et litteratum.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo et dilectis filiis... decano et capitulo Cathalaunen.

Inter alios quibus stipendia hæreditatis Dominicæ conferuntur, illi precipue sunt vocandi, quibus morum honestas et litterarum scientia suffragantur. Cum igitur dilectus filius Nicolaus canonicus Sancti Nicolai Cathalaunen. ex vestro, frater episcope, ac fili decane, et plurium vestrum filii capitulum, laudabili testimonio taliter commendetur, quod non minus ecclesiæ vestræ per eum quam in ipsa eidem posse creditur provideri, universitatem vestram rogandam duximus et hortandam, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes,

quatenus ipsum pro Apostolicæ Sedis, et nostra reverentia in canonicum recipiatis, et in fratrem, præbendam in vestra ecclesia cathedrali conferentes eidem liberaliter et libenter; qua obtenta, volumus ut canonicatum Sancti Nicolai quem obtinere dignoscitur, debeat resignare. Datum Laterani, tertio kalendas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Scriptum est super hoc... Sancti Memmii, et... omnium Sanctorum de Insula abbatibus Cathalaunen., ut dictos episcopum, decanum, et capitulum ad id moneant attentius, et efficaciter inducere non postponant.

CLXXII

Ad decanum, et thesaurarium Belvacen., et cantorem Noviomensem.

30 mart. 1218.

[Regest., lib. III, ep. 364. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut personaliter accedant ad monasterium Sancti Medardi Suessionensis et impendant visitationis officium tam in capite quam in membris, et sub illorum sigillis relationem eorum quæ invenerint scriptis redactam transmittant.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano... thesaurario Belvacen. et... cantori Noviomen.

Ad nostram audientiam Gualtero monacho monasterii Sancti Medardi Suessionen. significante noveritis pervenisse, quod cum idem monasterium, quod ad Sedem Apostolicam nullo pertinet mediante, adeo consueverit dexteræ atque levæ benedictionibus abundare, quod nonnulli famæ ipsius fragranti persentita in odorem religionis ejus undique concurrebant; nunc ob malitiam habitantium in eodem adeo est in spiritualibus temporalibusque collapsum, quod nisi ei per providentiam Sedis Apostolicæ succurratur, vix adjiciet ut resurgat. Cum igitur secundum apostolum instantia nostra quotidiana sit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad prædictum monasterium personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Deum, ei, vice nostra, tam in capite quam in membris visitationis officium impendatis, et quæ inveneritis in scriptis fideliter redigentes, nobis sub sigillis vestris transmittere procuretis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, tertio kalendas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLXXIII

Ad episcopum Cathalaunensem.

30 mart. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 363. Mss. Laporte du Theil.]

Mandat ut, sibi adjunctis viris boni testimonii, accedat ad monasteria et ecclesias conventuales et corrigat et reformet in eis quidquid indiget reformatione.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Cathalaunen.

Cum nonnulli, sicut accepimus, tam subditi quam prælati tuæ diœcesis, vitam ducant adeo dissolutam, quod nisi eorum corrigantur excessus et malitia reprimatur, religionis decorem turpiter dehonestant in suæ salutis dispendium et scandalum aliorum, tuis nobis litteris supplicasti, ut ne aliis hujusmodi dissolutorum infamia scandalizet, quibus deberent potius honestatis præbere materiam et exemplum, ad disciplinam eorum virgam apostolicam correctionis extendere dignaremur. Quia igitur instantia nostra quotidiana est ecclesiarum omnium sollicitudo continua, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs associatis tibi viris boni testimonii et honestis, ad ipsius diœcesis monasteria et ecclesias conventuales jure tibi diœcesano subjectas accedens et habens præ oculis solum Deum, auctoritate nostra corrigas, et reformes in ipsis appellatione remota quæ correctionis et reformationis officio videris indigere. Datum Laterani tertio kalendas aprilis pontificatus nostri anno tertio.

CLXXIV

Ad electum Norwicensem, A. S. legatum.

31 mart. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 392. Mss. La Porte du Theil.]

Ne quæstionem sopitam temeritate cujuspiam suscitetur.

Honorius, etc., dilecto filio electo Norwicen. camerario nostro Apostolicæ Sedis legato.

Charissimus in Christo filius noster Henricus rex Anglorum illustris nobis insinuare curavit, quod cum claræ memoriæ Johannes rex Angliæ pater suus, de damnis quæ ob discordiam olim subortam inter ipsum et ecclesiam fuerunt ecclesiis et viris ecclesiasticis irrogata, simul et semel secundum taxationem apostolicam satisfecerit, condicto nequis ipsum, aut suos occasione prædicta de cætero molestaret, quidam nihilominus

familiares et subditos præfati regis in Anglia consistentes occasione prædicta præsumunt molestare. Nolentes igitur quæstionem sopitam temeritate cujuspiam suscitari, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, præsumptores hujusmodi, ut a sua præsumptione desistant, prudenter moneas et judices, ipsos, si monitis tuis acquiescere non curaverint, per censuram ecclesiasticam appellatione remota, sicut justum fuerit, compescendo. Testes autem, etc. Datum Laterani secundo kalendas aprilis pontificatus nostri anno tertio.

In eumdem modum scriptum est in Normania... abbati de Fiscano et conjudicibus ejus contra... episcopum Abrincen. et quosdam alios.

CLXXV

Ad Ulricum præpositum ejusque fratres.

31 mart. 1219.

[Hugo, Annal. Præmonstr., t. II, prob. 151.]

Monasterium Sancti Petri in Augia patrocinandum suscipit omnesque ejus possessiones, jura ac privilegia confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis Ulrico præposito et fratribus ecclesiæ Sancti Petri in Augia tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat; ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium Sancti Petri in Augia in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini regulam atque institutionem Præmonstratensium fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis. Decimas quas habetis in Augia, curtem ante portam cum decimis et omnibus appenditiis suis; vineam superstratam cum appenditiis suis; curtem in Berloh cum decimis quas habetis ibidem; molendinum in Homoire. Curtem in Riwinsperg; curtem in Herwigesruitti, curtem Vidanshonen cum quibusdam decimis et omnibus appenditiis earumdem. Prædium in Wolfurt, prædium in Willebarlt Wilare, cum appenditiis suis, molendinum in Erbruste cum appenditiis suis. Prædium in Berge cum appenditiis suis, prædium in Bodemekke cum appenditiis suis; prædium in Retenbach cum appenditiis suis; prædium in Liebenhoveen. Prædium in Emiliuwilare, prædium in Hungestobel cum appenditiis suis; prædium in Weidenhoven, prædium in Oberhoven, prædium in Walterfrin, prædium in Eginhus, prædium in Sudiffel, prædium ad Lachen; prædium in Richilinfruisti, prædium in Subbach, cum appenditiis eorumdem; curtem in Ravenspurg cum appenditiis suis, molendinum, domos et hortos in eodem loco, molendinum in Wolfegge; prædium in Liecoltwilare, prædium in Riere; prædium in Riethusen, prædium in Ebeniwilare; prædium in Ekke; prædium in Ruiti, prædium in Veltmose; prædium in Hasenhul; prædium in Dankratswilare; prædium in Erkenboltswilare; prædium in Meinbolhwilare; prædium in Menginswilare ; prædium in Wolgerswilare; prædium in Willenantschireche; prædium in Algewang; prædium in Okerterniti; prædium in Mulebrukke, prædium in Huolve; prædium in Rorgemose; prædium in Herbenwilare; prædium R. Bizzenhoven; prædium in Heumchoven; prædium in Wanbreteswaste, prædium in Bibruzze; prædium in Sadirlinsware; prædium in Wernfruisti; prædium in Hergesvelt; prædium in Hezzemannesmittum; prædium in Bafendorff, prædium in Dieterholz; prædium in Abbenwilare; prædium in Ellenwilare; prædium in Lamfreswilare; prædium in Bazzenwilare; prædium in Anzenwilare; prædium in Lottenwilare; prædium in Eiligen; prædium in Dionwilare, prædium in Hadebretiwilare; prædium in Hittenhusen; prædium in Chistenbach; prædium in Berge; prædium in Schnezzenhusen; prædium in Hollendorff;

prædium in Buncuany cum appenditiis eorumdem; vineam et domos in Uberlingen; prædium in Widenbach cum decimis suis, capellam Sanctæ Christinæ cum pertinentiis suis, et jus quod quondam nobilis vir Welfo in theloneo Ravenspurch et in nemore Altorff monasterio vestro concessit cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuariis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos et laicos liberos et absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine præpositi sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Quum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Chrisma vero, oleum sacrum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi a diœcesano suscipietis episcopo, si quidem catholicus fuerit et communionem sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu diœcesani episcopi et vestro capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. Ad hæc novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconibus seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis sæcularibusve personis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea et possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias ad quas pertinent revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci præposito vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum et beati Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus ut intra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentias audeat exercere. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus, ordini vestro concessas, necnon et libertates et exceptiones sæcularium exactionum a regibus et principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Ad indicium autem hujus a Sede Apostolica constitutionis præceptæ unum bisantium liberaliter oblatum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem

eidem loco jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ episcopus. Ego Leo tituli Sanctæ Crucis presbyter card. Ego Nicolaus Tusculanus episcopus. Ego Guido Prænestinus episcopus. Ego Hugo Ostiensis et Velletrensis episcopus. Ego Pelagius Albanensis episcopus. Ego Petrus Sabinensis episcopus. Ego Petrus Sanctæ Pudentianæ tit. Pastoris presb. card. Ego Robertus tit. S. Stephani in Cœlio monte presb. card. Ego Stephanus Basilicæ duodecim apostolorum presb. card. Ego Guido S. Nicolai in carcere Tull. diacon. cardin. Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. card. Ego Reinerius S. Mariæ in Cosmedin diac. card. Ego Stephanus S. Adriani diac. card. Ego Ægidius SS. Cosmæ et Damiani diac. card. Per manum Reinerii S. R. E. vicecancellarii II kal. aprilis, Indictione VII, Incarnationis Dominicæ MCCXIX, pontificatus vero domini Honorii Papæ III anno tertio.

CLXXVI

Ad Guillelmum, Catalaunensem episcopum.

1 april. 1219.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 681. Regest., lib. III, ep. 275.]

Adversus Albigenses profecturo episcopo, cui propriæ deficiebant facultates, indulget Honorius, ut proventuum vicesimam Terræ Sanctæ subsidio deputatam, reservata dimidia vicesimæ parte concessa regi Philippo, retineat.

Honorius episcopus... venerabili fratri episcopo Catalaunensi (1), salutem, etc.

Ad colligendum zizania quæ super seminavit in medio tritici humani generis inimicus, necesse habent frequenter Christi operarii convenire, prædicatores videlicet evangelicæ veritatis et orthodoxæ fidei zelatores, ut eos qui huic inimici sunt nomini, reprehendant, et expugnent viriliter fidem catholicam impugnantes. Nempe, si diligenter attendimus quantum honoraverit Christus Dominus christianos, dum ipsos proprie reputans esse suos, quos in unda regeneravit baptismatis, sacri unctione chrismatis consignavit, ut eos tanti vocabuli privilegio communiret, nullam pati possemus majorem injuriam sive contumeliam sustinere, quam ignominiosa opprobria exprobrantium blasphemorum, qui, tamquam magistri erroris, prodeuntes ex Albigensium synagoga, maculare vel offuscare potius satagunt christiani nominis, claritatem. Propter quod, sicut tuis litteris intimasti, non immerito zelus te comedit domus Dei, et ad confundendam hæresim prævaricatorum hujusmodi te accingis, affixo tuis humeris signo crucis, ducturus tecum strenuos pugnatores, qui, te de agro hæreditatis Dominicæ lolia exstirpante, ad comburendum fasciculos ligent ipsa, conservaturi triticum in horreo Domini reponendum.

Verumtamen, quia tibi gravi, sicut asseris, debitorum onere prægravato propriæ facultates non suppetant ad tantum negotium peragendum, apostolicæ subventionis subsidium implorasti. Licet autem non sine conscientiæ scrupulo possimus ad talia inclinari, volentes tamen apud nos preces tuas in aliquo exaudiri, vicesimam proventuum ad tuam mensam spectantium, quam missurus eras in subsidium Terræ Sanctæ, collectam et etiam colligendam, salva concessione Apostolica super hoc regiæ Serenitati facta, tibi, pro expensis quas in prosequendo dictum negotium facere te oportet, de speciali gratia duximus remittendam, fraternitatem tuam monentes et exhortantes in Domino, quatenus Christi militibus præfatos hæreticos expugnantibus sic succurras, quod succursum tuum et tuorum sibi sentiant cum Dei adjutorio profuturum, et nos tuæ prudentiæ ac sollicitudinis studium dignis possimus in Domino laudibus commendare. Datum Laterani, kalendas aprilis pontificatus nostri anno tertio.

CLXXVII

Ad potestatem et populum Assisinates.

1 april. 1219.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp. I, 51, n. 75.]

Ut eorum episcopo quædam regalia assignent.

Honorius, etc., dilectis filiis... potestati et populo Asisinatibus, salutem, etc. Cum venerabili fratri nostro... episcopo vestro de nostro sibi specialem gratiam facere cupientes, recommendaverimus fratri monialia, sive regalia vel manualia, quamdiu nobis placuerit, nomine nostro tenenda,

(1) Guillelmo de Pertico.

quæ apud Montem Subatio et in Torcella, curia Podii et Stirpeti Apostolica Sedes noscitur obtinere, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædicta eidem episcopo assignetis. Datum Laterani kalendis aprilis, anno tertio.

CLXXVIII

Ad Philippum Francorum regem.

1 april. 1219.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 680. Regest., lib. III, ep. 394.]

Preces ad Philippum regem iterum adhibet instanter pontifex, ut quinquennales olim inducias Joanni, Angliæ regi, concessas, prorogare velit cum filio ejus Henrico ad quinquennium.

Honorius episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Animo desideranti non sufficit tantum semel petere quod optatur. Sane alia jam vice tuæ serenitati preces porrexisse recolimus sollicitas et attentas, ut, cum treugarum olim inter te et inclytæ recordationis Johannem, regem Angliæ, initarum terminus appropinquet, ita quod treugæ ipsæ a proximo Pascha usque ad annum, sicut accepimus, finientur (1), treugas specialiter pro reverentia Christi prorogares easdem, attendens ea quæ tam in cismarinis quam transmarinis partibus instant populo christiano, et considerans quantum pax tua et regni tui necessaria sit iis qui ultra mare pro fide Christi decertant. Licet ergo speremus, quod regalis devotio preces nostras, præsertim tam favorabiles et necessarias, non repellet, sed more suo exaudiet reverenter, sollicitudo tamen, quæ super hoc animum nostrum angit, preces easdem nos compulit iterare, ut hæc ipsa iteratio tibi plenius nostrum super hoc affectum insinuet, et ad preces ipsas effectui mancipandas citius regiam sublimitatem inclinet (2). Rogamus igitur excellentiam tuam et obsecramus in Domino, pro speciali munere postulantes, quatenus, pensans sollicite supradicta, treugas specialiter ob reverentiam Christi et publicam utilitatem populi Christiani usque ad quinquennium proroges memoratas, precamina nostra taliter auditurus, quod serenitati tuæ gratiarum teneamur exsolvere actiones, et ad exaudiendas preces, si quas nobis porrexeris, per hoc specialiter astringamur.

Datum Laterani, kalendas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLXXIX

Ad archidiaconum, decanum et magistrum G. canonicum Remenses.

1 april. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 377. Mss. Laporte du Theil.]

Mandat ut ad justum finem perducatur querela super ecclesia de Sarco.

Honorius, etc., dilectis filiis archidiacono, decano et magistro G. canonico Remen.

Quum in ecclesia de Sarco, quæ quondam fuerat ordinis Sancti Augustini, per... abbatem et monachos Lobien. ordine monastico, prout ex concessione venerabilis fratris nostri, episcopi Leodien. loci diœcesani ad se pertinere asserunt, introducto, E. præsbyter ecclesiæ prædictæ canonicus, eamdem ad statum reduci pristinum cupiens, nonnullas super hoc ad diversos judices a Sede Apostolica litteras impetrasset, tandem dilectis filiis... abbate, archidiacono et... cantore Atrebaten. causam eamdem quibus eam commisimus ad nos remittentibus sufficienter instructam, nos præfato E. et monasterio B. procuratori prædictorum abbatis et conventus in nostra constitutis præsentia, dilectum filium R. subdiaconum et capellanum nostrum concessimus auditorem, per quem hinc inde propositis plenius intellectis, præfatos abbatem et conventum ab ejusdem E. in petitione ipsius ecclesiæ, se non vexaturum eosdem, præstito juramento promisit, de fratrum nostrorum consilio duximus absolvendos, ac ex officio nostro sic super hoc providere volentes, ut eidem ecclesiæ sive de monachis vel canonicis utiliter consulatur, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum, habendo præ oculis solum Deum de monachis Lobien. vel canonicis regularibus, quos magis ad id expedire videritis eamdem ecclesiam ordinetis; contradictores, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani kalendas aprilis anno tertio.

(1) Induciarum pactum cum Joanne Angliæ rege, habitum anno 1214, mense septembri.

(2) Honorii litteras ad Cisterciensem et Clarevallensem abbates, t. I, epist. 85, col. 112.

CLXXX

Ad Regen. et Antipolitanum episcopos et ad abbatem Horegiæ.

2 april. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 374. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut quamprimum debita indemnitas assignetur monasterio Sancti Victoris Massilien.

Honorius, etc., Regen. et Antipolitano episcopis et dilecto filio abbati Horegiæ Forojulien. diœcesis.

Dilecti filii... abbas et conventus monasterii S. Victoris Massilien. exhibita nobis petitione monstrarunt, quod cum felicis memoriæ Innocentius papa, prædecessor noster, bonæ memoriæ Recelino ejusdem monasterii monacho dedisset suis litteris in mandatis, ut juxta consilium bonæ memoriæ prædecessorum venerabilium fratrum nostrorum..... Ebredunen. archiepiscopi et..... Uticen. episcopi, et tecum, frater Regen. episcope, cum cohæredibus suis terram divideret, et de portione quæ ipsum contingeret prædicto monasterio partem aliquam congruam assignaret, de residuo terræ satisfacturus pro satisfactione debitorum suorum, cum tua frater Regen. eorumdem archiepiscopi et episcopi ac...... abbatis sui conniventia et assensu, prout videretur melius expedire. Nos vobis postmodum nostris dedimus litteris in mandatis, ut si quæ de præmissis non fuissent executioni mandata, vos ea sublato appellationis obstaculo, exsequi curaretis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Sed licet vos prædictum abbatem in possessionem rerum assignatarum monasterio induxeritis corporalem, super portione tamen pro debitis assignata, mandatum nostrum exsequi non curastis, propter quod prædictum monasterium creditorum instantia multipliciter insectatur. Volentes igitur indemnitati ejusdem monasterii paterna sollicitudine providere, discretioni vestræ per iterata scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus in negotio ipso juxta primi mandati nostri tenorem, ratione prævia finaliter procedentes, terram pro debitis assignatam de manibus Massiliensium qui eam contra justitiam detinere dicuntur, ad opus prædicti monasterii legitime revocetis, mandatum nostrum taliter impleturi quod non possitis de inobedientia reprehendi, sed potius de obedientia mereamini commendari. Datum Laterani quarto nonis aprilis anno tertio.

CLXXXI

Ad cantorem, magistros Zuello et Raher canonicos Cenomanenses.

2 aprilis 1219.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 680. Regest., lib. III, ep. 376.]

Petrum, Britanniæ comitem, olim excommunicacatum, sed nunc cum Nannetensi ecclesia reconciliatum, significat Honorius communioni fidelium restituendum et adversus Albigenses profecturum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis cantori, magistris Zuello et Raher canonicis Cenomanensibus, salutem.

Petente venerabili fratre nostro episcopo Nannetensi, excommunicationis et interdicti sententias, quas in nobilem virum comitem Britanniæ ac terram suam, pro violatione libertatum ac multis et gravibus damnis atque injuriis ab ipso comite atque suis sibi et ecclesiæ suæ ac ejus subditis, ut asserit, irrogatis, fractis etiam quibusdam compositionibus inter eos initis, tulerat, et metropolitanus postmodum confirmaverat, nec non illas quas idem metropolitanus in comprovinciali concilio, assidentibus sibi suffraganeis suis, promulgaverat in eumdem, apostolico munimine roborari (1). Ex parte ipsius comitis fuit nobis humiliter supplicatum, ut in continenti quadam summa pecuniæ, de cujus solutione idem cum episcopo memorato tractaverat, ac super manifestis pigneratitia, et super dubiis juratoria cautione receptis, faceremus easdem sententias relaxari, non obstantibus aliquibus litteris confirmationis, vel aliis contra ipsum super hoc hactenus impetratis.

Cum igitur ad hoc delinquens tradatur Satanæ in interitum carnis, ut salubri confusione confusus ad cor redeat, et se offerat mandatis ecclesiæ pariturum, et sic spiritus ejus in die Domini salvus fiat, ac taliter redeuntibus non sit ecclesiæ aditus recludendus, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si comes prædictus præstarit de damnis et injuriis tam circa libertates quam alia manifestis emendam, ac deinde sufficientem, quod stabit juri super dubiis, cautionem, relaxetis sen-

(1) Videndæ in hoc libro Honorii litteræ ad Petrum Britanniæ comitem; epist. III, col. 3.

tentias memoratas, ratione prævia processuri postmodum in ipso negotio, et illud, appellatione remota, fine debito decisuri; concesso eidem comiti, ut ad hoc idoneum procuratorem relinquat, et sic ipse proficiscatur in nomine Domini contra orthodoxæ fidei subversores. Alioquin antedictas sententias, sicut rationaliter sunt prolatæ, auctoritate Apostolica faciatis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, IV nonas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLXXXII

Ad homines de Collepardo.

2 aprilis 1219.

[Liverani, Spicilegium Lib., 722. n. 16.]

Illis prohibet ne denuo molestentur monasterium Sancti Bartholomæi de Trisulto in sylva.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis hominibus de Collepardo fidelibus nostris, salutem et apostolicam benedictionem.

Nuntiis vestris ad nostram præsentiam accedentibus, benignam præsentibus fratribus nostris dedimus audientiam, et instrumenta, quæ, pro quæstione sylvæ super qua inter vos et monasterium Sancti Bartholomæi de Trisulto est orta contentio, pro parte vestra exhibere curarunt, intelleximus diligenter. Sed per instrumenta eadem non apparet vos in sylva habere aliquam rationem, quod nec coram felicis memoriæ Innocentio papa prædecessore nostro aliquatenus attendere potuistis, sicut ex litteris ejus coram nobis exhibitis perpendimus evidenter, propter quod sub banno centum librarum districte vobis inhibuit per easdem, ne quis vestrum de sylva præfata quidquam capere seu contrectare præsumeret donec jus, si quod haberetis in ipsam, sub Apostolico examine curassetis plenius experiri. Nos igitur sustinere nolentes monasterium ipsum super sylva prædicta ulterius indebite molestari, sub pœna banni prædicti vobis districte præcipimus, ne quis vestrum sive masculus sive femina per se vel per alium in sylva ipsa incidere, vel animalia pascere seu quidquam de illa capere aut quomodolibet contrectare præsumat. Quod si super hoc habetis alia documenta, nos ea, cum ostendere volueritis, intelligere curabimus diligenter, et jus vestrum si quod fuerit conservare. Vos igitur præceptum nostrum hac vice taliter adimplere curetis, quod pœnam non incurratis prædictam, et alias mentis nostræ gravidinem sentiatis.

Datum Laterani, IV nonas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLXXXIII

Ad abbatem et conventum Cassinenses.

4 aprilis 1219.

[Bullar. Roman., ed. Taur., t. III, 356.]

Innovatio quorumdam capitulorum super reformatione Cassinensis cœnobii quolibet mense recitandorum.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Cassinen., salutem, et apostolicam benedictionem.

Cum bonæ memoriæ Innocentius Papa, prædecessor noster, ad reformationem monasterii vestri curam, et sollicitudinem debitam adhibens, capitula quædam statuerit, per quæ fideliter observata, monasterium ipsum, auctore Domino, et temporalibus commodis, et spiritualibus proficiet incrementis; nos ad profectum ipsius non minori desiderio aspirantes, eadem ipsius inhærendo vestigiis quibusdam tamen adjectis duximus innovanda. In primis igitur, ut membra capite sano facilius convalescant, et ad prælati exemplum subditi componantur, statuimus quatenus Cassinensis abbas utatur calciamentis et vestibus, secundum beati Benedicti regulam. Pannis videlicet quibus bonæ memoriæ Raynaldus, et Petrus de Insula aliique ipsius loci religiosi abbates usi esse noscuntur, et abstineant prorsus a carnibus nisi quum minutus, vel medicinatus, aut infirmus, seu valde debilis fuerit; et in capitulo quando superior in monasterio moram fecerit, nisi evidens causa præpediat, singulis diebus intersit, ac semper cum illis hospitibus comedat quos oportet, et tunc nihilominus ipse, ac monachi comedentes cum eo carnibus vescantur; nec ibi, aut in aliis locis ubi abbas reficitur admittantur ullatenus histriones, qui si quando se forsan ingesserint importune, detur eis cibus extra mensam abbatis solummodo propter Deum, quo contenti a gesticulationum, seu verborum ineptiis abstinere penitus compellantur; nec abbas aves, aut canes venaticos habeat, nec azolum, sive aurum in sellis habere præsumat, aut frenis

utatur ullatenus deauratis; nec ullus obedientialis monasterii numerum duarum equitaturarum, et totidem servientium excedat. Porro abbas, cum pro emergentibus negotiis equitabit, ducat moderatam familiam, et honestam, et tam apud Sanctum Germanum, quam apud alia monasterii castra, in quibus ipsum manere continget, tres aut duo senioribus monachis vitæ probatæ, religionis, et famæ, semper in una camera jaceant cum eodem, aliis monachis, qui secum fuerint, in uno loco comedentibus et jacentibus, ita quod nullus cameram habeat specialem, ut sic melius Sathanæ obvietur, obstruantur.

Monachi vero in monasterio consistentes tam obedientiales, quam alii in communi dormitorio jaceant, et communi comedant refectorio, nec quisquam illorum obedientialium, aut alius superior in monasterio servientes habeat speciales, nec specialia sibi faciat fercula præparari, sed omnes pulmentis utantur communibus, infirmis duntaxat exceptis, qui et ipsi omnes simul in infirmatorio comedant, nisi forsan, qui tanta debilitate laborant, ut ex lectis discedere sine difficultate non possint : sub infirmario autem alius statuatur monachus bonæ conversationis, vel laicus, qui assiduam in infirmatorio faciens residentiam die, ac nocte infirmorum singulorum, et omnium curam gerat : hospitale quoque restitutis sibi omnibus subtractis eidem, taliter reformetur, ut infirmi, et pauperes confugientes ad illud solatia ibi recipiant consueta; sub hospitalario nihilominus alio monacho, vel religioso laico constituto, qui de die in hospitali permanens, et de nocte fideliter pauperibus administret.

Monachis vero aliorum monasteriorum cum ad ipsum monasterium declinaverint, benigne sicut ipsius loci fratribus ministretur. In superiori etiam sacristia constituatur aliquis monachus providus, et honestus, qui res sacras custodiat diligenter, nec a ministerio removeatur hujusmodi, quamdiu bene, ac laudabiliter ministrabit; sacerdotes ordinentur de senioribus ad hoc officium exsequendum idoneis, ut non sit in monasterio penuria, sed copia sacerdotum. Simon de Collealto, Joannes de Collimento, et illi etiam monachi, qui præsumpserunt cum Adinulfo quondam abbate conjurare; vel rebellare contra Romanam Ecclesiam, seu monasterium Cassinense semper in conventu morentur, ita quod nulla obedientia committatur eisdem, donec emendaverint in melius vitam suam.

Quia vero quidam ex vobis in animarum suarum perniciem habere proprium non verentur, statuimus, ut illud resignare in usus monasterii convertendum sub religione juramenti, si necesse fuerit, compellantur, et si de cætero aliquis ipsius loci monachus proprium habere fuerit deprehensus, sine spe restitutionis a monasterio expellatur : cum nos omnes hujusmodi proprietarios decreverimus excommunicationis sententiæ subjacere. Si vero apud aliquos in morte proprium contigerit inveniri, ecclesiastica careant sepultura. Cæterum si alicui monachorum aliquid a quocumque specialiter datum fuerit, illud abbati, vel decano resignet, sed ipse abbas, vel decanus necessitatibus ejus inde faciat provideri, sicut viderit expedire, nec ea, quæ sunt ad refectiones aut vestes, seu conserventur per illos, quibus fuerit hæc sollicitudo commissa, et pro ipsorum monachorum necessitatibus utiliter expendantur.

Nec claustralium aliquis præbendas, vel redditus habeat extra claustrum, et eis, qui noscuntur habere, penitus auferantur, decanus quoque habere duplicia vestimenta, et specialia cibaria non præsumat, et monachus vetera reddat, quandocumque nova receperit indumenta.

Et cum apud vos jam quasi pro consuetudine dicitur obtinere, ut cum monachum aliquem irreligiosum, aut garrulum, inobedientem, aut etiam impudicum in vestro contigit collegio invenire, abbas ejus seditiones evitans obedientias, ecclesias, et alia bona monasterii det eisdem, unde mali quasi de sua malitia commodum reportantes prolabuntur, sæpius ad pejora, et alii quoque ad dissensiones, et scandala incitantur; volumus et mandamus, ut abbas viros honestos, obedientes, religiosos, et graves sincera tractare studeat caritate. In honestos vero, ac inobedientes, dissolutos et leves cum decani, et seniorum consilio juxta monastica puniat instituta, ut sic boni de bono provocentur ad melius, et mali a sua malitia revocentur.

Claustralibus autem absque manifesta, et necessaria causa exeundi a claustro licentia nullatenus tribuatur, cum periculosum sit talibus sæcularium cœtibus admisceri; nec

sub consanguinitatis prætextu infra monasterii ambitum colloquium habere cum mulieribus juniores monachi permittantur nisi præsentibus, ad minus duobus monachis senibus, et honestis.

Ad imitationem quoque felicis memoriæ Lucii papæ prædecessoris nostri statuimus, ut abbas possessiones demanias monasterii alienare, vel infeudare non possit, adjicientes ut idem tam molendina, quæ bonæ memoriæ abbas Roffridus in gravem alienavit monasterii læsionem, quam alia, quæ de ipsius monasterii demania alienata sunt illicite, vel distracta, seu male concessa ad opus ejusdem studeat legitime revocare. Præposituram vero ecclesiarum suarum conferat monachis prudentibus, et honestis, quos faciat juramento firmare, quod non alienabunt ipsorum possessiones, et jura; quod si forte præsumpserint ipsos perpetuo a ministerio sine spe restitutionis decernimus amovendos, alias graviter puniendos.

Dicti autem præpositi, singuli certos, modestos, et consuetos redditus reddant monasterio annuatim secundum ecclesiarum, quibus præfuerint, facultates, et ut, sicut mali de malitia pœnam, ita boni de bonitate præmia consequantur; abbas præpositos ipsos a præposituris, in quibus eos bene administrasse constiterit non amoveat absque necessitate, vel utilitate monasterii manifesta.

Monachos vero de castris, et villis ad claustrum præcipimus revocari, nisi forte ad custodiam illarum munitionum, quæ fuerint in finibus abbatiæ sint aliqui necessarii, quos ibi pro tempore toleramus, quibus abbas injungat in virtute obedientiæ, ut quantum poterunt religiose viventes personam in judicio non accipiant, sed æqualiter justitiam faciant pauperi ac diviti, debili ac potenti. Eos vero, qui declinabunt ad dexteram, vel sinistram debita severitate puniat ipse abbas, in quorum pœna, si negligens fuerit, aut remissus Apostolicæ correctionis experiatur sententiam in se ipso. Ipse vero nullum invitum agere, vel accusare compellat, nec præponat judiciis venditores justitiæ, sed viros timentes Deum, et peritos in jure, qui sine acceptione personarum exhibeant justitiam conquærentibus; interdicto penitus ne aliquod fiat pactum, ut aliquid curiæ monasterii serviatur pro justitia facienda. Clericos autem abbatiæ in spiritualibus, et temporalibus ad forum trahi non faciat sæculare, sed ad ecclesiasticum potius, ne patiatur sacristiam ab eis exigere ultra duas procurationes in anno, sicut olim fieri consuevit.

Præterea cum consilio conventus, vel majoris et sanioris partis eligat duos de ipso, qui jurati proventus obedientiarum quæ consueverant teneri per monachos a balivis diligenter recipiant, et de mandato abbatis cum consilio conventus, vel majoris partis ipsius eos in debitorum solutione convertant reddituri coram abbate, ac conventu balivis præsentibus de receptis, et expensis singulis mensibus rationem. Et tam monachi quibus castra, quam illi quibus ecclesiæ committuntur, personaliter ad claustrum in Feldo dedicationis monasterii annuatim accedant rationem villicationis suæ coram abbate, decano, et aliis reddituri.

Quod observandum statuimus etiam circa ipsius monasterii thesaurarium, cellerarium, infirmarium, hospitalarium, et sacristiam, ut qui laudabiliter egerint debita fratrum commendatione lætentur, qui vero male confusione, ac ignominia perfundantur. Ad hæc, thesaurarius, cellerarius, et infirmarius singulis diebus sabbathi ad monasterium secundum consuetudinem antiquam, et approbatam accedant in claustro cum fratribus usque ad secundam feriam moraturi, quod et abbas facere studeat cum poterit competenter. Supradicta ergo capitula præcipimus inviolabiliter observari, et ne quis se per ignorantiam valeat excusare volumus et mandamus, ut ea singulis mensibus in abbatis, et fratrum præsentia recitentur. Quod si in observantia, prædictorum inventi fueritis tepidi, vel renuisse, cum fructum ex vinea vobis commissa faciemus requiri perditis male malis. Vineam ipsam aliis agricolis profecto locabimus, qui reddant Domino temporibus suis fructum, cum jam non restet aliud vineæ faciendum.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, secundo nonas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CLXXXIV

Ad Guillelmum, Catalaunensem episc.

4 aprilis 1219.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 681; Regest., lib. III, ep. 381.]

Ejusdem argumenti cujus superior epistola ad eumdem episcopum, data 1 aprilis.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Catalaunensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, sicut per tuas nobis litteras intimasti, signo crucis assumpto, irrevocabiliter proposueris ire contra perfidos Albigenses, ducturus tecum congruum electorum numerum bellatorum, non sine gravibus laboribus et expensis, nos tuum propositum dignis in Domino laudibus commendantes, et volentes illud congruo subsidio adjuvare, salva dimidia parte vicesimæ, quam carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francorum illustri, concessimus ad prædictos perfidos expugnandos, dimidiam partem reliquæ vicesimæ de tua diœcesi jam collectæ, in Terræ Sanctæ subsidium deputatæ, nec non totam illam, quæ adhuc colligenda restat, tibi pro te ac his quos tecum duxeris, ex nostra duximus providentia concedendam. Datum Laterani, pridie nonas aprilis, anno tertio.

Scriptum est super hoc Noviomensi et Meldensi episcopis et fratribus Aymaro, domus militiæ Templi Parisiensis thesaurario, et Stephano, panectario, *usque* concedendam. *Deinde subjicitur :* Cæterum, quia volumus, ut hujusmodi nostra concessio eidem episcopo vel procuratori suo indiminuta servetur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si forte de portione vicesimæ quæ ipsum contingit, a vobis vel aliis aliquid est receptum, tantumdem eidem de parte quæ est in Terræ Sanctæ subsidium destinanda, sine difficultate qualibet compensetis. Datum ut supra.

CLXXXV

Ad Noviomensem ac Meldensem episcopos.

5 aprilis 1219.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 682; Regest., lib. III, ep. 379.]

Mandat Honorius, ut partem vicesimæ proventuum ecclesiasticorum sacro bello attributam transferri faciant ad domum templi Parisiis et inde in Terram Sanctam.

Honorius episcopus... venerabilibus fratribus Noviomensi (1) et Meldensi (2) episcopis, salutem, etc.

Intellecto ex litteris vestris, quod, diligenter mandatum apostolicum exsequentes, duorum præteritorum annorum vicesimam et pecuniam truncorum, ac pro redemptione votorum exhibitam per metropolitanos in provinciis suis et eorum suffraganeos, ad mandatum vestrum collectas, ad domum militiæ Templi Parisiis deferri fecistis, et assignata medietate ipsarum carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francorum illustri, juxta mandati nostri tenorem (3), reliquam pro Terræ Sanctæ subsidio reservatam in domo reposuistis prædicta, non volentes eam dilectis filiis S. Hospitalario et Hen. Templario, nostris nunciis, assignare sine nostro speciali mandato, sollicitudinem et diligentiam vestram in Domino commendamus. Volentes igitur, ut ad ejusdem Terræ succursum dicta pecunia celeriter transferatur, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsam dilecto filio fratri Aymardo, thesaurario domus prædictæ, ac præfatis nunciis nostris, vel eorum alteri, si non ambos contigerit interesse, assignetis eamdem in auro ab eis fideliter commutandam, et illud cum consilio vestro et sub litterarum vestrarum et aliquorum etiam prælatorum, si fieri poterit, testimonio per viros idoneos et fideles in ultramarinis partibus caute ac fideliter distribuendum et assignandum venerabilibus fratribus nostris Albanensi episcopo (4), Apostolicæ Sedis legato, et Jerosolymitano patriarchæ, et dilectis filiis magistris Hospitalis et Templi, per eos, de conscientia magnatum exercitus christiani, necnon et principis Romanorum, in ejusdem Terræ subsidium expendendum, prout ipsius utilitas et necessitas postulabit, circa instantis anni vicesimam colligendam una cum dictis nunciis nostris, vel eorum altero, si non ambo potuerint interesse, eamdem sollicitudinem adhibentes, medietatem ipsius simili modo ad Terræ Sanctæ subsidium transmissuri.

Datum Laterani nonis aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

(1) Stephano. (2) Guillelmo de Nemosio, germanis fratribus.

(3) Honorii ad Philippum regem litteras vide supra, epist. XVI, col. 24. (4) Pelagio.

CLXXXVI

Ad abbatem Sancti Lupi Trecensis.

10 aprilis 1219.

[Regest., lib. III, epist. 383. Mss. La Porte du Theil.]

Abbatem de voto Hierosolymitano absolvit.

Honorius, etc., dilecto filio... abbati Sancti Lupi Trecen.

Dilecti filii conventus monasterii tui nobis humiliter supplicarunt multiplicatis intercessoribus plurimorum, ut cum sine gravi dispendio ejusdem monasterii nequeas exsequi votum crucis, te ab eo absolvere dignaremur, præsertim cum etiam Terræ Sanctæ magis expediat, ut monasterii vicesima in ejusdem terræ subsidium dirigatur, quam tu eundo illuc inutiliter expendas eamdem. Nos igitur provide attendentes, quod cum ad pugnandum armis materialibus ratione officii sis ineptus, et absens etiam armis spiritualibus eidem terræ, si datum est tibi, a Domino possis assistere, orationibus videlicet, et aliis piis operibus sistendo te a voto crucis duximus absolvendum, et quia pro vicesima monasterii tui centum libras de mandato nostro in Terræ Sanctæ subsidium destinasti, monasterium ipsum nos a præstatione vicesimæ absolvisse tenore præsentium declaramus, pro eo maxime quod cum, sicut asseritur, monasterii ejusdem proventus in nutrimentis animalium, et terris arabilibus pro majori parte consistant, commode taxari non possit vicesima eorumdem, non obstante concessione dimidiæ vicesimæ facta carissimo in Christo filio nostro Ph., regi Francorum illustri, quam si exsequereris personaliter votum tuum, a quo soluta vicesima te absolvimus nequaquam eam exsolvere tenereris. Datum Laterani quarto idus aprilis pontificatus nostri anno tertio.

CLXXXVII

Ad abbatem Sancti Lupi, decanum Sancti Stephani et R. canonicum majoris Ecclesiæ Trecensis.

11 aprilis 1219.

[Regest., lib. III, epist. 384. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut magistrum Nicolaum faciant in canonicum accipere in ecclesia Catalaunensi, dummodo resignet præbendam, quam obtinet in ecclesia Sancti Nicolai.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati Sancti Lupi... decano Sancti Stephani et R. canonico majoris ecclesiæ Trecen.

Venerabilis frater noster... episcopus et... decanus cum pluribus de capitulo Catalaunen. per suas nobis litteras supplicarunt, ut dilectum filium magistrum Nicolaum, de cujus vita et scientia laudabile testimonium perhibebant, in Catalaunen. ecclesia recipi faceremus in canonicum et in fratrem. Nos igitur eorum precibus, quæ de mera videntur procedere caritate, favorabiliter annuentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus si præfatus episcopus et decanus cum majore et saniori parte capituli consenserint, et aliud canonicum non obsistat impedimentum, eum in prædicta ecclesia recipi faciatis in canonicum et in fratrem, paratum præbendam Sancti Nicolai, quam obtinet, resignare. Contradictores si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani tertio idus aprilis pontificatus nostri anno tertio.

CLXXXVIII

Ad abbatem Præmonstratensem.

11 april. 1219.

[Hund, Metrop. Salisb. III, 362. Monumenta Boica. VI, 510.]

Immunitas Præmonstratensis.

Honorius, etc., dilecto filio abbati Præmonstratensi salutem et apostolicam benedictionem. Carissimus in Christo filius noster F. Siciliæ rex illustris in Romanorum imperatorem electus nobis insinuare curavit, quod cum claræ memoriæ dux Welfo prædecessor ipsius ecclesiam beati Joannis Baptistæ de Staingaden, Præmonstratensis ordinis, pia devotione construxerit et dotarit, illam quibusdam libertatibus et immunitatibus muniendo; tu, licet prædecessores tui eam in sua libertate hactenus conservaverunt, statutum ejusdem nobilis super libertatibus et immunitatibus ipsius cœpisti pro tuæ voluntatis arbitrio violare. Volentes igitur, ut quod super hoc pie ac provide factum est, a duce prædicto debitam obtineat firmitatem, discretionem tuam monendam duximus et hortandam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus ecclesiam ipsam in ea libertate conserves, in qua prædecessores tui eamdem noscuntur usque ad

tua tempora conservasse. Datum Laterani III idus aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Eumdem modum scriptum est ad Bertholdum abbatem Staingadensem. Datum ut supra.

CLXXXIX

Ad Simonem abbatem Aquicinetensem diœcesis Arelatensis.

11 aprilis 1219.

[Ex cartulario abbatissæ Sancti Salvatoris Aquicinetensis; Biblioth. Nat., fonds Moreau, t. 125, p. 141.]

Dat Simoni et ejus successoribus usum pontificalium et minores ordines conferendi monachis Aquicineten. facultatem.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Simoni abbati (1) Aquicineten. salutem et apostolicam benedictionem.

Ut in spe gerere quod tandem jure habebit se demonstret ecclesia, et veritatem præindicet per figuram, variis decoratur insignibus dignitatum per quæ pulchra fidelibus et infidelibus appareat ut castrorum acies ordinata. Quare nos qui decorem domus Domini tenemur ex officio nobis injuncto diligere, decentes personas libenter talibus decoramus, sperantes ut tanto ad eorum significata, studiosius se informent, quanto significantibus se de nostra cognoscant gratia specialius insigniri. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis precibus eo favorabilius annuentes quo religionis observantia et honestate vitæ nobis te reddis merito cariorem, ad decus et decorem nobilis Aquicineten. ecclesiæ cui præes, mitræ ac annuli usum tibi et successoribus tuis de nostra concedimus gratia liberali, nec non altaris et sacerdotis ornamenta benedicendi et monachis tuis ordines conferendi minores, monachosque et conversos monasterii tui, qui propter manuum injectionem inter se sententiam excommunicationis incurrunt, juxta formam ecclesiæ absolvendi et propter hoc injungendi eis pœnitentiam competentem, liberam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem, nisi forte, quod absit, adeo esset gravis et enormis excessus, quod hujusmodi manuum injectores ad Sedem Apostolicam forent merito destinandi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani III idus aprilis pontificatus nostri anno tertio.

CXC

Ad archiepiscopum Strigoniensem.

(Sine die, mense et anno.)

[Theiner, Monum. Hungariæ, n. 27.]

Archiepiscopo Strigoniensi ut ex sua provincia nonnullos viros idoneos sibi mittat, qui nationibus gentium verbum evangelium prædicare possint.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri... Strigoniensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Ne si secus vineam Domini nostræ curæ commissam positas undique sollicitudines redigere neglexerimus ad culturam, et propagare in eis propagines, quæ flores odoris et fructum afferant honestatis, possimus merito de torpore seu desidia reprehendi: licet undecima sit hora, operarios tamen in ipsas proponimus destinare, qui sarculo prædicationis ex circumadjacentibus nationibus vitiorum spinas evellentes et vepres, et extendentes in easdem palmites fidei compluentesque illas aquis, quæ transeunt inter medium montium, ipsas florere faciant et virtutum germina germinare: ac sic effundente Domino spiritum de excelso in solitudine judicium, quo se cum Deo et coram Deo, ne ab eo judicetur, dividicus habitet, fiatque nationum desertum in Chermel, in veræ circumcisionis scientiam veniendo: et postquam intraverit gentium plenitudo, tandem reconciliationis justitia sedeat in Chermel in Israelitico populo, qui nunc reputatur in saltu (2). Verum cum multi per

(1) L'authenticité de cette bulle est donnée en ces termes dans le manuscrit d'où nous l'avons extraite : « Je, soussigné, religieux de la congrégation de Saint-Maur, certifie avoir transcrit et collationné la présente copie sur un titre en parchemin large de quatorze pouces deux lignes sur treize pouces huit lignes de hauteur, tout compris, auquel tiennent les sceaux du pape Honorius IIIe du nom, à double queue de soie rouge et sceaux empreints sur plaque ronde de plomb, trouvé au chartrier de l'abbaye de Saint-Sauveur d'Anchin, étant entre deux voûtes au bout du dortoir, du côté de l'église ayant croisée à l'orient. — Quemfert. »

Simon, à qui cette bulle est adressée, était Simon II, abbé de Saint-Maur d'Anchin, diocèse d'Arras.

(2) Ce texte, à partir de ces mots : ... *ac sic effundente*, jusqu'au bas de la page, est évidemment tronqué. Nous l'avons reproduit d'après Theiner, scrupuleusement collationné; mais nous lui en laissons la responsabilité.

Dei gratiam ad hoc opus idonei latitent intra ecclesiam otio comtemplationis, vacantes amplexibus infecundæ Rachelis, videntes tamen subtilius inhærendo, qui se in cultura Dominicæ vineæ non curarunt hactenus exercere, Lyæ fecundæ, sed lyppæ, quasi connubium aspernando; ipsos per te ac alios ecclesiarum prælatos, ne cum tota die circa propagationem ac dilationem vineæ Dominicæ steterint otiosi, quod nemo eos conduxerit, valeant excusari, duximus excitandos, ut et in hac undecima hora conducti mandragores Lyæ ingrediantur cubiculum et vineam Domini studeant propagare, laboraturi quasi brevi horæ spatio in eadem, et diurni denarii pretium recepturi. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in provincia tua quatuor viros opinionis sinceræ ac litteraturæ probatæ, vel tres seu saltem duos cujuscumque religionis vel ordinis, et Cisterciensis præsertim, cui Dominus benedixit a mari usque ad mare ipsius extendendo palmites, eligas, qui super nitentes asinos ascendentes, habentesque vitam in patientia et mortem in desiderio, sponte velint animas suas offerre discrimini, ac benedicere Domino parati, pro ipsius nomine si opus fuerit martyrium sustinere, ac ipsos usque ad festum beati Martini ad præsentiam nostram transmittas, secundum circumspectionis Apostolicæ providentiam una cum illis, quos de provinciis aliis ad nos mandamus transmitti ad solitudinem diversarum gentium destinandos, ut in eis fungentes legatione pro Christo reconciliari obsecrent illas Deo, quasi per ipsos, Domino exhortante, ac tanquam cives apostolorum et domestici Dei, easdem verbo doctrinæ illuminent, pacem gentibus tribuendo ac cum exultatione ad nos seu ad Dominum potius revertentes justitiæ manipulos referant, et ab eodem vitæ senatum recipiant sanguine proprio laureati. Quod si forsan prælati eorum, qui animas suas sponte periculo duxerint offerendas, voluntati eorum præsumpserint obviari, præsumptionem eorum monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescas.

Datum Laterani.

CXI

Ad decanum et capitulum Sancti Audomari.

17 aprilis 1219.

[Regest., lib. III, epist. 463. Mss. La Porte du Theil.]

Vituperat præpositum super inobedientia et mandat ut sine dilatione præbenda conferatur magistro Jacobo.

Honorius, etc., dilectis filiis decano et capitulo Sancti Audomari.

Olim dilecto filio..... præposito vestro dedisse recolimus semel et iterum in mandatis, ut dilecto filio magistro Jacobo, scriptori nostro, in ecclesia vestra præbendale beneficium assignaret; sed ipso id efficere non curante, scripsimus iterato eidem, ut præcedentem inobedientiam expiaret per obedientiam subsequentem, et præbendam, si qua in ecclesia prædicta vacaret, conferret illi, vel procuratori ejus nomine suo liberaliter ac libenter. Nihilominus... cantori Noviomen. suisque collegis mandantes, ut præbendam in dicta ecclesia proximo vacaturam denunciarent nostræ donationi servatam, personæ idoneæ conferendam, decernentes irritum et inane, si quid contra formam mandati nostri de ipsa contingeret aliter ordinari, contradictores censura ecclesiastica compescendo; qui humiliter impleverunt apostolicum super hujusmodi denuntiatione mandatum. Interim vero magister Walt. clericus ad præsentiam nostram accedens et asserens, quod dictus præpositus promittens eidem se in præbendali beneficio provisurum, assignata ipsi annua pensione ad dimittendum scholas eumdem induxit, et postmodum promissionis suæ immemor, quamquam ibi plures præbendæ vacarint, in nulla ipsarum sibi curavit, quum commode potuerit providere, ad venerabilem fratrem nostrum Ambianen. episcopum suosque collegas litteras Apostolicas de præmissis nullam facientes penitus mentionem obtinuit sub hac forma, ut videlicet ipsum in præfata ecclesia in fratrem et canonicum recipi facientes, præbendam, si qua vacaret ibidem, vel quantocies super hoc se facultas offerret, Apostolica sibi auctoritate conferrent, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quarum occasione judices Ambianen. vos multipliciter inquietant, magistro Willelmo canonico Arien. per

alias litteras in forma simplice ad..... decanum Insulen. suosque collegas a nobis obtentas in ecclesia prædicta nitente nihilominus præbendari. Cum igitur præbendam proximo vacaturam pro dicto scriptore nostro donationi nostræ jusserimus reservari, nec intentionis nostræ fuerit per hujusmodi mandata, vel alia taliter a nobis subrepta revocare gratiam sibi factam, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ipsum Jacob. in fratrem et canonicum liberaliter admittatis, ut idem qui vobis et ecclesiæ vestræ poterit existere fructuosus propter hoc vobis, et illi specialiter astringatur, nosque devotionem vestram possimus merito commendare. Alioquin cantori præfato, suisque collegis nostris damus litteris in mandatis, ut revocato in irritum si quid fuerit contra præsumptum, ipsi, vel procuratori suo assignantes eamdem, vos ad receptionem illius per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum Romæ apud Sanctum Petrum decimo quinto kal. maii pontificatus nostri anno tertio.

Scriptum est super hoc eisdem cantori et collegis ipsius *usque* in canonicum admittant, et in fratrem, verbis competenter mutatis. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus revocato in irritum si quid fuerit contra præsumptum, etc., usque in finem. Quod si non omnes, etc.

CXCII

Ad thesaurarium Engolismensem.

17 aprilis 1219.

[Regest., lib. III, epist. 406. Mss. La Porte du Theil.]

Concedit ut conservet quasdam ecclesias cum thesauraria.

Honorius, etc., dilecto filio de Briâ thesaurario Engolismen.

Postulasti a nobis ut cum de novo thesaurariam Engolismensis ecclesiæ curam animarum habentem a venerabili fratre nostro..... Engolismen. episcopo canonice sis adeptus, ex cujus proventibus, cum sint tenues, hospitalitatem non potes debitam observare, concedere tibi de benignitatis nostræ gratia dignaremur, ut quasdam ecclesias, quas ante generale Concilium obtinueras et quarum redditus annuatim tibi summam viginti librarum Turonen. non transcendunt, cum velis in eis perpetuos vicarios constituere, ac tibi adeo sint vicinæ, quod ad eas frequenter possis accedere, visitationis et correctionis eis officium impensurus, cum eadem thesauraria valeas retinere. Quia vero de te super litteratura, honestate, ac moribus laudabile testimonium perhibetur, nos in hujusmodi casu tibi concedimus postulata. Datum Romæ apud Sanctum Petrum XV kalendas maii pontificatus nostri anno tertio.

CXCIII

Ad priorem Sancti Hilarii de Cella, ad subdiaconum ejusdem ecclesiæ et magistrum Stephanum.

18 april. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 402. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut faciant observare sententiam excommunicationis qua sunt adstricti quidam canonici.

Dilectis filiis... priori sancti Hilarii de Cella... subdecano Sancti Hilarii et magistro Stephano canonico Pictaven.

Dilectus filius... abbas Aurevallis ordinis Sancti Augustini Pictaven. diœcesis, sua nobis conquestione monstravit, quod quidam ecclesiæ suæ canonici, qui, culpis suis exigentibus, per ipsum vinculo sunt excommunicationis adstricti, aliorum communioni se irreverenter immiscent in animarum suarum perniciem, et scandalum aliorum. Et licet idem abbas eorum salutem sitiens, ipsis velit absolutionis beneficium impartiri, illi tamen tamquam in profundum venerint peccatorum, maledictionem bibentes ut aquam, excommunicationis sententiam vilipendunt; propter quod ipsa ecclesia gravem in spiritualibus sustinet læsionem. Ne igitur de sua valeant malitia gloriari, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictam excommunicationis sententiam, sicut rationaliter est prolata, publice innovantes, faciatis eamdem per censuram ecclesiasticam appellatione remota observari. Quod si non omnes, etc. Romæ apud Sanctum Petrum decimo quarto kalend. maii pontificatus nostri anno tertio.

CXCIV

Ad primicerium et clericos scholæ cantorum de Urbe.

20 april. 1219.

[Bullarium Vaticanum, I, 105.]

De portione oblationum altaris beati Petri, quæ contingit Romanum pontificem decem libras suo tantum tempore annuatim largitur.

Honorius, etc., dilectis filiis primicerio et clericis scholæ cantorum de Urbe.

Dignum est, ut, qui ministerii vestri munia laudabiliter exsequimini, laudes Domini suaviter decantantes, exinde assequamini munera gratiosa, cum dantibus psalmum, non sit tympanum denegandum. Cum itaque felicis memoriæ Cœlestinus papa prædecessor noster vobis de portione oblationum altaris beati Petri, quæ contingit Romanum pontificem, annuas duodecim libras de gratia contulerit liberali. Nos ejusdem gratiæ volentes addere gratiam, ut de virtute studeatis proficere in virtutem, de oblatione prædicta decem libras, nostro tantum tempore, vobis annuatim duximus largiendas; ita quod ex hoc successores nostri nullatenus obligentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum XII kal. maii, pontificatus nostri anno tertio.

CXCV

Ad potestatem et populum Alexandrinos.

20 april. 1219.

[Ghilini, Ann. di Alessandria, p. 27.]

Sub beati Petri et sua protectione suscipit populum Alexandrinum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis potestati et populo Alexandrinis salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos, et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit; et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis precibus inclinati, civitatem vestram, et personas consistentes in ea, sub beati Petri, et nostra speciali protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne quis vos, et civitatem eamdem præsumat indebite molestare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum XII kal. maii, pontificatus nostri anno tertio.

CXCVI

Ad potestates et populum Alexandrinos.

20 april. 1219.

[Ghilini, Ann. di Alessandria, p. 27.]

Idem argumentum ac antecedentis epistolæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis potestati et populo Alexandrinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Devotionem vestram in Domino laudibus commendamus, quod vos memores qualiter pro Apostolicæ Sedis honore fuit civitas vestra constructa, unde a felicis recordationis Alexandro papa prædecessore nostro, cujus tempore facta est Alexandria, nomen assumpsit, et eidem sedi postmodum se constituit censualem, recognoscendo eamdem specialem Ecclesiæ Romanæ filiam, nunc fidelitatis juramentum nobis, et eidem ecclesiæ præstitistis; propter quod eo magis ad honorem, et commodum vestrum et civitatis ejusdem intendimus volentes ipsam speciali nostra protectione muniri, quod plenius ad nos, et prædictam ecclesiam sinceritatis, et devotionis exhibuistis affectum. Quocirca universitatem vestram rogandam duximus, et hortandam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus in devotione, ac fidelitate Sedis Apostolicæ persistentes, nulli absque speciali mandato nostro fidelitatem de cætero faciatis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum XII kalendas maii, pontificatus nostri anno tertio.

CXCVII

Ad magistrum Gratiæ capellanum.

22 april. 1218.

[Savioli, Ann. Bologn., t. II, 2, 403.]

Ecclesiæ Bononiensis administratio datur magistro Gratiæ et ejus successoribus.

Honorius episcopus servus servorum Dei magistro Gratiæ capellano nostro archidiacono Bononiensi.

Ne jura Bononiensis ecclesiæ minuantur si non sit qui specialiter habeat curam ejus in capitulo ejusdem ecclesiæ plenam et liberam administrationem spiritualium et

temporalium, tibi tuisque successoribus duximus auctoritate præsentium concedendam ut tu itemque successores tui administrantes in eadem ecclesia quum necesse fuerit corrigatis et reformetis ac statuatis sicut quæque pro tempore suo cognoveritis officio indigere, contradictores si qui fuerint vel rebelles per censuras ecclesiasticas submota appellatione compescendo. Nulli ergo hominum liceat, etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, X kalendas maii, pontificatus nostri anno tertio.

CXCVIII

Ad P. Norwicensem electum, A. S. legatum.

23 april. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 423. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut tueatur regis Angliæ jura.

Honorius, etc., dilecto filio P. Norwicensi electo, Apostolicæ Sedis legato.

Quum charissimus in Christo filius noster Henricus rex Anglorum illustris crucesignatus, pupillus custodiæ Sedis Apostolicæ derelictus sub nostra protectione consistat, sicut jura ejus sine nostra injuria detineri non possunt ab aliquibus usurpata, sic ad manus ejusdem eadem revocanda efficaciter nos decet intendere tanquam causam propriam prosequentes. Volentes igitur ejusdem regis indemnitati providendo succurrere, cui nequivimus occurrere præcavendo, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus castra, dominia, possessiones, et alia omnia ad præfatum regem de jure spectantia, prout secundum consilium... rectoris et consiliariorum regis utilitati ejus expedire videris, studeas ad regis dominium revocare. Contradictores si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Romæ apud Sanctum Petrum nono kalendas maii anno tertio.

CXCIX

Ad eumdem.

23 april. 1219.

[Regest., lib. III, ep. 423. Mss. La Porte du Theil.]

Idem argumentum ac supra.

Carissimus in Christo filius noster Henricus rex Anglorum illustris suam ad nos quærimoniam destinavit, quod prælati et capitula ecclesiarum de Anglia contra jura regia et consuetudines approbatas hactenus et observatas temere venientes, regia licentia non petita vacantibus ecclesiis ad electiones pastorum non sine ipsius regis contemptu procedunt, alias multipliciter injuriantes eidem. Quia igitur causam prædicti regis propriam reputemus, nolentes eum in suo jure pati jacturam, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prælatos et capitula ut eidem regi sicut convenit deferentes, ad hujusmodi electiones nisi prius ipsius regis petita licentia non procedant, et ab aliis injuriis de cætero conquiescant, moneas propensius et inducas, et si expedire videris, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cognita veritate compellas. Datum Romæ apud S. Petrum, nono kalendas maii, anno tertio.

In eumdem modum contra prælatos, et capitula Hiberniæ.

CC

Ad eumdem Norwicensem electum.

23 april. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 399. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut faciat firmiter observari juramenta a magnatibus regi Angliæ præstita.

Honorius, etc., (electo Norwicen.).

Cum causam carissimi in Christo filii nostri regis Anglorum illustris propriam omnimodis reputemus, libenter ejus precibus acquiescimus, qui profectum procuramus ejusdem etiam non rogati. Ex parte siquidem ipsius nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum universi magnates regni Angliæ coram dilecto filio nostro G. tituli Sancti Martini presbytero cardinali, tunc Apostolicæ Sedis legato, jurarint, quod honores, et jura regia promovebunt fideliter, et servabunt, et quod super iis rectori et consiliariis regis ejusdem fideliter obedient, et potenter assistent, prout in instrumento confecto exinde dicitur plenius contineri, nos juramenta hujusmodi approbare auctoritate Apostolica dignaremur. De tua itaque discretione plenam in Domino fiduciam obtinentes, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus juramenta prædicta, sicut præfato regi videris expedire, firmiter observari faciens, juratos ad observationem eorum per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Datum ut supra.

CCI

Ad Lambertum abbatem S. Bartholomæi, priorem S. Eligii et cantorem Noviomensem.

24 aprilis 1219.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 683; Regest., lib. III, epist. 419.]

Burchardum de Avesnis, clericum subdiaconum, qui raptam matrimonio sibi copulaverat Margaretam, comitissæ Flandrensis sororem, gravi olim damnatum sententia, jubet Honorius novis vinculis constringi cum fautoribus ejus, quiqui fuerint.

Honorius episcopus... dilectis filiis L. abbati S. Bartholomæi, priori S. Eligii et cantori, Noviomensibus, salutem, etc.

Si divinæ pietatis immensa benignitas sustineret, ut B[urchardus] de Avesnis apostata, vir iniquus, a somno exsurgeret, et obscuratos oculos aperiret, ut suam iniquitatem perpenderet cerneretque spurcitias, quibus a planta pedis usque ad verticem capitis est respersus, infixus in limo profundi, laboraret, forsan clamans ad Deum, ut ipsum de lacu miseriæ ac de fæcis luto educere dignaretur. Verumtamen, quod dolentes referimus, induratum est cor ipsius, quoniam, putrescens in stercore, sordidus ut jumentum, erecta cervice, obturat ad modum surdæ aspidis aures suas, ne disciplinam exaudiat et increpationes avertat, quibus a sua deberet nequitia, si datum esset a Domino, revocari; propter quod potest miser non immerito formidare, ne Deo et hominibus execrabili contritione duplici conteratur, temporali pœna videlicet et æterna. Jam enim pudor est dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri Johannæ Flandrensi et Hainoniensi comitissæ, totiens repetere scelera, quæ in ejus contumeliam dictus apostata in nobilem mulierem Margaretam, sororem ipsius, exercuit impudenter, dum idem, dudum in subdiaconatus ordine constitutus, eamdem M. linea sibi consanguinitatis conjunctam, in quodam castro suæ fidei commendatam fraudulenter abduxit, ipsamque detinet inhoneste, mentiendo se cum ea matrimonium contraxisse (1).

Cum autem ex testimonio plurium prælatorum et aliorum proborum virorum qui ad sanctum generale concilium accesserunt, felicis recordationis Innocentio papæ, prædecessori nostro, plene constiterit dictum B. fuisse subdiaconum et cantorem ecclesiæ Laudunensis, idem, motus pietatis visceribus circa dictam puellam, volensque debitum pastoralis officii exsequi contra nefandi sceleris præsumptorem, bonæ memoriæ Remensi archiepiscopo et suffraganeis ejus suis dedit litteris in præceptis, ut prædictum apostatam, in quem ore proprio, sua exigente nequitia, excommunicationis sententiam ipse tulit, singulis diebus dominicis et festis, pulsatis campanis et candelis accensis, per suas diœceses facerent cum suis fautoribus excommunicatum publice nunciari, ab omnibus arctius evitandum, loca in quibus prædictus B. moram faceret et puella foret detenta, etiamsi ad partes alias extra ipsas diœceses diverteret vel ipsam forte abduceret, facientes cessare interim a divinis, donec idem B. præfatam Margaretam liberam ipsi restitueret comitissæ, congrue satisfaciens de commissis, et rediret humiliter ad conversationem honestam et observationem ordinis clericalis. Et licet executores ipsi præceptum præfati prædecessoris et nostrum super eodem negotio postmodum eis directum fuerint exsecuti; quia talem nobilès viri Walerannus (2), Terricus de Heufalia, et quidam alii Laudunensis, Cameracensis et Leodiensis diœcesium, eumdem apostatam excommunicatum, claves ecclesiæ penitus contemnentem, in malitia sua fovent, receptacula in quibus M. detineat, aliaque subsidia sibi dando, et nobilis vir Guido, germanus ejusdem apostatæ, ac quidam alii earumdem diœcesium eum pro viribus manutenent, et quidam sacerdotes et clerici eidem et familiæ suæ, aliisque ipsius fautoribus in locis in quibus dicta M. detenta existit, non sunt veriti divina officia temere celebrare, sæpedictus apostata, quasi delinquens impune, satisfacere penitus vilipendit, in sua iniquitatis pertinacia obstinatus.

Unde nobis comitissa præfata humiliter supplicavit, ut, ne ipsa inter multas angustias quibus dignoscitur esse afflicta ex detentione ac pudore dictæ sororis suæ, ignominiosæ confusionis respersa opprobrio in

(1) Memorat hoc loco Honorius litteras quibus Burchardum pridem exagitavit, ad annum 1217, ad Albericum, Remensem archiepisc., t. II, col. 468.

(2) Walerannus, Henrici Lemburgensis ducis filius, et ipse Luxemburgensis et Ardenæ comes.

mœrore deficiat, si non habuerit adjutorem ad comprimendam apostatæ prædicti malitiam, insistere dignaremur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictam excommunicationis sententiam per singulas circum adjacentes provincias et diœceses, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, tamdiu faciatis auctoritate nostra solemniter publicari, loca in quibus ipse B. moram fecerit et dictam M. detineri contigerit, supponentes ecclesiastico interdicto, donec idem vir iniquus, ab errore suo, si a Deo datum fuerit, resipiscens, juxta præscriptam formam, dictam M. ipsi restituat comitissæ, satisfaciens congrue de commissis et ad conversationem honestam et observantiam clericalis ordinis revertatur. Dictos autem nobiles et alios quoslibet fautores apostatæ supradicti, necnon et dictam etiam Margaretam, si tanto flagitio inventa fuerit consentire, nec monita studuerit, cum potuerit, a suo recedere corruptore, per excommunicationis nominatim in personas, et in familias et terras eorum interdicti sententias a favore ipsius, sublato appellationis obstaculo, compescatis, et faciatis utramque sententiam usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; præfatos sacerdotes et clericos et alios, si qui forsan similia perpetrare præsumpserint, pœna canonica, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, percellentes, mandatum nostrum taliter impleturi, quod non possitis de negligentia reprehendi, et nos sollicitudinis vestræ studium dignis possimus in Domino laudibus commendare. Quod si non omnes, etc. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII kal. maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCII

Ad Remense capitulum.

24 aprilis 1219.

[Regest., lib. III, epist. 413. Mss. La Porte du Theil.]

Translationem episcopi Lingonensis ad archiepiscopatum Remensem approbat pontifex.

Honorius, etc., dilectis filiis Remen. capitulo...

Litteras vestras recepimus continentes, quod, ecclesia vestra pastore vacante, vos convenientes in unum de electione pontificis tractaturi, vota omnium in decem vestrum quorum vobis fides atque prudentia nota erat, unanimiter contulistis, recepto ab eis corporaliter juramento, quod ipsi ecclesiæ per electionem seu postulationem bona fide de persona idonea providere curarent. Qui unanimiter in venerabilem fratrem nostrum Lingonen. episcopum, virum vita, scientia et fama conspicuum concordantes, ipsum postulandum a nobis in capitulo solemniter nominarunt, quod vos pari voto et unanimi desiderio acceptantes nobis humiliter supplicastis, ut eumdem episcopum vobis in pastorem concedere dignaremur. Nos igitur processum vestrum per dilectos filios W. cantorem et Johannem canonicum ipsius ecclesiæ, quos propter hoc ad nostram præsentiam destinastis, examinari de more cum diligentia facientes, postulationem ipsam invenimus canonicam et concordem. Unde cum præclara sint merita postulati, nos ecclesiæ vestræ, quam speciali caritate diligimus, paterna satagentes sollicitudine providere, postulationem ipsam duximus admittendam, eumdem episcopum a cura Lingonen. ecclesiæ absolutum, vobis in pontificem concedentes. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ei tanquam patri et pastori vestro reverentiam et obedientiam devotam, et humilem exhibentes, salubribus monitis, et mandatis ipsius intendatis humiliter, et devote. Datum Romæ apud Sanctum Petrum octavo kalendas maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCIII

Ad capitulum Lingonense.

24 aprilis 1219.

[Regest., lib. III, epist. 412. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut eligant canonici episcopum.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Lingonen.

Quum Remen. capitulum venerabilem fratrem nostrum W. episcopum vestrum ad ecclesiæ suæ regimen unanimiter postularint, et nos postulationem ipsam admittentes, eumdem episcopum eis in pontificem a cura Lingonen. ecclesiæ absolutum, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus personam, quæ tanto congruat oneri et honori, vobis canonice in pastorem et episcopum eligatis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum octavo kalendas maii anno tertio.

CCIV

Ad Laurentium episcopum et capitulum Wratislaviense.

26 aprilis 1219.

[Wurtwein, Nova Subsidia, dipl. XII, 146.]

Mandat, ut domui de Novo Castro (Naumburg ad Bober) ord. S. August. Wratislav. diœc. decimas centum viginti mansorum cujusdam nemoris, quos Henricus dux Silesiæ eidem daturus sit, concedant.

Honorius, etc., episcopo et dilectis filiis capitulo Wratislaviensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectus filius nobilis vir, Henricus, dux Silesiæ nobis insinuare curavit, quod considerans paupertatem domus de Novo Castro ordinis S. Augustini vestræ diœcesis centum viginti mansos cujusdam nemoris sui eis dare proposuit dummodo vos eis eorumdem mansorum decimas concedatis, licet major pars vestrum in hujusmodi concessione concordet, quidam tamen a vobis nondum acquiescere voluerint. Ne igitur pium nobilis prædicti propositum ob hoc retardari contingat, et ipso nemore remanente inculto, nec vobis nec fratribus dictæ domus ex eo aliquid utilitatis accedat, universitatem vestram rogandam duximus et hortandam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus prædictæ domui decimas dictorum mansorum concorditer concedatis, mandatum nostrum taliter impleturi, quod iidem fratres propter hoc ad nos recurrere non cogantur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum VI kal. maii pontificatus nostri anno tertio.

CCV

Ad decanum, cantorem et thesaurarium Ebroicenses.

26 aprilis 1219.

[Regest., lib. III, epist. 422. Mss. La Porte du Theil.]

Prohibet ne judices inter archiepiscopum Rothomagen. et abbatissam monasterii Villaris extendant amplius suam jurisdictionem.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano... cantori et... thesaurario Ebroicen.

Venerabilis frater noster... archiepiscopus et dilecti filii capitulum Rothomagen. transmissa nobis conquestione monstrarunt, quod cum... abbatissa monasterii Villaris a felicis memoriæ Innocentio papa prædecessore nostro ad venerabilem fratrem nostrum... episcopum et dilectos filios archidiaconum et... decanum Sancti Marcelli Parisien. litteras impetrasset, ut eis contra præfatos archiepiscopum et capitulum essent judices speciales, illi occasione hujusmodi jurisdictionem sibi perpetuam contra eos indebite usurpantes, tantum extendunt eadem, quod non solum causas quæ inter... archiepiscopum et... abbatissam pro tempore oriuntur, gestiunt terminare, verum etiam ipsos ab eis non patiuntur petere jura sua in eorum non modicum præjudicium, et gravamen; quare nobis humiliter supplicavit, ut cum non sit verisimile prædictum decessorem nostrum etiam post decessum suum eis voluisse perpetuare jurisdictionem hujusmodi, vel etiam valuisse, congruum super hoc eis dignaremur remedium adhibere. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si rem inveneritis ita esse, prædicto episcopo et collegis ipsius super hoc auctoritate nostra silentium imponatis. Quod si non omnes, etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sexto kal. maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCVI

Ad Stephanum Cantuariensem.

27 april. 1219.

[Bullarium Rom., edit. Taur. III, 359.]

Mandat ut informent de vita et miraculis Hugonis Lincolniensis episcopi.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Cantuarien., sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali et episcopo Conventren., et dilecto filio abbati de Fontibus Cistercien. ordinis, Eboracen. diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum juventus Ecclesiæ, sicut aquila renovetur, cum simus in quos fines sæculorum, secundum Apostolum, devenerunt, innovat signa Dominus, et immutat mirabilia magnifice mirificans sanctos suos ad confirmandam catholicæ fidei puritatem, et pravitatem hæreticam confutandam, ad convertendum incredulos, ad justorum scientiam, et corda fidelium in sui conditoris amorem suaviter accendendum. Sic enim fulgura in pluviam facit Dominus, cum miraculorum coruscationibus gloriosis ecclesiam suam sanctam dignatur salubriter fœcundare. Quis enim videns electos

ecclesiæ post finem hujus vitæ felicem novis coruscare miraculis, capiti ejus, Christo videlicet, non cupiat inseparabiliter adhærere, ut unus spiritus sit cum eo, aut quomodo ei obsequi denegabit, qui sibi obsequentibus dans virtutes, tanta præmia elargitur, ut hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi effecti gloriæ regni cœlestis insignia, quam feciliter obtinent, miraculose revelent in terris, si quidquid petierint fiat eis? Sane gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod sicut ex vestris, fratres archiepiscope et episcope, ac venerabilis fratris nostri Eboracen. archiepiscopi, necnon aliorum omnium episcoporum Angliæ, litteris fuit expositum coram nobis, gratiam et gloriam dans Dominus, tanta sanctæ memoriæ Hugonem Lincolniensem episcopum prævenit, et subsecuta est gratia, ut multas per eum in vita ipsius virtutes dignaretur mirabiliter operari, et nunc diebus istis tanta eum clarificavit gloria, ut ad dandam scientiam primæ stolæ, beatæ immortalitatis ipsius sepulcrum, ubi corpus requiescit, ejusdem stola tandem beatificandum secunda, divinis faciat coruscare miraculis, ita quod ejus inter alios sanctos non invocari suffragia sit indignum, cum lucerna super candelabrum sit ponenda, ut omnes qui sunt in domo ipsius gaudeant beneficio claritatis. Quare nobis fuit humiliter supplicatum, ut eum sanctorum cathalogo faceremus adscribi, vel saltem super præmissis inquirere diligentius veritatem. Licet igitur tot et tantorum testimoniis plenam fidem nos deceat adhibere, volentes tamen in tam arduo facto cum omni maturitate procedere, discretioni vestræ per Apostolica nostra scripta mandamus, quatenus tam super vita prædicti sancti, quam miraculis ante mortem et post mortem, nec non aliis hujusmodi negotii circumstantiis inquiratis diligentius veritatem, et quæ inveneritis, nobis fideliter rescribatis, ut per vestram relationem instructi procedamus exinde, prout secundum Deum, viderimus procedendum. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, quinto kalendas maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCVII

Ad episcopum, præpositum et decanum Atrebatenses.

28 april. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 420. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut requirant diligenter veritatem super insinuatione quorumdam monachorum monasrii Sancti Andreæ de Castello.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo... præposito et... decano Atrebaten.

Sua nobis P. G. R. et G. monachi Sancti Andreæ de Castello pro se, ac quibusdam aliis ejusdem monasterii monachis insinuatione monstrarunt, quod cum inter prædictum monasterium et J. archidiaconum Laudunen. super curte de Besni cum pertinentiis suis coram... decano Cameracen. et conjudicibus suis auctoritate Apostolica quæstio verteretur, abbas ac quidam alii monachi ejusdem monasterii super curte præfata compositionem quamdam minime monasterio præfato damnosam cum eodem archidiacono eis non consentientibus utpote qui nondum religionem intraverant, inserunt, firmantes ipsam proprio juramento. Unde cum sicut asserunt enormiter lædatur ex hoc monasterium antedictum, et venire contra non audiant alii, qui jurarunt, ipsi humiliter postularunt nobis, ut aperire super his Apostolicæ provisionis oculos dignaremur. Verum licet propter jusjurandum prædictis supplicantibus difficiles a principio fuissemus, quia tamen id se obtulerunt claris probationibus ostensuros, ne de nimio possemus rigore redargui, eos tandem in hoc post nos exaudiremus acclamantes, ut videamus quam, qualem, quantumque de præmissis. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super his sollicite veritate, quod inveneritis per vestras nobis litteras exponatis, ut secundum Deum providere super hoc ipsi monasterio valeamus. Partes autem, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, quinto kal. maii, anno tertio.

CCVIII

Ad archiepiscopum Rothomagensem.

29 april. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 418. Mss. La Porte du Theil.]

Ut studeat ordinare monasteria et ecclesias suæ diœcesis secundum statuta concilii.

Honorius, etc., venerabili fratri... archi-

episcopo Rothomagen., salutem et apostolicam benedictionem.

Quum instantia nostra quotidiana sit ecclesiarum omnium sollicitudo continua, interest nostra ut provideatur de personis idoneis ecclesiis viduatis. Quum itaque sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, quædam monasteria, et ecclesiæ aliæ in tua diœcesi vacarint ultra tempus a canone diffinitum, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, tam monasteria, quam alias ecclesias tuæ diœcesis lege tibi diœcesana subjectas, de personis idoneis non obstante frivolæ appellationis objectu, studeas ordinare, in eis quæ corrigenda et reformanda fuerint prout secundum Deum videris expedire. Contradictores si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Romæ apud Sanctum Petrum tertio kalendas maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCIX

Ad episcopum, et capitulum Atrebatenses.

2 maii 1219.

[Regest., lib. III, epist. 432. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut præbendam assignet Gotefrido clerico.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo, et dilectis filiis capitulo Atrebaten.

Dignum est in eis beneficia cumulare, qui de gratia in gratiam assurgentes, inde proficere nituntur ad meritum, unde ipsorum videbatur meritis retributum. Volentes igitur ut dilectus filius Gotefridus, clericus dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris..... comitissæ Flandren. apostolicam gratiam, quam puræ devotionis affectu promeruit, se habere sentiat per effectum, universitatem vestram attente rogandam duximus, et monendam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eumdem suæ probitatis intuitu, et precum nostrarum obtentu, in fratrem vestrum et canonicum admittentes, ei præbendam in vestra ecclesia liberaliter conferatis quam citius obtulerit se facultas. Preces et mandatum nostrum taliter impleturi, quod ipse per cujus industriam grata vobis et ipsi ecclesiæ poterunt commoda provenire, eo sit in vestra et ejusdem ecclesiæ devotione ferventior, quo vos in sua receptione invenerit promptiores, et nos vestræ devotionis obedientiam commendantes, propter hoc vobis aliter scribere non cogamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sexto nonas maii, pontificatus nostri anno tertio.

Scriptum est super hoc... Sancti Huberti et.... Sancti Sepulchri abbatibus et.... cantori Cameracen., ut prædictos episcopum et capitulum ad id attentius moneant, et efficaciter inducere non postponant.

CCX

Ad Aimardum Suessionensem episcopum et Gervasium Præmonstraten. abbatem.

6 maii 1219.

[Hugo, Sacræ antiq. monum., I, 11.]

Honorius III Suessionensem episcopum et Gervasium abbatem Præmonstratensem deputat, ut pallium Remensi archiepiscopo tradant et fidelitatis ab eo sacramentum excipiant.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Haimardo Suessionensi episcopo et dilecto filio Gervasio abbati Præmonstratensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet Apostolica Sedes pallium plenitudinis, scilicet officii pontificalis insigne destinare soleat per suos nuntios speciales, qui tradentes illud ab his, quibus traditur, recipiant juramentum, nos tamen plenam de fide ac diligentia vestra fiduciam obtinentes, pallium a nobis pro venerabili fratre nostro Willelmo Remensi archiepiscopo cum debita instantia postulatum vobis de corpore beati Petri sumptum, per dilectos filios V. cantorem Remens. et V. Lingonensem canonicum mittimus, ut illud vice nostra cum congrua solemnitate tradatis, ac recipiatis fidelitatis juramentum nostro nomine ab eodem; formas autem juxta quas debetis ipsum pallium tradere, ac fidelitatis recipere juramentum, vobis sub bulla nostra destinamus inclusas, devotionem vestram rogantes attentius, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus formas ipsas observantes per omnia, in ipso negotio procedatis, sic fideliter et prudenter, quod fidem et prudentiam vestram debeamus merito commendare : quod si quid humanitus interim alicui vestrum, quod absit, accidit, reliqua, quæ præmissa sunt, nihilominus exsequatur, quidquid autem inde feceritis, nobis per litteras veraciter intimetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum II nonas maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXI

Ad Willelmum archiepiscopum Remensem.

6 maii 1219.

[Regest., lib. III, epist. 438. Mss. La Porte du Theil.]

Archiepiscopum monet Honorius quod per episcopum Suessionensem et abbatem Præmonstratensem se accepturum esse pallium.

Honorius, etc., venerabili fratri W. Remen. archiepiscopo.

Benigne admissa postulatione, quæ de te a Remen. capitulo facta fuit, nuntii tui et ejusdem capituli a nobis pallium plenitudinis scilicet officii pontificalis insigne, cum instantia postularunt. Nos igitur gratia gratiam cumulantes, illud de corpore beati Petri sumptum, venerabili fratri nostro Suessionensi episcopo et dilecto filio... abbati Præmonstratensi per nuntios eosdem transmittimus, ut ipsum tibi tradant sub forma quam eis sub bulla nostra mittimus interclusam, ac eidem a te, nomine nostro, fidelitatis recipiant juramentum, tuque pallio ipso intra tuam utaris ecclesiam diebus, qui expressi in privilegiis ad hoc concessis a Sede Apostolica continentur, humilitatem et virtutes alias quæ nihilominus in hoc signantur gestamine, quantum divina concedet benignitas servaturus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum secundo nonas maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXII

Ad archiepiscopum Salisburgensem (1).

7 maii 1219.

[Raynald, Annal. eccl., XIX, anno 1219, § 28.]

Mandamus, quatenus diligenter corrigens per teipsum, quod in ejusdem ducis præjudicium attentasti, ejus jura non minuas, sed conserves penitus illibata, et donec ipse, dante Domino, ad propria revertatur, nihil in præjudicium suum, vel terræ suæ attentare præsumas; mandatum nostrum taliter impleturus, quod propter hoc tibi durius scribere non cogamur; quia sibi illatam injuriam, immo nobis in ipso non possemus æquanimiter sustinere. Datum Romæ apud S. Petrum, non. maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXIII

Ad episcopum, archipresbyterum et priorem S. Laurentii Florentinos.

7 maii 1219.

[Lami, Eccl. Florent. mon. III, 1789.]

Mandat ut contra episcopum et capitulum Lucanos, qui magistrum Guidonem Lucanum clericum in canonicum recipere volebant, procedant.

Honorius, etc., ven. fratri nostro episcopo et dilectis filiis archipresbytero et priori S. Laurentii, Florentinis.

Si semper hi, quibus nostra beneplacita committimus exsequenda, captiosis intenderent diffugiis malignantium, nimis indecenter mandatum nostrum paterentur eludi. Vel potius iidem eluderent evidenter, aliisque diffugiis darent causam, quia fraus fraudes parere consuevit. Sane dilectus filius magister Guido Lucanus clericus exposuit coram nobis, quod cum venerabilis frater noster..... Ostiens. episcopus, tunc Apostolicæ Sedis legatus..... episcopum et capitulum Lucanum monuerit et rogaverit, ac deinde ipsis dederit suis litteris in mandatis, ut eum reciperent in canonicum et in fratrem, quasdam exceptiones, videlicet, defectum natalium, certum canonicorum numerum, et insufficientiam facultatum ecclesiæ, falso eidem objectas, reputans frivolas et inanes; quia iidem id efficere contempserunt, nos postmodum eis pro receptione ipsius semel et iterum preces direximus, et præcepta ven. fratri nostro..... Massano episcopo et ejus collegis sibi super hoc executoribus deputatis. Et licet interim unus de canonicorum numero decessisset, illi tamen mandatum apostolicum pertinaciter contemnentes alium in canonicum elegerunt. Et cum ejus electionem ven. fratri nostro..... Lucano episcopo præsentassent, idem eam, utpote in elusionem mandati apostolici et præjudicium ejusdem clerici

(1) Fragmentum hujus epistolæ legitur apud Raynaldum; sed sic narrat Annalista occasionem :

« Arguit Honorius Salisburgensem archiepiscopum, qui quum episcopalis Sedis in Secchoviensi ecclesia excitendæ facultatem flagitasset, pontifex ea ratione concesserat, ut nullum ex ea re damnum in Romanam Ecclesiam ac Luipoldum Austriæ ducem crucesignatum redundaret. Is vero, non petito ducis assensu, episcopatum Secchoviensem erexerat, illique ecclesias quasdam attribuerat, quibus moderandis pastores designare ducis partium erat. Quod ægre ferens ducissa Austriæ questa est apud Honorium viri jura infringi, dum pro christiana fide in Oriente adversus Sarracenos dimicaret. Cujus querelis permotus pontifex, imperavit archiepiscopo perperam gesta rescindere ac revocare. »

attentatam, renuit confirmare. Nec his contenti ad impediendum executorum processum dixerunt se præfatum Massanum episcopum, eo quod aliquando ejus scholaris fuerat, habere suspectum; et sic coram quibusdam arbitris ab eis et procuratore ipsius electis nimis eisdem favorabilius prædictus episcopus et ejus collegæ recusati fuerunt. Unde idem affectus tædio et labore ad nos iterum recurrens ad vos executorias a nobis litteras reportavit. Sed illi diffugia frivola mendicantes, exceptiones contra procuratoris ejus personam, et alia, quæ non tangebant principale negotium, objecerunt; quibus vos plus debito deferentes mandatum Apostolicum adhuc finaliter exsequi non curastis, quare ipse de litteris nostris nil videtur nisi labores et angustias reportasse. Ut igitur sapientia vincat malitiam, et devotorum obedientia inobedientiæ prævaleat protervorum, discretioni vestræ per iterata scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus hujusmodi frivolis exceptionibus non obstantibus, infra duos menses post susceptionem præsentium in eodem negotio juxta priorum litterarum continentiam procedatis, decernentes irritum et inane, si quid interim in ecclesia Lucana in præjudicium prædicti clerici est præsumptum, contradictores per censuras ecclesiasticas appellatione postposita compescendo. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, non. maii anno tertio.

CCXIV

Ad Jacobum Aragonum regem.

8 maii 1219.

[Bullar. Romanum, edit Taur., III, 360, n. 36.]

Sub protectione sancti Petri et sua suscipit regnum Aragonum et terram Cataloniæ.

Honorius episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Jacobo Aragonum regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia pia mater devotos et humiles filios ad pietatis suæ gremium recurrentes, non solum honorat amplexibus, verum etiam maternæ consolationis nutrit uberibus, et exaltat, illos duntaxat diligentiori studio refovens, quos magis suæ recreationis cernit solatio indigere. Hujus nempe matris dulcedinem non immerito gustare desiderant reges et principes orbis terræ pro certo scientes, quod si ejus prudenter receperint disciplinam, ut et benedictionis suæ mereantur gratia confoveri, nulla eis poterit nocere adversitas, quin procedant prospere, atque regnent. Hac itaque consideratione inductus, nobis, fili carissime, supplicasti, ut te sub alarum nostrarum umbra dignaremur protegere, ac protectionis Apostolicæ clypeo communire. Nos igitur claræ devotionis et fidei puritatem, quam ad Deum et ipsam ecclesiam progenitores tuos habuisse didicimus recolentes, attendentes quoque, quod te inclytæ recordationis M..... regina Aragonum mater tua cum terra et aliis bonis tuis eidem ecclesiæ commendavit; agens dudum apud Sedem Apostolicam in extremis, nostræ tibi dilectionis præcordia dignum duximus aperire, quatenus qui in ætate tenera esse dignosceris constitutus, dum favoris Apostolici brachiis sustentatus fueris, roborari, adjuvante Domino, valeas et suscipere incrementum. Regiis itaque supplicationibus inclinati, personam tuam, regnum Aragoniæ, terram Cataloniæ, villam et terram Montis Pessulani cum omnibus aliis bonis tuis, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, vel in futurum justis modis, præstante Domino, poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum octavo idus maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXV

Ad Jacobum Aragonum regem.

10 maii 1219.

[Teulet, Layettes, I, 480, n. 1345.]

Villam Montispessulani, cum castris de Latis et de Omelar, regi confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Jacobo, illustri regi Aragonum, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum, et vota, quæ

a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, charissime in Christo fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, villam Montispessulani, et de Latis et de Omelar castra, cum omnibus terris et pertinentiis ad jurisdictionem prædictæ villæ spectantibus, quæ ad te hæreditario jure pertinere noscuntur, sicut ea omnia juste possides et quiete, auctoritate tibi Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, VI idus maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXVI

Ad Philippum Francorum regem.

10 maii 1219.

[Bouquet, Recueil des Histor., t. XIX, p. 684. Regest., lib. III, epist. 443.]

A rege Philippo impetrata pro liberis Joannis, Angliæ regis, induciarum prorogatione ad quatuor annos, id gratum habet Honorius, quamquam prorogationem eamdem rex juramento suo personaliter firmare noluerit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio nostro regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Deo, in cujus sunt manibus corda regum, et tuæ Celsitudini multas gratiarum referimus actiones, quod fiducia quam a nostræ promotionis principio de tuæ serenitatis devotione habuimus, nos utique non fefellit, sed multipliciter est tuorum exhibitione operum roborata; propter quod illa sinceræ dilectionis affectio, quam ad personam tuam habuimus etiam in minori officio constituti, merito de die in diem suscipit incrementum. Inter cætera vero, quæ ad preces nostras frequenter fecit tua serenitas, nihil magis gratanter accepimus, quam quod ad precum nostrarum instantiam, Terræ Sanctæ necessitatibus et negotio Albigensium, sicut clementiam tuam decuit, pia et provida meditatione pensatis, treugas olim inter te ac claræ memoriæ Johannem regem Angliæ initas duxisti specialiter pro divino amore per quadriennium ultra terminum usque ad quem firmatæ fuerant, prorogandas, sicut tuæ nobis litteræ declararunt.

Porro quod scripsisti te personaliter jurare non velle, cum tua et filiorum dicti regis ætas non æqualiter religionem timeat juramenti, firmationem treugarum ipsarum regiæ circumspectioni ac puritati relinquimus, serenitatem tuam rogantes attente, ac in Domino Jesu Christo, cujus amor ad prorogationem earumdem treugarum principaliter te induxit, obnixius obsecrantes, quatenus treugas ipsas ea cura et diligentia studeas stabilire, quod, Deo auctore, usque ad terminum destinatum inconcusse et illibate consistant, nec ullo tempore dici possit, quod aliquid factum fuerit captiose, sed simpliciter atque pure. Hoc autem non dicimus, quod de tua sinceritate aliud cogitemus, sed ut reddamus te sollicitum et attentum, ne per illos qui litteras scribent super hoc faciendas, verba ponantur ambigua et alicujus versutiæ duplicitate notanda. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI idus maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXVII

Ad episcopum, decanum et cantorem Trecenses.

11 maii 1219.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, 685; Regest., lib. III, epist. 445.]

Dissidentibus studii Parisiensis doctoribus cum cancellario Parisiensis ecclesiæ, qui magistros omnes et scholares excommunicationis vinculo perculerat, mandat Honorius ut a cancellario lata sententia irrita fiat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Herveo episcopo, et dilectis filiis decano Stephano et cantori Trecensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Si doctorum et discipulorum Parisiensium universitas perspicue sic graviter excessisset, ut eorum culpa nec palliari posset, nec impunita relinqui, tantæ tamen et tam venerabili multitudini decuisset in hoc saltem deferri, ut ad pœnam non procederetur ipsorum, nisi Apostolicæ Sedis sententia requisita. Sed vicarii seu procuratores venerabilis fratris nostri Parisiensis episcopi (Petri de Nemosio), ac specialiter cancellarius Parisiensis, qui unus illorum existit, hoc nequaquam ut decuit attenden-

tes, nec verentes studium Parisiense, quod doctrinæ suæ fluenta usquequaque diffundens, universalis ecclesiæ terram irrigat et fœcundat, in montes Gelboe, super quos nec ros cadit, nec pluvia, commutare impetum fluminis qui civitatem Domini lætificat, cursum doctrinæ videlicet sistere, præsumpserunt.

Sicut enim gravis nobis eorumdem doctorum querimonia patefecit, cum procuratores prædicti eis ipsius episcopi litteras obtulissent, continentes quod idem episcopus, innovans id quod a bonæ memoriæ Octaviano Hostiensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, et prædecessore jamdicti Parisiensis episcopi (Odone de Sulliaco), factum erat, excommunicabat omnes illos qui de cætero sine consensu et auctoritate ipsius, vel Parisiensis ecclesiæ, circa statum scholarum vel magistrorum facerent aliquam conspirationem, seu constitutionem aut obligationem quamlibet, juramento vel fide, seu alia quacumque pœna, vallatam; ipsi doctores, attendentes quod ejusdem episcopi factum innitebatur facto supradicti episcopi Hostiensis, ejus super hoc litteras sibi exhiberi petierunt humiliter et instanter, nec potuerunt ullatenus obtinere (1). Deinde cum eadem constantia quæsierunt interpretationem illorum verborum, constitutionem aut obligationem quamlibet, utrum videlicet intelligerent generaliter tam de constitutione licita, utili et honesta, quam de illicita, erronea et injusta. Quibus respondentibus, quod intelligebant generaliter de omni licita vel illicita, bona vel mala, ipsi gravamen non dubium attendentes, se ad appellationis refugium converterunt.

Porro, cum ad prosecutionem appellationis prædictæ foret nuncius ad Sedem Apostolicam destinandus, et sine collecta universitas non haberet expensas, magistri liberalium artium, fide interposita, se ac suos discipulos astrinxerunt ad servandum quod super hoc a suis procuratoribus contingeret ordinari. Cumque dicti procuratores injunxissent eisdem, ut ad expensas nuncii destinandi contingentem tribuerent portionem, et, ipsis, quod injunctum fuerat, adimplentibus, nuncius ipse iter ad nos veniendi jamdudum esset aggressus, prædicti cancellarius et complices ejus, contempto quod ipsi doctores non solum verbo, sed facto quoque, nostram audientiam appellarant, suum ad nos, ut dictum est, nuncium destinando, prima dominica quadragesimæ tam magistros quam scholares, qui fecerant collectam vel solverant ad prosequendam appellationem prædictam, excommunicatos fecerunt publice nunciari, unde nec ad confessionis remedium sunt admissi. Sane ipsi doctores, super sui ruina studii anxiantes, ipsi cancellario et sociis ejus, nunc universis, nunc singulis, supplicarunt humiliter et instanter, ut rigorem hujusmodi temperarent; sed nec suis, nec venerabilis fratris nostri Silvanectensis episcopi, et dilectorum filiorum decani et capituli Parisiensis, qui pro eis intercessores humiles accesserunt, potuerunt precibus obtinere, ut præfati magistri et scholares artium reciperent ad pœnitentiam, non obstante denuntiatione prædicta, cum ea appellatio legitima processisset. Unde præ confusione faciei et mentis angustia defecit in ipsis doctoribus spiritus ad legendum, et, quod valde dolentes audivimus, in omni facultate silet Parisius vox doctrinæ, et, negata desiderantibus pœnitentia, perceptio Dominici corporis eisdem in ipso Dominicæ resurrectionis die fuit per consequens denegata. Cæterum cancellarius ipse, super dolorem eorum addere non desistens, contemptis statutis quæ super his facta fuerunt per judices a Sede Apostolica delegatos, magistros ab officio suo suspendere et scholares mancipare carceri non veretur.

Nolentes igitur tantum doctorum et scholarium sæpedictorum gravamen, tantam vero ipsius cancellarii et præfatorum sociorum ejus insolentiam, ulterius sub dissimulatione transire, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus magistros et scholares ipsos, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra publice nunciantes hujusmodi sententia non ligatos, ac inhibentes districte, ne quis de cætero sine speciali Apostolicæ Sedis mandato in ipsorum universitatem tales audeant sententias promulgare, injungatis sæpedictis cancellario et sociis ejus, ut ipse cancellarius personaliter, complices vero ejus per procuratores idoneos, in octavis B. Michaelis proximis, quas eis peremptorium assignamus, apostolico se

(1) Recurrendum ad alias Honorii litteras ad archiepisc. Rothomagen., ep. 170 hujus lib. III, col. 177.

conspectui repræsentent, ut super prædicto temeritatis excessu, si poterunt, se excusent, aut meritam sentiant ultionem, ipseque cancellarius famam suam, quæ apud nos multipliciter est gravata, tueatur, si poterit, aut iniquitatis suæ vinculis constringatur. Ad hæc injungatis universitati doctorum, ut et ipsi procuratores suos propter hoc ad nos mittant termino suprascripto. Quod si non omnes... Datum Romæ, apud S. Petrum, V idus maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXVIII

Ad Henricum archiepisc. Gneznensem.

11 maii 1219.

[Theiner, Monumenta Poloniæ, I, 9, n. 19.]

Archiepiscopum Gneznensem a legationis officio in partibus Prussiæ absolvit.

Honorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri... archiepiscopo Gneznensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum tibi olim pro novella plantatione in Prussiæ partibus fidei christianæ legationis fuerit officium ab Apostolica Sede commissum, ne te gravi forte, sicut audivimus, languore correpto minus quam expediat injunctam tibi super hoc valeas sollicitudinem exercere, absolvendum te duximus ab eadem, volentes ut ab hujusmodi legationis onere de cætero conquiescas.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, V idus maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXIX

Ad præpositum et capitulum ecclesiæ S. Petri Thoraltensis, in diœcesi Brugensi.

13 maii 1219.

[Mireus, Opp. diplom. III, 81.]

Ecclesiæ collegiatæ Sancti Petri Thoraltensis possessiones confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, præposito et capitulo eccclesiæ S. Petri Thoraltensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum et honestum est, dignum est nos facilem præbere consensum, et ea quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes affectu, personas vestras, et ecclesiam in qua divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem decimam majorem ac minutam, nec non census ab inhabitantibus villæ sive parochiæ Thoraltensis, redditus nundinarum, atque alios qui Kermisse vocantur, vobis competentes, ac alia bona vestra, sicut ea juste ac pacifice possidetis, vobis et prædictæ ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis ac confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostoloru n ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum tertio idus maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXX

Ad Philippum Francorum regem.

15 maii 1219.

[Bouquet, Rec. des Hist. XIX, 686.]

Monet Honorius, ut caveat rex, ne, a Tolosanis delinitus, in alium transcribat, quam Amalricum de Monteforti, comitatus Tolosani possessionem, quam olim rex ipse Simoni de Monteforti concesserat.

Honorius episcopus, etc., carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem, etc.

Cum pro negotio pacis et fidei, quod geritur in partibus Tolosanis, magna facere secundum magnificentiam tuam incœperis, vigili cura tibi est providendum, ne bonum, quod incœpisti spe retributionis æternæ, respectus denigret et minuat commodi temporalis. Accepimus siquidem, quod Tolosani et eorum complices ad faciendam novam concessionem de comitatu Tolosano et circum adjacentibus terris te multimodis inducere moliuntur : quod esset contra statuta ecclesiæ super hoc dudum facta, et etiam contra honestatem tuam, cum prædicta concesseris claræ memoriæ Simoni, Montisfortis comiti et dilecto filio nobili viro Amalrico, comiti Tolosano (1). Excellen-

(1) Vide, t. II, lib. II, epist. XCVI, col. 575, et t. III, epist. IX, col. 14, Litteras Honorii ad regem Philippum, ubi memoratur Simonis homagium regi factum et ab eo acceptum.

tiæ quidem tuæ prudentia plene, ut credimus, cognoscit et videt ipsos Tolosanos et eorum complices ad id specialiter et principaliter tendere, ut apparatum quem fecisti pro jamdicto negotio (quod absit!) valeant impedire. Quia vero sine gravi scandalo et dispendio tuæ salutis et famæ non posses novam concessionem facere de prædictis, vel differre promotionem præfati negotii, pro quo tantum apparatum nosceris jam fecisse, plenam habemus fiduciam, quod tuæ magnitudinis circumspectio, hæc attendens, se non sinet seduci prædictorum versutia malignorum, nec maculam istam in gloria tua pones, per quam procul dubio multum obfuscaretur titulus tuæ laudis, et tuorum minueretur cumulus meritorum. Ex abundantia tamen regiæ sublimitatis constantiam sollicitandam duximus et hortandam, quatenus, in hoc facto habens præ oculis solum Deum, te a prædictis circumveniri fallacibus non permittas; sed, via regia gradiens more tuo, nullius mundanæ utilitatis objectu declines ad dexteram vel sinistram. Datum Romæ, apud S. Petrum, idus maii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXXI

Ad universos crucesignatos Teutoniæ, Bohemiæ, Moraviæ, Daciæ, Poloniæ et Pomeraniæ ad subsidium Prutenorum proficiscentes.

16 maii 1219.

[Suhm., Hist. af Danmark, IX, 327.]

Exhortatio ut non quærant quæ sua sunt, sed quæ Christi, ad convertendum paganos ad Dominum.

Honorius episcopus servus servorum Dei, universis crucesignatis Teutoniæ, Bohemiæ, Moraviæ, Daciæ, Poloniæ et Pomeraniæ, ad subsidium Prutenorum proficiscentibus.

Cum secundum Apostolum nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis, ne, non quæ sursum sunt, sed quæ super terram quærere videatur, cavendum est vobis, ne cum vos adscripseritis obsequio Jesu Christi, ad defendendum venerabilem fratrem nostrum... Prussiæ episcopum, et noviter baptizatos et conversos ab incursibus paganorum, hoc alicujus lucri temporalis gratia faciatis, quia secundum Evangelicam veritatem nemo potest duobus dominis servire, Deo et mammoni, et væ homini terram viis duabus intranti. Simplex enim in simplicitate quærendus est Dominus, qui adest omnibus in veritate invocantibus nomen ejus. Quocirca universitatem vestram monendam duximus et hortandam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus non quæ vestra sunt, sed quæ Christi quærentes, ad convertendum ad Dominum, non ad subjugandum vestræ servituti paganos intendere studeatis, ne, quod absit, illi timentes subjici servituti, in sui erroris pertinacia fortius obstinentur, et vos frustra laboretis in eis, si Dominus, qui renes scrutatur et corda, votis vestris non faverit insensatis, sed ut legitime certare probemini, ab omnibus abstinentes illicitis, venerabili fratri nostro... episcopo Prussiæ super his modis omnibus intendatis, cui Dominus in his est hactenus miserabiliter prosperatus. Nos enim eidem episcopo nostris dedimus litteris in mandatis, ut si qui contra voluntatem ejus terram baptizatorum, vel baptizandorum, totius Prussiæ intrare, vel in ea disponere quidquam præsumpserit, per quod possit paganorum conversio propediri, vel deteriorari conditio conversorum, eos a præsumptione hujusmodi, monitione præmissa, per censuras ecclesiaticas, appellatione remota, compescat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum decimo septimo kalendas junii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXXII

Ad Sancium Navarræ regem crucesignatum.

18 maii 1219.

[Regest., lib. III, epist. 454. Mss. La Porte du Theil; Raynald, Annal. ecclesiast. ad ann. 1219 § 45.]

Personam regis, regnum cum omnibus juribus ejus sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius, etc., carissimo in Christo filio nostro Sanctio illustri regi Navarræ, salutem, etc.

Deo in cujus manibus sunt corda regum, gratiarum referimus actiones, quod in te sic ignem suæ charitatis accendit, ut signo vivificæ crucis assumpto, magnifice, sicut decet regiam celsitudinem, ire proposueris contra inimicos fidei christianæ. Ut autem hoc tam laudabile ac salubre propositum melius, et tutius prosequaris, personam tuam ac regnum tuum cum omnibus juribus, et honoribus tuis sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et præsentis

scripti patrocinio communimus; districtius inhibentes, ne quis interim jura tua subtrahere, aut invadere, vel quomodolibet audeat temere perturbare. Nulli ergo hanc paginam, etc.; si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XV kalendas junii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXXIII

Ad Richardum magistrum archidiaconum Ebroicensem.

19 maii 1219.

[Regest., lib. III, epist. 453. Mss. La Porte du Theil.]

Delendæ sunt consuetudines quæ sacris repugnant canonibus.

Honorius, etc., dilecto filio magistro Richardo archidiacono Ebroicen.

Quia error cui non resistitur, approbatur, erroneæ consuetudines quæ sacris obviant institutis, sunt merito abolendæ, cum inolitæ pariant corruptelam. Exposuisti siquidem nobis, quod inter alias abusivas consuetudines, quæ in archiaconatu tuo inolevisse dicuntur, nobilis vir Richardus de Harescurt Ebroicensis diœcesis jurisdictionem tuam in terra sua nonnisi uno die tantum in anno te patitur exercere, volens, ut eodem die omnes terræ audias et termines quæstiones, asserendo quod sic ex longo abusu hactenus est observatum. Cum igitur consuetudo hujusmodi rationi et legi obviet manifeste, auctoritate tibi præsentium indulgemus, quatenus ea, vel aliis consuetudininibus, quæ sacris repugnant canonibus nequaquam obstantibus, officium, et jurisdictionem archidiaconatus tui, sicut ad te secundum canonum instituta dignoscitur pertinere, libere sublato frivolæ appellationis obstaculo, exsequaris. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum XIV kalendas junii anno tertio.

CCXXIV

Ad Christianum Prussiæ episcopum.

26 maii 1219.

[Voigt, Cod. dipl. Prussiæ, I, 14, n. 14.]

Ei indulget ad sedandum atrox bellum ut de impedimento consanguinitatis dispenset quod existit ad matrimonium contrahendum inter filium regis Danorum et filiam marchionis Brandeburgensis.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Christiano episcopo Prussiæ salutem et apostolicam benedictionem.

Ascitis aliis in partem sollicitudinis summus Pontifex assumptus est in plenitudinem potestatis, qui cum moderator sit canonum, juri non facit injuriam si dispensat, quum imminens necessitas et evidens utilitas id exposcit; præsertim cum dispensatio sic juris vincula laxet in aliquo, quod in aliis non dissolvit et sic beneficium gratiæ specialis inducat, quod vigorem constitutionis non permittit generalis. Oblata siquidem nobis ex parte tua et aliorum quamplurimum principum et baronum insinuatio patefecit, quod inter carissimum in Christo filium nostrum... Danorum regem illustrem, et O. de Lunemburch nepotem ipsius ex parte una, et nobilem virum marchionem Brandeburgensem ex altera, inimico homine superseminante zizaniam, guerræ, et inimicitiæ, pestiferæ ac mortales adeo surrexerunt, quod præter stragem hominum miserabilem factam, multotiens hinc et inde combustiones villarum, et inhumanitates alias, quas narrare per singula longum esset, alter alterius sanguinem sitiat, et carnem in morte famescat. Unde contingit quod subsidium quod conversis Prussiæ per regem et nepotem ipsius et marchionem prædictum possit potissimum procurari, utpote qui sunt contigui terræ illi, et tam multitudine gentium, quam aliis divitiis locupletis plurimum impeditur, et pereunt miserabiliter animæ plurimorum. Quapropter nobis humiliter supplicastis ut quum præfatus marchio dicto O. filiam suam vellet matrimonio copulare ad sedandas guerras et inimicitias supradictas, quod in quarto gradu contrahere valeant pro bono pacis dispensare de benignitate Sedis Apostolicæ dignaremur, maxime cum iidem, si sopiantur per hujusmodi copulam seminarium discordiæ inter eos, tibi et baptizatis Prussiæ impensuros se decens auxilium repromittant. Nos igitur de discretione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes tuis et dictorum nobilium precibus inclinati, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus super his auctoritate nostra statuas, quod secundum Deum videris statuendum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, septimo kalendas junii, pontificatus nostri anno tertio.

CXCIV

Ad primicerium et clericos scholæ cantorum de Urbe.

20 april. 1219.

[Bullarium Vaticanum, I, 106.]

De portione oblationum altaris beati Petri, quæ contingit Romanum pontificem decem libras suo tantum tempore annuatim largitur.

Honorius, etc., dilectis filiis primicerio et clericis scholæ cantorum de Urbe.

Dignum est, ut, qui ministerii vestri munia laudabiliter exsequimini, laudes Domini suaviter decantantes, exinde assequamini munera gratiosa, cum dantibus psalmum, non sit tympanum denegandum. Cum itaque felicis memoriæ Cœlestinus papa prædecessor noster vobis de portione oblationum altaris beati Petri, quæ contingit Romanum pontificem, annuas duodecim libras de gratia contulerit liberali. Nos ejusdem gratiæ volentes addere gratiam, ut de virtute studeatis proficere in virtutem, de oblatione prædicta decem libras, nostro tantum tempore, vobis annuatim duximus largiendas; ita quod ex hoc successores nostri nullatenus obligentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum XII kal. maii, pontificatus nostri anno tertio.

CXCV

Ad potestatem et populum Alexandrinos.

20 april. 1219.

[Ghilini, Ann. di Alessandria, p. 27.]

Sub beati Petri et sua protectione suscipit populum Alexandrinum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis potestati et populo Alexandrinis salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos, et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit; et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis precibus inclinati, civitatem vestram, et personas consistentes in ea, sub beati Petri, et nostra speciali protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne quis vos, et civitatem eamdem præsumat indebite molestare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum XII kal. maii, pontificatus nostri anno tertio.

CXCVI

Ad potestates et populum Alexandrinos.

20 april. 1219.

[Ghilini, Ann. di Alessandria, p. 27.]

Idem argumentum ac antecedentis epistolæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis potestati et populo Alexandrinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Devotionem vestram in Domino laudibus commendamus, quod vos memores qualiter pro Apostolicæ Sedis honore fuit civitas vestra constructa, unde a felicis recordationis Alexandro papa prædecessore nostro, cujus tempore facta est Alexandria, nomen assumpsit, et eidem sedi postmodum se constituit censualem, recognoscendo eamdem specialem Ecclesiæ Romanæ filiam, nunc fidelitatis juramentum nobis, et eidem ecclesiæ præstitistis; propter quod eo magis ad honorem, et commodum vestrum et civitatis ejusdem intendimus volentes ipsam speciali nostra protectione muniri, quod plenius ad nos, et prædictam ecclesiam sinceritatis, et devotionis exhibuistis affectum. Quocirca universitatem vestram rogandam duximus, et hortandam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus in devotione, ac fidelitate Sedis Apostolicæ persistentes, nulli absque speciali mandato nostro fidelitatem de cætero faciatis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum XII kalendas maii, pontificatus nostri anno tertio.

CXCVII

Ad magistrum Gratiæ capellanum.

22 april. 1218.

[Savioli, Ann. Bologn., t. II, 2, 403.]

Ecclesiæ Bononiensis administratio datur magistro Gratiæ et ejus successoribus.

Honorius episcopus servus servorum Dei magistro Gratiæ capellano nostro archidiacono Bononiensi.

Ne jura Bononiensis ecclesiæ minuantur si non sit qui specialiter habeat curam ejus in capitulo ejusdem ecclesiæ plenam et liberam administrationem spiritualium et

temporalium, tibi tuisque successoribus duximus auctoritate præsentium concedendam ut tu itemque successores tui administrantes in eadem ecclesia quum necesse fuerit corrigatis et reformetis ac statuatis sicut quæque pro tempore suo cognoveritis officio indigere, contradictores si qui fuerint vel rebelles per censuras ecclesiasticas submota appellatione compescendo. Nulli ergo hominum liceat, etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, X kalendas maii, pontificatus nostri anno tertio.

CXCVIII

Ad P. Norwicensem electum, A. S. legatum.

23 april. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 423. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut tueatur regis Angliæ jura.

Honorius, etc., dilecto filio P. Norwicensi electo, Apostolicæ Sedis legato.

Quum charissimus in Christo filius noster Henricus rex Anglorum illustris crucesignatus, pupillus custodiæ Sedis Apostolicæ derelictus sub nostra protectione consistat, sicut jura ejus sine nostra injuria detineri non possunt ab aliquibus usurpata, sic ad manus ejusdem eadem revocanda efficaciter nos decet intendere tanquam causam propriam prosequentes. Volentes igitur ejusdem regis indemnitati providendo succurrere, cui nequivimus occurrere præcavendo, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus castra, dominia, possessiones, et alia omnia ad præfatum regem de jure spectantia, prout secundum consilium... rectoris et consiliariorum regis utilitati ejus expedire videris, studeas ad regis dominium revocare. Contradictores si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Romæ apud Sanctum Petrum nono kalendas maii anno tertio.

CXCIX

Ad eumdem.

23 april. 1219.

[Regest., lib. III, ep. 423. Mss. La Porte du Theil.]

Idem argumentum ac supra.

Carissimus in Christo filius noster Henricus rex Anglorum illustris suam ad nos quærimoniam destinavit, quod prælati et capitula ecclesiarum de Anglia contra jura regia et consuetudines approbatas hactenus et observatas temere venientes, regia licentia non petita vacantibus ecclesiis ad electiones pastorum non sine ipsius regis contemptu procedunt, alias multipliciter injuriantes eidem. Quia igitur causam prædicti regis propriam reputemus, nolentes eum in suo jure pati jacturam, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prælatos et capitula ut eidem regi sicut convenit deferentes, ad hujusmodi electiones nisi prius ipsius regis petita licentia non procedant, et ab aliis injuriis de cætero conquiescant, moneas propensius et inducas, et si expedire videris, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cognita veritate compellas. Datum Romæ apud S. Petrum, nono kalendas maii, anno tertio.

In eumdem modum contra prælatos, et capitula Hiberniæ.

CC

Ad eumdem Norwicensem electum.

23 april. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 399. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut faciat firmiter observari juramenta a magnatibus regi Angliæ præstita.

Honorius, etc., (electo Norwicen.).

Cum causam carissimi in Christo filii nostri regis Anglorum illustris propriam omnimodis reputemus, libenter ejus precibus acquiescimus, qui profectum procuramus ejusdem etiam non rogati. Ex parte siquidem ipsius nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum universi magnates regni Angliæ coram dilecto filio nostro G. tituli Sancti Martini presbytero cardinali, tunc Apostolicæ Sedis legato, jurarint, quod honores, et jura regia promovebunt fideliter, et servabunt, et quod super iis rectori et consiliariis regis ejusdem fideliter obedient, et potenter assistent, prout in instrumento confecto exinde dicitur plenius contineri, nos juramenta hujusmodi approbare auctoritate Apostolica dignaremur. De tua itaque discretione plenam in Domino fiduciam obtinentes, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus juramenta prædicta, sicut præfato regi videris expedire, firmiter observari faciens, juratos ad observationem eorum per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Datum ut supra.

locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis : grangiam Gulle cum omnibus pertinentiis suis : grangiam in Colenhuse cum omnibus pertinentiis suis, et grangiam in Ennickleim cum omnibus pertinentiis suis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis, in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis.

Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis de possessionibus habitis ante Concilium generale, sive de hortis et virgultis et piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, aut etiam de novalibus, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine abbatis sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere : quod si quis forte retinere præsumpserit, licitum vobis sit in ipsos monachos vel conversos regularem sententiam promulgare.

Illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dare sive alio modo alienare absque consensu totius capituli vel majoris vel sanioris partis ipsius. Si quæ vero donationes vel alienationes aliter, quam dictum est, factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc etiam prohibemus, ne aliquis monachus sive conversus sub possessione vestræ domus adstrictus sine consensu abbatis, et majoris partis capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem. Quod si forte facere præsumpserit, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere; licitum præterea sit vobis in propriis causis sive civilem, sive criminalem, contineant quæstionem fratrum vestrorum testimoniis uti, ne pro defectu testium jus vestrum in aliquo valeat deperire.

Insuper auctoritate Apostolica inhibemus, ne ullus episcopus vel quælibet alia persona ad synodos vel conventus forenses vos ire, vel judicio sæculari de vestra propria substantia vel possessionibus vestris subjacere compellat, nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel conventus aliquos publicos convocandi venire præsumat, nec regularem electionem abbatis vestri impediat, aut de instituendo vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Si vero episcopus, cujus in parochia domus vestra fundata est, cum humilitate ac devotione, qua convenit requisitus substitutum abbatem benedicere, et alia quæ ad officium episcopale pertinent, vobis conferre renuerit, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios novitios benedicere, et alia, quæ ad officium suum pertinent, exercere, et vobis omnia ab alio episcopo percipere, quæ a vestro fuerint indebite denegata.

Illud adjicientes, ut in recipiendis possessionibus, quæ a benedictis vel benedicendis abbatibus exhibentur, ea sine episcopi forma et expressione contenti, quæ ab origine ordinis noscitur instituta, ut scilicet abbates ipsi salvo ordine suo profiteri debeant, et contra statuta ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus vero altarium, vel ecclesiarum, sive pro oleo sancto, vel quolibet ecclesiastico sacramento, nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio modo quicquam audeat extorquere, sed hæc omnia gratis vobis episcopus diœcesanus impendat. Alioquin liceat vobis, quacumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur, impendat. Quod si sedes diœcesani episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis, sic tamen, ut ex hoc in posterum propriis episcopis nullum præjudicium generetur. Quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habetis, si quem episcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium, ordinationes monachorum, auctoritate Sedis Apostolicæ recipere valeatis.

Porro si episcopi, vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel per-

sonas inibi constitutas suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros pro eo, quod decimas, sicut dictum est, non persolvistis, sine aliqua occasione eorum, quæ ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate præstiterint, vel ad laborandum adjuvarint in illis diebus, in quibus vos laboratis, et alii feriantur, eamdem sententiam protulerint, ipsam tamquam contra Sedis Apostolicæ indulta prolatam duximus irritandam nec litteræ illæ firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterc. ordinis, et contra tenorem apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari.

Præterea cum commune interdictum terræ fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro monasterio exclusis excommunicatis et interdictis divina officia celebrare, paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut, infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ordini vestro concessas, nec non libertates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego Honorius Cathólicæ Ecclesiæ episc.

(Adjicientur in hoc loco suscriptiones cardinalium.)

Datum Romæ apud Sanctum Petrum per manum Rainerii sanctæ Ecclesiæ Romanæ vicecancellarii II kalend. junii, Indict. VIII, Incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo decimo nono, pontificatus vero domini Honorii Papæ tertii anno secundo (1).

(1) *Legas* tertio.

CCXXXI

Ad Bertrannum cardinalem, Apostolicæ Sedis legatum.

Mense maio.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 687; Regest. lib. III, ep. 451.]

Suspicantibus quibusdam Ludovicum, Philippi regis filium, moliri ut, sub prætextu expeditionis susceptæ adversus Albigenses, Henricum, Angliæ regem, terris in Francia possessis, Pictavia et Vasconia spoliaret, mandat legato Honorius, invigilet ne regi pupillo damnum quodcumque inferatur.

Honorius episcopus... dilecto filio B. (2) tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbytero cardinali, A. S. legato, salutem.

Præsumitur a multis et publice dicitur, quod dilectus filius nobilis vir Ludovicus, illustris regis Franciæ primogenitus, sub prætextu persequendi hæreticos, terram quam carissimus in Christo filius noster Henricus, rex Anglorum illustris, habet in partibus illis, Pictaviam et Vasconiam scilicet, occupare satagit, et suo vel alterius dominio subjugare : quod in immensum Ecclesiæ Romanæ injuriam redundaret. Quam enim majorem pati possemus injuriam, quam si pecuniam quam pro exstirpanda hæretica pravitate Terræ Sanctæ subtraximus, converti (quod absit!) in exhæredatione ipsius regis crucesignati pupilli, tutelæ Ecclesiæ Romanæ relicti, et in ea post Deum totam suam habentis fiduciam, videremur (3). Nonne clamare posset contra

(2) Bertranno.

(3) *Melius* videremus.

nos merito totus mundus, et dicere nos exhæredationis ipsius pupilli, quem nuper tanto studio, tantoque labore de tot et tantis angustiis liberavimus, causam manifeste dedisse. Nec enim ipse Ludovicus hoc iter fuerat aggressurus, nisi tam pater ejus, quam ipse, ad id esset precibus et indulgentiis nostris ac prædictæ concessione vicesimæ incitatus, quando immo etiam sic illud vadit invitus, sicut novimus manifeste (1). Unde multis pulsati precibus, ut per litteras nostras inhiberemus eidem, ne dicti pupili terram invadere attentaret, id facere nullo modo voluimus, non quia velimus terram ipsam invadi, sed ne idem Ludovicus ex inhibitione hujusmodi occasionem assumeret remeandi.

Habentes autem plenam fiduciam, quod a viis nostris, postquam te illas commonefecerimus, non recedes, tibi auctoritate præsentium declaramus communem esse nostram et fratrum nostrorum omnium voluntatem, ut jura prædicti regis omnino reserventur illæsa, et ut nulla e terris ipsius occasione hujusmodi ad alterius dominium transferatur. Unde, si forte illarum aliqua sic erit labe hæreticæ pravitatis infecta, ut nisi adhibita violentia nequeat emendari, non tamen volumus, quod ob hoc cuiquam in illa jus aliquod acquiratur, sed relinquatur absolute ac libere ipsi regi, sicut ad eum noscitur pertinere. Tu ergo, hæc ipsi Ludovico et aliis, si opus fuerit, diligenter exponens, eos, si contrarium (quod non credimus) attentari voluerint, sedula commonitione ac comminatione retineas, et, si necesse fuerit, per te et per episcopos circumstantes monitis, quibus videris expedire, compescas, ac inter cætera eisdem expresse denuncies, quod prædicti regis gravamina, præsertim quæ occasione nostra incurrere viderentur, non sustineremus ullatenus, sed pro defensione ipsius, sicut pro Ecclesia Romana, proprio et speciali negotio faceremus (2).

CCXXXII

Ad Guillelmum III Engolismensem episcopum.

Mense maio 1219.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, 691.]

Pactis anno 1214 inter Joannem, Angliæ regem, et Philippum regem, induciis, cum Reginaldus de Ponte castrum de Merpiis fiducialiter a Joanne custodiendum accepisset, nec illud Henrico regi, Joannis filio, reddere vellet, mandat Honorius, ut detinentes castrum et obsides ecclesiasticæ censuræ subjiciantur.

Honorius episcopus.... venerabili fratri episcopo Engolismensi, et dilectis filiis abbati de Nantolio, Pictavensis diœcesis, et decano Burdegalensi, salutem.

Quanto libentius hactenus venerabili fratri nostro episcopo Canutonensi (3), detulimus et deferre intendimus de gratia speciali, tanto ab his se accuratius convenit abstinere, per quæ nobis displicens reputari posset ingratus; quin potius ita debet se nostris beneplacitis coaptare, quod de gratia in gratiam provehi mereatur. Carissimus siquidem in Christo filius noster Henricus, rex Angliæ illustris, suam ad nos querimoniam destinavit, quod, cum claræ memoriæ Johannes, pater ejus, castrum suum de Merpiis custodiæ nobibis viri R. (4) de Ponte senioris, germani episcopi supradicti, fiducialiter commisit; nunc, prænominato Jo-

(1) Quum Ludovicus, jussu patris, bellum suscepisset adversus Albigenses, tradit Bernardus Iterii, ipsum advenisse Lemovicas anno 1219, die Pentecostes, id est, 26 maii. Porro rex Philippus, cum consilio et auxilio quorumdam episcoporum regni sui, misit in Albigesium ducentos milites et decem millia peditum armatorum ad succurrendum comiti Amalrico, qui patri suo sanctissimo Simoni successerat in terra illa. Huic exercitui misso de Francia præfuerunt archiepiscopus Bituricensis et comes Marchiæ. (Bouquet.)

(2) Desideratur diei nota. Recitatis autem Guillelmi Armorici verbis addit Albericus : « Orta vero inter eos discordia propter quamdam proditionis notam, quam quidam contra Ludovicum moliri videbantur, infecto negotio, redierunt in propria, minus laudis quam vituperii reportantes. Reliquit tamen Ludovicus ducentos milites ad annum ab augusto. Erat ibi legatus Apostolicæ Sedis vir eximius, Bertrannus, cardinalis presbyter, qui multum laboravit pro hæreticis destruendis. » Qui proditionis notam adversus Ludovicum molirentur non liquet. Sane continuator chronici Roberti Autissiodorensis, ait : *Proditione, ut dicitur, interveniente inefficax rediit Ludovicus.* Brito quoque Guillelmus (t. XVII, p. 113 : *Profecti a Marmanda,* inquit, *obsederunt Tolosam, et tepide oppugnaverunt eam, quibusdam de nostris* (id est, catholicis in eam expeditionem signatis), *proditiose impedientibus negotium cruxifixi.* Cujus quidem proditionis censendus non videtur nobis immunis legatus, quia timebat ne, expugnata Tolosa, princeps regius cum integris viribus quasdam Angliæ regis cismarinas terras occuparet. Unde colligimus, perlatis ad Honorium de legato Ludovici querimoniis, Bertrannum, haud multo post, eodem anno fuisse a legationis officio revocatum, succedente Conrado, Portuensi episcopo cardinali, de quo, legationis ejus tempore, occurrent plurima in sequentibus Honorii Litteris. (Bouquet.)

(3) Scribe Xantonensi.

(4) Reginaldi de Ponte.

hanne viam universæ carnis ingresso, prædictus R. castrum ipsum, et obsides, eidem regi reddere denegavit pluries requisitus. Quinetiam ad suæ infidelitatis nequitiam palliandam, ad partes transmarinas, vel potius, ut dicitur, in Hispaniam simulata devotione se transferens, dolose intendit prædictos obsides liberare, tanquam per ipsius affectatam negligentiam, quæ utique aperta est malitia, evasuros. Et ut, qualem fidelitatis affectum erga regem habebat, exhibebat (1) in effectu, tales in ipso castro dimisit, qui non solum præfato regi castrum et obsides reddere aspernantur, verum etiam, proditorie rebellantes, ipsius homines hostiliter persequuntur, et (quod vix credere possemus) hoc perpetrant non sine ipsius episcopi consilio et assensu, cum a prædicto fratre suo dispositioni ejusdem credantur esse commissi : quod ex eo siquidem præsumitur probabiliter, quia, cum illi sint in sua diœcesi constituti, eos non solum non reprimit, verum etiam fovere favorabiliter non desistit.

Cum igitur causam prædicti regis pupilli, crucesignati et custodiæ Sedis Apostolicæ derelicti, omnibus modis defendere teneamur, eidem episcopo per scripta nostra firmiter dedimus in præceptis, ut prædicto regi castrum suum et obsides reddi procuret : detentores eorum spirituali et temporali districtione compellens, ita quod non solum nulla ex hoc contra se possit suspicio exoriri, verum etiam sua exinde possit circumspectio commendari. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus detentores castri et obsidum prædictorum ad restitutionem eorum præfato regi debitam faciendam per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, et super his inquiratis diligentius veritatem, et, quæ inveneritis, ad nos fideliter remittatis, ut, per vestram relationem instructi, procedamus super iis ut justitiam videremus expedire (2). Quod si non omnes, tu ea, frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum Romæ, ad Sanctum Petrum, pontificatus nostri anno tertio.

(1) Exhiberet.

(2) Inde ortum fuisse in Pictavia bellum vel pro Henrico Angliæ rege, vel contra eum, docet Bernardus Iterii, his verbis ad annum 1221 : *Guido vicecomes Lemovicensis cum militibus suis guerram pessimam habebat. Hugo de Leziniaco junior Merpis obsidebat.* Et infra : *In secunda translatione Sancti Martialis, pacificata est guerra apud Uzarchiam me præsente, Merpis fuit reddita.* (Bouquet.)

CCXXXIII

Ad archiepiscopos, et episcopos, abbates et alios ecclesiarum prælatos.

11 junii 1219.

[Wadding, Ann. Minor. I, 301.]

Rogat ut latores præsentium de Minorum fratrum collegio existentes, recipiant sicut catholicos et fideles.

Honorius, etc., archiepiscopis et episcopis, abbatibus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prælatis salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dilecti filii frater Franciscus, et socii ejus de vita et religione Minorum Fratrum, abjectis vanitatibus hujus mundi, elegerunt vitæ viam a Romana Ecclesia merito approbatam, ad serendum semina verbi Dei, apostolorum exemplo, diversas circumeunt mansiones, universitatem vestram rogamus et exhortamur in Domino per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus latores præsentium de prædictorum fratrum collegio existentes, cum ad vos duxerint declinandum, ipsos recipiatis sicut catholicos et fideles; alias eis ad reverentiam divinam et nostram exhibentes vos favorabiles et benignos. Datum III idus junii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXIV

Ad universos prælatos ecclesiarum regalium diœcesis et provinciæ Colocensis.

11 junii 1219.

[Theiner, Mon. Hungariæ, I, 21, n. 34.]

Illos monet se concessisse Ugolino Colocensi archiepiscopo uti pallio et aliis insigniis archiepiscopalibus in tota provincia.

Honorius episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus universis prælatis ecclesiarum regalium diœcesis et provinciæ Colocensis salutem et apostolicam benedictionem.

Cum constitutæ per Ungariam regales ecclesiæ in temporalibus regi, et Sedi Apostolicæ in spiritualibus nullo pertineant mediante, venerabilem fratrem nostrum Hugolinum Colocensem archiepiscopum, quem amplexamur specialis dilectionis brachiis,

de nostro in ipsis providimus honorandum. Cum ergo, sicut idem archiepiscopus in nostra proposuit præsentia constitutus, decimas percipiat in aliquibus ecclesiis regalibus in Colocensi diœcesi et provincia consistentibus, quarum ipsum decet populis juxta officii sui debitum proponere verbum Dei, nos ejusdem archiepiscopi precibus inclinati, ei personaliter de gratia concessimus speciali, ut cum ad regales ecclesias diœcesis et provinciæ Colocensis ipsum declinare contigerit, pallio consuetis diebus et aliis insigniis archiepiscopalibus uti possit. Quocirca præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus eumdem archiepiscopum, quominus concessione hujusmodi uti libere valeat, impedire nullatenus præsumatis.

Datum Reate, III idus junii, pontificatus nostri anno tertio.

Eumdem modum scriptum est Ugolino archiepiscopo mutanda mutatis.

CCXXXV

Ad archiepiscopum Strigoniensem.

11 junii 1219.

[Theiner, Mon. Hungariæ, I, p. 22, n. 36.]

Mandat ut pallium et crucem in diœcesi Colocensi portare desistat.

Honorius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri..... archiepiscopo Strigoniensi salutem et apostolicam benedictionem.

Licet in quolibet reprehensibile judicetur, si extendat ad alterius bona illicite manus suas, id in prælatis ecclesiarum potest et debet tanto fortius reprehendi, quanto minus in talibus excusationes peccatis habere possunt, per divinam et naturalem legem, quæ prohibet non esse faciendum aliis quod quilibet fieri sibi nollet, edocti plenius et instructi. Sane oblata nobis venerabilis fratris nostri... Colocensis archiepiscopi conquæstio patefecit, quod tu promissa, prout condecet, non attendens in provincia et diœcesi Colocensi, in abbatiis, præposituris ac in ecclesiis regalibus cum pallio celebras, ac coram te crucem facis in ejusdem præjudicium bajulari. Cum igitur hoc potius præsumi creditur ex arrogantia, quam ex privilegio vel indulgentia speciali, cum imperium non habeat par in parem, nolentes occasione hujusmodi inter vos et ecclesias vestras dissensionis materiam suboriri, cum posset ex hoc in toto regno Hungariæ per vos, qui estis principalia membra ejus, scandalum generari, fraternitati tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus a præmissis in posterum taliter conquiescas, quod idem archiepiscopus, quem nos et fratres nostri sinceræ dilectionis brachiis amplexamur, suam propter hoc non cogatur ad nos iterare querelam, a cujus molestatione, etsi non voluntarius, post admonitionem nostra pœna præsumptionem hujusmodi subsequente cessare cogereris invitus. Datum Reate III idus junii pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXVI

Ad priorem et conventum de Passelet.

12 junii 1219.

[Registrum monasterii de Passelet, 111.]

Priorem et conventum de Passelet tuendos suscipit.

Honorius, etc., dilectis filiis priori et conventui de Passelet, Cluniacensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri; eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ad exemplar felicis recordationis Innocentii papæ, prædecessoris nostri, personas vestras et monasterium ipsum, in quo divino mancipati estis obsequio, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem concessionem ecclesiarum de Katkert, de Ruthglen, de Corniannoc, de Kilberham, de Mernes et de Polloc, a bonæ memoriæ Jocelino Glasguensi episcopo, de capituli Glasguensis assensu, et Florentio Glasguensi electo, dum curam gereret ecclesiæ Glasguensis, ad vestram, hospitum vestrorum, et pauperum, sustentationem, liberaliter vobis factam, cum omnibus pertinentiis suis, decimis videlicet, redditibus, terris, et possessionibus aliis, sicut pie et provide facta est, et in authenticis eorumdem plenius continetur, vobis et per vos eidem monasterio vestro, auctoritate Apostolica con-

firmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli hominum omnino liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Reate II idus junii pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXVII

Ad abbatem et conventum Virgiliacensem.

12 junii 1219.

[Regest., lib. III, epist. 489. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut duo crucesignati illorum loco dirigant duo bellatores competentes.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui Virgiliacen.

Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum multi de burgensibus vestris, quorum auxilio et consilio Virgiliacensi ecclesiæ solet in temporalibus utilitas procurari, exsequendo vota crucis in [sata] commiserint, et de novo se curaverint insignire, alii in Terræ Sanctæ succursum, alii contra Albigenses ituri, unde Virgiliacensis ecclesia, quæ Romano subest pontifici, nemine mediante, magnum in temporalibus sustinet detrimentum, vobis concedere dignaremur duos ex ipsis licentiam retinendi, quos magis Virgiliacensi ecclesiæ noveritis expedire pro auxilio et consilio in temporalibus opportuno. Volentes igitur sic vestris condescendere precibus in hac parte, et ecclesiæ vestræ utilitatibus providere, quod crucis negotio nullatenus derogetur, quod postulatis vobis auctoritate Apostolica duximus concedendum dummodo crucesignati prædicti pro se competentes dirigant bellatores, et in fraudem voti nihil penitus attentetur. Datum Reate secundo idus junii pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXVIII

Ad abbatem et conventum monasterii Litiensis.

13 junii 1219.

[Copiée sur l'original muni des sceaux du Pape Honorius, par Dom Queimfert le 13 juillet 1774. — Manuscrits latins, fonds Moreau, t. 120, p. 11.]

Sub beati Petri et sua protectione personas et possessiones monasterii Litiensis Laudunensis diœcesis suscipit Pontifex.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati et conventui monasterii Litiensis salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosanta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas et monasterium vestrum cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de brueriis et de tornace domos cum pertinentiis suis ac alia bona vestra sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis vobis et per vos eidem monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem potentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reatorum idus junii pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXIX

Ad abbatem Sancti Petri, sacristam et V. de Moleone canonicum.

13 junii 1219.

[Regest., lib. III, epist. 490. Mss. La Porte du Theil.]

Duæ pauperes capellæ in unam conjungantur.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Sancti Petri... sacristæ, et V. de Moleone canonico Autissiodoren.

Dilecti filii... abbas et conventus Virgiliacen. nobis humiliter supplicarunt, quod cum quasdam ecclesias habeant in Senonen. provincia constitutas in quibus singulis per proprium capellanum singulariter deservitur, et duæ vix sufficiant ad sustentationem proprii capellani, super hoc tam eis quam sustentationi capellanorum ipsorum providere de benignitate Sedis Apostolicæ dignaremur. Nos igitur eorumdem abbatis et conventus postulationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super præmissis diligentius veritate, ubi ecclesiis ipsis

et capellanis servientibus in eisdem videritis expedire, duas pauperes conjungatis in unam, proviso alteri de duobus presbyteris in alio beneficio, vel pensione quoad vixerit competente. Testes autem, etc. Datum Reate idibus junii anno tertio.

CCXL

Ad priorem et fratres S. Mariæ de Rheno et S. Salvatoris Bononiensis.

15 junii 1219.

[Trombelli, *Mem. di S. Maria de Reno*, 438, n. 58.]

Exemptio in tempore interdicti.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis... priori et fratribus Sanctæ Mariæ de Rheno et Sancti Salvatoris Bononiensis, salutem et apostolicam benedictionem.

His quæ a nobis ob divini cultus amorem pie ac provide postulantur favorem nos decet benevolum impertiri. Hinc est quod precibus vestris benignum impertientes assensum, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut cum Bononien. civitas supposita fuerit interdicto, liceat vobis in ecclesia vestra, clausis januis, non pulsatis campanis, excommunicatis et nominatim interdictis exclusis submissa voce divina officia celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate VII kalendas julii pontificatus nostri anno tertio.

CCXLI

Ad Aymarum domus Templi Parisiensis thesaurarium.

15 junii 1219.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 688. Regest., lib. III, ep. 488.]

Transmittat ille Albanensi episcopo A. S. in Syria legato, collectam vicesimam in fidelium Terræ Sanctæ subsidium.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio fratri Aymaro, thesaurario domus Templi Parisiensis salutem et apostolicam benedictionem.

Præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus pecuniam de vicesima jam collectam sub aliquorum testimonio prælatorum, prout tibi, cujus discretioni committimus, expedire videbitur, in subsidium Terræ Sanctæ transmittas venerabili fratri nostro Albanensi episcopo (1), Apostolicæ Sedis legato, sicut eidem scribimus, sub aliquorum prælatorum testimonio assignandam. Datum Reate, XVII kalendas julii, pontificatus nostri anno tertio.

(1) Pelagio.

CCXLII

Ad Joannem de Nivernis Virgiliacensis Burgensem.

17 junii 1219.

[Regest., lib. III, epist. 493. Mss. La Porte du Theil.]

Confirmat donationem illi factam ab Henrico Nivernensi comite.

Honorius, etc., dilecto filio Johanni de Nivernis Virgiliacen. ecclesiæ burgen.

Justis petentium, etc. Eapropter, dilecte in Domino fili, dilectorum filiorum abbatis, et conventus Virgiliacen. precibus inclinati, postulationibus tuis grato concurrentes assensu, donationem medietatis Blanarcen., ac bladi de Dormitiaco a nobili viro Henrico comite Nivernen. liberaliter tibi factam, sicut in ejusdem litteris suo sigillo signatis plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Datum Reate XV kalendas julii anno tertio.

CCXLIII

Ad magistrum et fratres hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani.

22 junii 1219.

[Strehlke, Tabulæ ordinis Theut. 160, n. 173.]

Confirmat Honorius Frederici II constitutionem qua licet hospitali acquirere de feodis imperii.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus hospitalis Sanctæ Mariæ Teutonicorum Jerosolymitani salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum igitur carissimus in Christo filius noster Fredericus, illustris rex Siciliæ, in Romanorum imperatorem electus, regia liberalitate con-

cesserit, ut quicumque aliqua de bonis imperii possidet nomine feudi, libere et licenter quantum voluerit ex eisdem tamquam de propriis valeat domui vestræ conferre, nos concessionem ipsam pie ac provide factam, sicut in ipsius regis privilegio continetur, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate decimo kalendas julii pontificatus nostri anno tertio.

CCXLIV

A Guillelmum Catalaunensem episcopum.

23 junii 1219.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 688; Regest., lib. III, epist. 496.]

Mandat illi Honorius, ne sinat reginam affectare Campaniæ comitatus hæredium, donec causa natalium ejus ab Apostolica Sede fuerit judicata.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Catalaunensi episcopo, et dilectis filiis Sancti Johannis in Vineis Suessionensis, et Vallissecretæ, Præmonstratensis ordinis, abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecta in Christo filia nobilis mulier Blancha comitissa et dilectus filius nobilis vir Theobaldus, natus ejus, comes Campaniæ, nobis insinuare curarunt, quod carissima in Christo filia nostra illustris regina Cypri (1), illegitima filia Henrici quondam comitis Campaniæ, ipsos et sua nititur molestare, moliendo in terram quam possidet idem comes, succedere, occasione incestuosæ copulæ quam mater ipsius reginæ cum Henrico comite supradicto, alio etiam legitimo viro vivente, contraxit, ex qua non sine duplici nota progenita, cum manifestum patiatur defectum natalium, successionis titulum non meretur.

Volentes igitur in causa natalium justitiam publicam exhiberi, per Apostolica scripta mandamus quatenus ipsi reginæ, si ad partes accesserit Gallicanas, auctoritate injungatis expresse, ut usque ad terminum competentem, quem ipsi peremptorium assignetis, personaliter, vel per procuratores idoneos, apostolico se conspectui repræsentet; id ipsum injungentes ejus procuratori, si aliquem forte propter hoc ad partes destinaverit supradictas, ut, auditis et plenius intellectis quæ fuerint hinc inde proposita, justo declaretur judicio utrum ipsa regina, ex copula prædicta, debeat illegitima reputari. Quod si forte dicta regina, vel aliquis ejus nomine, seu etiam occasione ipsius, super ipsa causa successionis litigare vellet in partibus Gallicanis, ipsos non permittatis audiri, quousque causa natalium, ex qua illa dependet, per Apostolicæ Sedis judicium terminetur; quinimmo, ne forte, negotium confundi contingat, præfatam terram in statu in quo nunc esse dignoscitur, conservantes, illam non permittatis hujusmodi occasione ab aliquo perturbari, perturbatores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes, etc.

Datum Reate, IX kalendas julii, pontificatus nostri anno tertio.

CCXLV

Ad Gratiam archidiaconum Bononiensem.

28 junii 1219.

[Savioli, Ann. Bologn. II, II, 408.]

Eidem significat se statuere ut nullus ulterius in civitate Bononiæ ad docendi regimen assumatur, nisi ab eo obtenta licentia.

Honorius, etc., dilecto filio G. archidiacono Bononiensi salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sæpe contingat, ut in civitate Bononiæ minus docti ad docendi regimen assumantur, propter quod et doctorum honor minuatur et profectus impediatur scholarium volentium erudiri. Nos eorumdem utilitati et honori prospicere cupientes auctoritate præsentium duximus statuendum ut nullus ulterius in civitate prædicta ad docendi regimen assumatur nisi a te obtenta licentia examinatione præhabita diligenti. Tu denique contradictores, si qui fuerint vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione remota, compescas. Romæ IV kal. julii pontificatus nostri anno tertio.

(1) Alix vel Adelais, nupta Hugoni de Leziniaco, Cypri regi.

CCXLVII

Ad Constantinopolitanam imperatricem.

2 julii 1219.

[Regest., lib. III, epist. 499. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut nullus sine speciali mandato Sedis Apostolicæ excommunicationis vel interdicti contra imperatricem proferat sententiam.

Honorius, etc., carissimæ in Christo filiæ... imperatrici Constantinopol. illustri.

Volentes serenitati tuæ in quibus decet apostolici favoris gratiam exhibere, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut præter Romanum pontificem, vel ejus legatum nullus in te vel capellas tuas excommunicationis, aut interdicti sententiam absque speciali Apostolicæ Sedis mandato faciente de hac nostra indulgentia mentionem, audeat promulgare. Quod si forte aliquam contra tenorem ejusdem indulgentiæ promulgari contigerit, eam decernimus non servandam. Nulli ergo, etc. Si quis autem... Datum Reate sexto nonas julii anno tertio.

CCXLVII

Ad capitulum Sancti Castoris in Confluentia Trevirensis diœcesis.

6 julii 1219.

[Vurdtwein, Nova subsidia, III, 79.]

Mandat ut in præpositum accipiat Alatrinum subdiaconum.

Honorius, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo Sancti Castoris in Confluentia Trevirensis salutem et apostolicam benedictionem.

Memores quod nunquam vobis pro alicujus provisione direximus scripta nostra, volentes, quod filium Alatrinum subdiaconum et capellanum nostrum, quem suæ probitatis obtentu carum habemus admodum et acceptum, uberiorem a nobis affectum et gratiam de cætero sentiatis. Cum nuper præpositus vester in ultramarinis partibus a rebus fuerit humanis assumptus, sicut per nobilem virum, ducem Austriæ, nobis innotuit, qui ejus interfuisse proposuit sepulturæ, præposituram quam idem præpositus in ecclesia vestra obtinuit subdiacono contulimus memorato. Quocirca universitatem vestram rogandam duximus et monendam per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus eumdem capellanum nostrum in vestrum præpositum admittentes præposituram prædictam cum omnibus ad eam pertinentibus asssignetis eidem; alioquin venerabili fratri nostro archiepiscopo Maguntin. nostris damus litteris in mandatis, ut vos ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat. Nos etiam si quid ex nunc super præpositura ipsa contra donationem nostram factum fuerit, irritum decernimus et inane. Datum Reate secundo nonas julii pontificatus nostri anno tertio.

CCXLVIII

Ad Guillelmum Pictavensem episcopum.

6 julii 1219.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 689. Regest., lib. III, ep. 503.]

Savarico de Maloleone in Syriam profecto, mandat Honorius, ut æs alienum quod contraxerat ille in Italia, Pictavensis episcopus solvat concessa illi vicesima reddituum ecclesiasticorum.

Honorius episcopus... venerabili fratri episcopo Pictavensi, salutem.

Cum dilectus filius nobilis vir Savaricus de Maloleone cum dilectis filiis Philippo Falcon, cive Romano, et Boncompagno Tornampollensi, Ragnucio Curtabrane, Aldebrandino et Spicinellio, mercatoribus Senensibus, debitum mille et ducentarum marcarum puri et fini argenti ad pondus Trecense contraxerit in ultramarino peregrinationis itinere constitutus, prout in ejus litteris super hoc factis plenius continetur, ad nobilis ejusdem instantiam per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus, vicesimam eidem ab Apostolica Sede concessam et omnes redditus suos colligi faciens diligenter, te his ante omnia debita solvi facias debitum memoratum præfatis mercatoribus, vel certo nuncio eorumdem; ac deinde aliis creditoribus, a quibus ipsum post iter arreptum nuncium recepisse tibi constiterit, de residuo satisfieri facias, cum super hoc receperis litteras nobilis supradicti; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescens, circa satisfactionem non relaxaturus sententiam, quam propter hoc duxeris promulgandam : sciens nos dilecto filio decano S. Stephani Trecensis districte per nostras dedisse litteras in præceptis, ut, si super prædictis neglexeris efficere quod mandamus, ipse te ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellat.

Datum Reate, pridie nonas julii, anno tertio.

Scriptum est super hoc eidem decano Bartholomeo Trecensi in eumdem fere modum, verbis competenter mutatis, usque in finem.

CCXLIX

Ad Theodoricum Trevirensem episcopum.

6 julii 1219.

[Wurdtwein, Nova Subsidia, III, 80.]

Mandat ut admittat Alatrinum ad præposituram Sancti Castoris.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Trevirensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dilecto filio subdiacono et capellano nostro in ecclesia S. Castoris de Confluentia tuæ diocesis, quam cito se facultas offerret, promiseris conferre præbendam, quod ad te de antiqua et approbata consuetudine pertinere dicebas; tandem cum post modum tres præbendæ in ecclesia prædicta vacassent et tuum omiseris implere promissum, tibi super hoc scripsisse meminimus, scolastico custode et magistro Oberto, canonico Magunt. a nobis eidem subdiacono ut promissum adimpleres hujusmodi, executoribus deputatis; porro quia præpositus ejusdem ecclesiæ S. Castoris nuper fuit a rebus humanis assumptus, sicut per nobilem virum, ducem Austriæ, nobis innotuit, qui ejus se interfuisse proposuit sepulturæ, præposituram, quam idem præpositus in ecclesia prædicta obtinuit subdiacono contulimus memorato, capitulo ecclesiæ mandantes, ut eumdem capellanum nostrum in suum præpositum admittentes sibi præposituram ipsam assignent, cum omnibus pertinentibus ad eamdem, venerabili fratre nostro Magunt. archiepiscopo ad id executore deputato a nobis eidem. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente ac per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus eumdem subdiaconum ad præposituram ipsam collatam sibi a nobis libenter admittas, ita ut per eum uberiorem a nobis affectum et gratiam de cætero valeas obtinere. Alioquin eidem Magunt. archiepiscopo nostris damus litteris in mandatis, ut te ad id, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellat. Nos etiam, si quis ex nunc, etc.

Datum Reate secundo nonas junii pontificatus nostri anno tertio.

CCL

Ad Bertrannum cardinalem legatum.

6 julii 1219.

[Regest., lib. III, epist. 511. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut adeat monasterium S. Augustini Lemovicensis et perficiat reformationem ejusdem ab aliis incœptam.

Honorius, etc., dilecto filio B. tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbytero cardinali, Apostolicæ Sedis legato.

Significantibus dilectis filiis Aymerico, Ademaro, Stephano et Johanne monachis S. Augustini Lemovicen., nos noveris accepisse, quod cum venerabilis frater noster Caturien. episcopus et collegæ sui olim de mandato nostro ad ipsorum monasterium personaliter accessissent, ut corrigerent et reformarent ibidem tam in capite quam in membris quæ correctionis officio noscerent indigere, Hugo abbas et quidam alii ejusdem monasterii monachi ejus in hac parte fautores, ut sic canonicam effugerent disciplinam, et eorumdem inquisitorum perturbarent processum, frustratorie Sedem Apostolicam appellarunt. Dictus autem episcopus et alter collegarum suorum crucis caractere insigniti cum essent in proximatu itineris proficiscendi contra hæreticos Albigenses, propter quod in inquisitione ipsa plene procedere non valebant, appellatione ipsorum frivola reputata, receptis decem et septem monachorum et quorumdam aliorum familiarium ejusdem cœnobii primitus juramentis, et depositionibus eorum redactis in scriptis, præscriptum abbatem et Amelin, fratrem ejus, propter manifestæ dilapidationis infamiam a suis administrationibus suspenderunt, in ipsos, et eorum complices quoniam a præsentia contumaciter recesserant eorumdem, et inquisitionis prædictæ temeritate propria perturbarant processum, excommunicationis sententiam promulgantes. Quare a nobis humiliter postulabant monachi supradicti, ut desolationi sui monasterii paterno compatientes affectu, id quod per inquisitores prædictos quoad correctionem ejusdem monasterii auctoritate Apostolica fuerat inchoatum, per aliquos discretos viros perfici misericorditer faceremus. Nos igitur de discretione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus per te vel per alium ad monasterium

memoratum accedens, inquisitioni præfatæ secundum depositiones prædictas et probationes alias, si quas de jure videris admittendas juxta priorum continentiam litterarum, sublato appellationis impedimento, procedas. Datum Reate secundo nonas julii pontificatus nostri anno tertio.

CCLI

Ad abbatem et conventum de Rading.

8 julii 1219.

[Dugdale, Monast. anglic., IV, 57, n. 9.]

Confirmatio de instituendis et amovendis decanis et fratribus apud Leominster.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui de Rading, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ex litteris sane dilecti filii nostri G., tituli Sancti Martini presbyteri cardinalis, et vobis referentibus, intelleximus, quod cum monasterium vestrum, ab ipsa sui fondatione, manerium et ecclesiam de Leom Hereford. diœcesis, cum omnibus eorum pertinentiis obtinuerit, et monasterii prædicti abbatis ordinandi et disponendi de omnibus quæ apud Leom ad ordinem monasticum pertinent liberam habuerint facultatem, et ad custodiam manerii et ecclesiæ prædictorum deputare quosdam, qui decani dicuntur, et monachos libere consueverint et etiam amovere, venerabilis frater noster episcopus et capitulum Hereford. vos uti hujus dispositionibus, libertatibus et consuetudinibus concesserunt. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, concessionem hujus sicut provide ac utiliter facta est, ut in eorumdem episcopi et capituli litteris dicitur contineri, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ VIII idus julii, pontificatus nostri anno tertio.

CCLII

Ad abbates Sancti Joannis in Vineis et Vallis Secretæ et decanum Suessionensem.

8 julii 1219.

[Liber Pontificum, Bibl. nationale de Paris, anc. fonds latin 5994 A, p. 21.]

Prohibet ne absolvantur vel sepulturæ ecclesiasticæ tradantur Erardi fautores antequam ipsi vel hæredes eorum cautionem dederint de damnis illatis reparandis.

Honorius, etc., dilectis filiis Sancti Joannis in Vineis Suessionen. et Vallis Secretæ Suessionen. diœcesis abbatibus et decano Suessionen., salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecta in Christo filia nobilis mulier B. comitissa et T. natus ejus, comes Campaniæ, nobis conquærendo monstraverunt, quod quidam fautores nobilis viri Erardi de Brena et Philippæ uxoris suæ, pro eis auctoritate nostra vinculo interdicti et excommunicationis adstricti, agerent in extremis; quidam simplices sacerdotes illos absolvere et decedentes ecclesiasticæ sepulturæ tradere præsumpserunt, nulla satisfactione de damnis illatis impensa comitissæ et comiti supradictis; quare nobis humiliter supplicarunt ut super hoc eorum indemnitatibus providere paterna sollicitudine dignaremur. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus auctoritate nostra inhibeatis expresse, ne quis de cætero excommunicatos hujusmodi positos in extremis præsumat absolvere, vel decedentes ecclesiasticæ tradere sepulturæ, nisi ipsi vel hæredes eorum eisdem comitissæ ac comiti sufficientem dederint cautionem, quod infra certum terminum competentem eis integre satisfacient super omnibus, pro quibus hujusmodi involuti fuerunt. Eos qui contra prohibitionem vestram venire præsumpserunt, ab officio beneficiisque suspensos ad præsentiam nostram cum litteris vestris rei seriem continentibus appellatione postposita transmittentes. Hæredes vero illorum qui taliter absoluti traditi sunt ecclesiasticæ sepulturæ ad congruam satisfactionem super præmissis impediendam, comitissæ et comiti supradictis per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo, sicut justum fuerit, compellatis. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exse-

quantur. Datum Reate VIII idus julii, pontificatus nostri anno tertio.

CCLIII

Ad Sancti Galgani et Sancti Michaelis discalceatorum abbates.

10 julii 1219.

[Ughelli, Italia sacra, III, 248.]

Eis mandat ut informent de moribus episcopi Fesulanæ ecclesiæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Sancti Galgani, et S. Michaelis discalceatorum abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Ascendit ad nos clamor ecclesiæ Fesulanæ fessæ jam a malorum multitudine, quæ non ab hoste, sed ab amico, nec ab extraneo patitur, sed a sponso, si tamen, qui sua rapit, sit ejus dicendus amicus, vel sponsus reputari debeat, et non mœchus, qui sponsæ honestatem sponte contemnens, ut illicitos mercetur amplexus, prodigit dotem ejus. Nam quod sine dolore plurimo referre non possumus, et rubore, Fesulamus episcopus rationem sensualitati, et spiritum carni dicitur usque adeo subjecisse, quod contempta pontificis gravitate, carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam se involvens, prava, quæ non licet, turpia, quæ non decet, et vana, quæ non expedit, in ætate senili juveniliter operetur, et quia non potest sine gravibus sumptibus suis voluptatibus satisfacere, utpote qui non solum secretorum suorum consciis, verum etiam aliis, ne ignominiam revelent ipsius, multa cogitur damnabiliter elargiri, bona ecclesiæ Fesulanæ pene penitus dissipavit, nec contentus res mobiles, quibus incubabat consumere, res etiam immobiles prodiga manu distraxit, et quasdam donavit sub venditionis specie simulatæ aliis nihilominus infeudatis in irreparabile ipsius ecclesiæ detrimentum, contra juramentum proprium temere veniendo, ita quod sicut creditur vix, vel nunquam post decessum ipsius episcopi erit, qui velit sibi succedere, in tantum erit ipsius ecclesiæ non solum forma, sed substantia annulata. Volentes igitur descendere, ac videre utrum clamor hujusmodi veritati nitatur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad ecclesiam ipsam personaliter accedentes, vel si hoc sine scandalo esse non potest, vocantes quos propter hoc videritis evocandos, et habentes præ oculis solum Deum, inquiratis super præmissis omnibus diligentius veritatem, et quod inveneritis per vestras vobis litteras fideliter terminetis, præfigentes eidem episcopo terminum competentem, quo nostro conspectui se repræsentet, recepturus pro suorum exigentia meritorum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Reate, VI idus julii, pontificatus nostri anno tertio.

CCLIV

Ad Radulfum S. Johannis in Vineis.

11 julii 1219.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 689; Regest. lib. III, epist. 515.]

Erardo de Brena bellum gerere non desinente adversus Theobaldum, Campaniæ comitem, mandat Honorius, ut homines comiti juramento adstricti eidem assistere cogantur viriliter, pendente causa natalium Philippæ, uxoris Erardi.

Honorius episcopus..... dilectis filiis Sancti Johannis in Vineis Suessionensis ecclesiæ, Vallis Secretæ, abbatibus, et decano Suessionensis ecclesiæ, salutem, etc.

Cum nobilis vir Erardus de Brena et Philippa uxor ejus, et coadjutores eorum, excommunicationis et interdicti sententias in eos et terras suas pro damnis et injuriis nobili mulieri Blanchæ, comitissæ Campaniæ, ac Theobaldo, filio ejus, illatis, auctoritate Apostolica promulgatas jam per biennium contempserint, et adhuc quoque contemnant cordibus induratis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsius comitissæ ac filii ejus homines et illos qui eisdem ad hoc juramenti vinculo sunt adstricti, ut ipsi comitissæ ac filio ejus contra præfatum Erardum et ejus fautores assistant viriliter et potenter, si terram, quam possident, perturbare præsumpserint, pendente coram nobis causa natalium supradictæ Philippæ, moneatis prudenter, et efficaciter inducatis eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogentes. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Reate, V idus julii anno tertio.

CCLV

Ad Reginaldum de Humaco, Drogon. de Condolio et Guidonem de Cintiniaco canonicos Noviomenses.

12 julii 1219.

[Regest., lib. III, epist. 519. Mss. La Porte du Theil.]

Ut informent de causis repulsus canonici Joannis a monasterio Sancti Monasterii.

Honorius, etc., dilectis filiis Reginaldo de Humaco, Drogon de Condolio et Guidoni de Cintiniaco canonicis Noviomen.

Cum dilectis filiis... abbati et conventui monasterii Sancti Bartholomæi Noviomen. multotiens direxerimus scripta nostra, ut Johannem canonicum suum, qui sicut ipse nobis exposuit, monasterio ipso egressus fuerat animi lenitate, reciperent, salva ordinis disciplina, quia ipsi abbas, et conventus id efficere non curabant, vobis tandem dedimus in mandatis, ut inquisita diligentius veritate quare mandatum Apostolicum non deberet, vel non posset impleri, quod super his inveneritis per vestras curaretis nobis litteras intimare; vobis itaque ad monasterium ipsum personaliter accedentibus, et veritatem inquirentibus de præmissis tam publice quam privatim, sicut nobis vestris litteris intimastis, venerabilis frater noster... Noviomen. episcopus, juratus in verbo Domini, quod dictus Johannes confessus fuerat coram eo et pluribus aliis quinque annos esse transactos quod ipsum abbatem suum interfecisset, si potuisset, veneno vel ferro. Dicti vero abbas et conventus responderunt se nolle nec audere, nec de jure debere ipsum Johannem recipere multiplici ratione. Primo, videlicet, quia cum idem Johannes mortem ipsius abbatis fuerit machinatus, et dictus abbas secure non poterat vivere cum eodem, et fratres scelus committerent, quod in patrem audaciter voluerat perpetrare. Secundo, quia per veri suppressionem apostolicas super receptione sua litteras impetravit. Cum enim dicti abbas et conventus ipsum monuerint ut satisfaceret de suo excessu et pœnitentiam ageret in quadam ecclesia, idem obedire contempsit, excommunicatus recessit, et ad sæculum est reversus. Tertio, quia cum bonæ memoriæ R. tituli Sancti Stephani in Cœlio monte presbyter cardinalis ipsum Johannem ad Augen. ecclesiam duxerit transmittendum, abbate et conventu ejusdem ecclesiæ non potentibus ejus insolentiam sustinere, idem ad ecclesiam Sancti Eurtii Aurelianen. ab abbate suo extitit destinatus; sed post paucos dies exinde illicentiatus recedens, religiosas vestes vendere ausu temerario non expavit. Quarto, quod cum ipsi... abbatem et conventum Sancti Victoris, quorum observant ordinem super receptione ipsius Johannis duxerint consulendos, iidem eis consilio habito per suas petentes litteras responderunt, quod nullatenus ipsum reciperent in monasterio memorato. Quinto, cum sæpedictus Johannes præfato abbati Sancti Bartholomæi quasdam præsentaverit litteras, quas se dicebat a Sede Apostolica impetrasse, idem abbas litteras ipsas habens de falsitate suspectas, coram... abbate Sancti Leodegarii Suessionen. et quibusdam aliis eos examinari curavit, et cum viderit bullam ab inferiori parte tenentem, filum exinde sine aliqua difficultate subtraxit, propter quod de falsitate ipsarum constitit evidenter. Unde sæpefati abbas et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut cum appareat ex prædictis supradictum Johannem ab eorum debere consortio tanquam membrum putridum resecare, ne, quod absit, unius morbidæ ovis contagium inficiat totum gregem, eos ab impetratione ipsius absolvere dignaremur. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si vobis constiterit de præmissis, præfatos abbatem et conventum ab impetratione sæpefati Johannis, sublato appellationis obstaculo, absolvatis. Nullis litteris veritati, et justitiæ præjudicantibus, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Reate quarto idus julii, pontificatus nostri anno tertio.

CCLVI

Ad episcopum Cenomanensem.

13 julii 1219.

[Regest., lib. III, epist. 534. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget episcopo ut tres canonicos secum retineat et isti nihilominus fructus integros suarum præbendarum percipiant.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Cenomanen.

Ad aures nostras te significante pervenit, quod cum in Cenomanen. ecclesia consuetum fuerit ab antiquo, ut ipsius loci episcopus de canonicis ejusdem ecclesiæ secum posset habere, ac pro ipsius ecclesiæ pro-

curandis negotiis destinare quot et quales volebat, qui præterquam in quotidianis distributionibus, suarum fructus perciperent integros præbendarum, consentiente A. prædecessore tuo, a Cenomanen. capitulo fuisse noscitur institutum, et etiam juramento firmatum, ut episcopus ultra duos ex ipsis canonicis secum habere non valeat, quos etiam duos præbendarum suarum proventus percipere integros non permittunt, nec potest idem episcopus ex prædictis canonicis mittere aliquos ad ipsius ecclesiæ negotia procuranda, capituli licentia non petita. Unde nobis humiliter supplicasti ut tibi super hoc providere de benignitate Sedis Apostolicæ dignaremur. Volentes igitur ut in te Apostolicæ Sedis superabundet gratia specialis, præsentium auctoritate duximus indulgendum, ut ex nostra tibi liceat gratia tres ex tuis canonicis, cum tibi visum fuerit, retinere, qui in servitio commorantes, fructus integros suarum percipiant præbendarum, institutione prædicta etiam juramento firmata super hoc minime obstante. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Reate tertio idus julii, pontificatus anno tertio.

CCLVII

Ad electum Norwicensem, Apostolicæ Sedis legatum.

16 julii 1219.

[Theiner, Monum. Hiberniæ, 10, n. 25.]

Electo Norwicensi, Apostolicæ Sedis legato, ut causam Giliberti electi Artfertensis examinet, et si electionem canonice factam invenerit, eamdem confirmet, rejecto electo intruso.

Honorius episcopus, dilecto filio P. Norwicensi electo, Apostolicæ Sedis legato, salutem.

Accedens olim ad præsentiam nostram dilectus filius G., canonicus Artfertensis ecclesiæ, nobis humiliter intimavit, quod ecclesia eadem pastore vacante, ipsius capitulum eum in episcopum suum canonice ac concorditer elegerunt, super quo etiam exhibuit decretum ejusdem capituli singulorum suscriptionibus roboratum. Verum Waterfordensis, Imilicensis, et Limiricensis episcopi Johannem presbyterum Limiricensis diœcesis, per potentiam G. de Marisco justitiarii Hiberniæ violenter in ecclesiam ipsam post ejus electionem intrusum, consecrare in ejus episcopum præsumpserunt, post appellationem ad nos legitime interjectam, in excusationem præsumptionis hujusmodi prætendentes, quod electio de dicto Johanne præsumpta per quemdam diaconum, quem venerabilis frater noster Cassellensis archiepiscopus metropolitanus loci, tunc ad Apostolicam Sedem venturus, procuratorem suum reliquerat, fuerat confirmata : unde postulabat instanter, ut præfatum intrusum removentes ab ecclesia supradicta, et pro suæ præsumptionis excessu canonice punientes episcopos antedictos, confirmaremus electionem de ipso canonice celebratam. Licet autem idem canonicus nobis multas litteras exhibuerit, per quas ei perhibebatur testimonium de prædictis, et quæ ipsum de vita et scientia commendabant : quia tamen pro parte altera nullus comparuit coram nobis, et contra illam absentem et indefensam non erat taliter procedendum, ipsius canonici preces exaudire nequivimus in hac parte. Volentes autem eidem in jure suo, sicut tenebamur, adesse causam hujusmodi venerabilibus fratribus nostris Cluarfertensi, Enechdunensi et Finwarensi episcopis duximus committendam, ipsis per Apostolica scripta mandantes, ut vocatis, quos vocandos viderent, et auditis, quæ hinc inde ducerent proponenda, si de præmissis constaret eisdem, humano amore ac mundano timore postpositis, præfatum intrusum ab ipsa ecclesia penitus amoventes, examinarent electionem factam de canonico memorato, et si eam invenirent de persona idonea canonice celebratam, illam auctoritate nostra, sublato cujuslibet contractus et appellationis obstaculo, confirmarent, et facientes ipsum pacifica ejusdem ecclesiæ possessione gaudere, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, archiepiscopo injungerent memorato, ut eidem munus consecrationis impenderet, sicut pertinere noscebatur ad ipsum. Præfatos autem episcopos, si constaret eisdem, ipsos post appellationem legitimam intrusum consecrasse prædictum, pro tantæ temeritatis excessu suspensos ad nostram præsentiam destinarent, ut et iidem in pœna culpæ cognoscerent quantitatem, et iis, quibus præsumptio fuit in scandalum, esset punitio in exemplum, nullis litteris obstantibus prædictarum litterarum tenore tacito a Sede Apostolica impetratis. Præfati vero judices, sicut per suas nobis litteras intima-

runt, tribus edictis, juris ordine in omnibus observato, præfatum Johannem, qui se tunc gerebat pro episcopo Artfertensi, ad suam præsentiam citaverunt, exhibiturum, quod super iis ordo poposceret rationis. Jamdicto autem Johanne nec ad primam, nec secundam, nec tertiam citationem etiam per se vel responsalem idoneum comparente, sed sicut videbatur, ut mandatum nostrum eluderet, quasdam appellationes frivolas per humiles interponente personas, sicut tandem per allegationes partis adversæ fuit declaratum in jure, iidem judices, quamquam de rigore juris possent procedere contra eum, ad convincendam tamen ejusdem Johannis malitiam quartam diem ei pro peremptorio termino assignarunt, canonicis Artfertensis ecclesiæ ad eumdem terminum evocatis : verum memoratus J. mandatum apostolicum parvipendens, et tam de sua præsumptione, quam de laicali confidens potentia, nec personaliter comparuit coram eis, nec pro se responsalem idoneum destinavit, quodam Gartione duntaxat, qui minas ex parte justitiarii tam ipsis judicibus quam electo et electoribus ejus inferret, ad eorum præsentiam destinato. Cæterum jam dictis canonicis Artfertensibus tamquam obedientiæ filiis statuto termino comparentibus coram eis, ac gratia, odio ac timore postpositis, constanter asserentibus se, nullo de congentilibus omisso, sæpefatum G. in majori Artfertensi ecclesia canonice ac concorditer in Artfertensem episcopum elegisse : ipsi, tam de idoneitate ipsius electi, quam de modo electionis et eligentium studiis veritate diligentius indagata, cum invenissent electionem ipsam unanimem et concordem, et quod ex adversa parte nil objectum fuisset, quod electionem ejusdem Giliberti impedire valeret, tandem post admonitiones et citationes varias de dicti Johannis intrusione ac contumacia certiores, effecti electionem ipsius G. utpote canonice celebratam auctoritate Apostolica confirmarunt, possessionem Artfertensis episcopatus adjudicantes eidem. Unde postulabant a nobis, ut cum metropolitanus suus sibi munus consecrationis impendere non curarit, illud ei de benignitate Sedis Apostolicæ impendere dignaremur. Licet autem nominati judices ipsius negotii seriem, sicut superius est expressum, per suas nobis litteras intimarint, nos tamen volentes per te, de quo fiduciam gerimus pleniorem, de præmissis inquiri diligentius veritatem, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, quos videris evocandos, si judices ipsos inveneris legitime processisse, ipsorum sententiam executioni demandans, et faciens eam auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, firmiter observari, contradictores per ecclesiasticam censuram, appellatione postposita, compescendo, injungens archiepiscopo sæpefato, ut eidem electo munus consecrationis impendat, sicut ad eum noscitur pertinere. Præfatos autem episcopos, si tibi constiterit, eos post legitimam appellationem intrusum consecrasse prædictum, pro tantæ temeritatis excessu suspensos ad præsentiam nostram transmittas, ut iidem in pœna culpæ quantitatem cognoscant, et iis, quibus præsumptio fuit in scandalum, sit punitio in exemplum. Testes autem, etc Non obstante constitutione Concilii generalis, etc. Datum Reate XVII kal. august., pontificatus nostri anno tertio.

CCLVIII

Ad archiepiscopum Remensem.

16 julii 1219.

[Regest., lib. III, epist. 522. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut ad reformationem monasterii Sancti Remigii Remensis procedant.

Honorius, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Remen., salutem, etc.

Officii nostri debitum laudabiliter exercemus, si ad reformationem ecclesiarum in quibus lima est correctionis Apostolicæ necessaria, nostræ sollicitudinis aciem intendamus. Cum igitur frequentes ad nos clamores pervenerint, quod monasterium Sancti Remigii Remen. in plurimis, quæ in derogationem sunt loci ejusdem et personarum ibidem consistentium sit collapsum, id sub dissimulatione transire nolentes, sed volentes super eo potius Apostolicæ provisionis oculum aperire, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad ejusdem monasterii reformationem vice nostra descendens, ibi Deum habendo præ oculis, sublato appellationis obstaculo, corrigas et reformes, quæ correctionis et reformationis officio videris indigere. Datum Reate, XVI kalendas augusti, pontificatus nostri anno tertio.

CCLVII

Ad priorem, archidiaconum et cantorem Pampilonenses.

17 julii 1219.

[Espana Sagr. I, 436.]

Super spoliatione pontificalium cujusdam prioris Tutelani, postea Calagurritani episcopi.

Honorius, etc., dilectis filiis priori, archidiacono et cantori Pampilonensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii G., prioris Tutelani, quærimoniam recepimus continentem, quod Didacus Eximini Calagurritanus canonicus, Garsias Fernandi Aldenain, Petrus Alexandri, Petrus Garsie, Albaret et quidam Calagurritanæ diœcesis, eumdem et clericos suos in ecclesia temeritate sacrilega invadentes, equitaturis, vestibus, ornamentis episcopalibus, et rebus aliis ipsum nequiter spoliaverunt, et alias eis nihilominus graves et injuriosi existentes.

Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, dictos sacrilegos tandem, appellatione remota, excommunicatos publice nuncietis, et faciatis ab omnibus arctius evitari, donec passis injuriam satisfecerint competenter, et cum vestrarum testimonio litterarum ad Sedem venerint Apostolicam absolvendi. Super aliis vero audiatis causam, et quod justum fuerit appellatione postposita decidatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesssse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Reate, XVI kal. augusti, pontificatus nostri anno tertio.

CCLVIII

Ad episcopum Pictavensem.

21 julii 1219.

[Regest., lib. III, epist. 532. Mss. La Porte du Theil.]

Illum vituperat Honorius, quod non curaverit integram vicesimam colligere juxta mandatum Apostolicum, et mandat ut sine mora impendat ad hoc curam suam.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Pictaven.

Dilectus filius nobilis vir Savaricus de Maloleone crucesignatus proposuit coram nobis, quod cum tu et collegæ tui, qui vicesimam, quam sibi duximus concedendam auctoritate Apostolica ad opus ipsius colligere ac illi etiam qui eamdem solvere debuerunt, id non curaveritis, sicut oportuit facere, ac dubitaveritis utrum totam tuam annonam vicesimam sibi mandaverimus assignari; ipse de concessione prædicta nihil fere commodi est hactenus assecutus. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus dictam tuam annonam vicesimam solvi cum integritate per censuram eccclesiasticam appellatione postposita facias, et tam de ipsa vicesima quam de omnibus aliis redditibus nobilis memorati omnia debita satisfieri facias dilectis filiis Philippo de Falcon, civi Romano et Boncompagno Fornampollensi, Ragnucio Curtabrane, Aldebrandino, et Spicinellio mercatoribus Senen. vel eorum certo nuntio de omnibus debitis in quibus tenetur eisdem nobilis memoratus, sicut in litteris inde confectis plenius continetur, ac deinde aliis creditoribus, a quibus ipsam post iter arreptum mutuum recepisse tibi constiterit, de residuo satisfacere facias, cum super hoc receperis litteras nobilis sæpedicti. Si quid autem de dictis vicesima et redditibus superfuerit debitis sic solvendis, illud balivis ejusdem nobilis facias fideliter assignari mittendum sibi per ipsos, et ab eo in Terræ Sanctæ subsidio convertendum, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescens, citra satisfactionem non relaxaturus sententiam quam propter hoc duxeris promulgandam. Sciens nos dilecto filio..... decano Sancti Stephani Trecen. districte per nostras dedisse litteras in præceptis ut si super prædictis neglexeris efficere quod mandamus, ipse te ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat. Nullis litteris obstantibus a Sede Apostolica impetratis, vel etiam impetrandis. Datum Reate, XII kalendas augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Scriptum est super hoc eidem decano.

CCLIX

Ad abbatem et conventum de Nongento.

23 julii 1219.

[Regest., lib. III, ep. 529. Mss. La Porte du Theil.]

Sententiam auditoris in processu inter monasterium Sancti Salvatoris de Castro et capellanum quemdam confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui de Nongento...

Proponentibus vobis olim ecclesiam Sancti Salvatoris de Castro Cetiaci monasterii vestri esse capellam, et propter hoc ipsam sine assensu vestro campanas habere non posse, ac apud idem monasterium ejusdem castri capitularia corpora sepeliri, et capituli personas natalibus diebus ad divina officia et percipienda sacramenta ecclesiastica convenire debere, coram bonæ memoriæ... Remen. archiepiscopo tunc Laudunen. canonico et suis conjudicibus a Sede Apostolica delegatis, super his tam possessorium quam petitorium intentastis; per quos super possessorio in quibusdam articulis sententia promulgata, et testibus super primo capite receptis, cum unus de dictis conjudicibus diem clausisset extremum, propter quod finis fuerat negotii prorogatus; ad petitionem vestram, ad venerabilem fratrem nostrum episcopum, et collegas suos Atrebaten. mandatum Apostolicum emanavit, ut ipsi causam super petitorio audientes, eam fine canonico terminarent; qui post disceptationes multiplices, receptis de consensu partium quibusdam etiam de productis in alio judicio testibus, causæ meritis diligenter inspectis, super prædictis diffinitivam pro vobis sententiam protulerunt. Cumque ab eo Stephanus presbyter ejusdem capellæ interposuisset appellationis objectum, et iidem judices in eum suspensionis et excommunicationis sententias protulissent, ille appellationem suam prosequens, ad..... decanum et suos conjudices Remen. litteras super hoc Apostolicas impetravit, qui in appellationis causa legitime procedentes, prædictam diffinitivam sententiam confirmaverunt. Ab hac quoque dictus presbyter, voce ad nos appellationis emissa, per venerabilem fratrem nostrum... Interamnen. episcopum, tunc pœnitentiarium nostrum, beneficio absolutionis obtento, cantori, et suis conjudicibus Cathalaunen. super iniquitate sententiæ ac ecclesiæ suæ læsione. Quum ea propter defensiones sibi competentes omissas diceret enormiter esse læsam, causam obtinuit ab Apostolica Sede aliis judicibus committi, coram quibus, proponente prædicto presbytero, quod litteræ ad prædictos Atrebaten. judices per veri suppressionem obtentæ fuerunt, quo expresso habitæ non fuissent, non facientes videlicet de priorum processu judicum mentionem, coram quibus jam erat in principali conclusa; propter quod in integrum restitui ad proponendum hoc, quod omiserat ecclesiæ suæ nomine se petebat; iidem Cathalaunen. eum ad id non esse restituendum sententialiter decreverunt, ipsum vobis in expensis decem librarum fortium condemnantes. Qui cum ab eisdem vinculo excommunicationis adstrictus pro eo quod ipsorum sententiæ non parebat, se ab eis fecisset absolvi, de solvendis expensis præstita cautione, tandem ad Apostolicam Sedem accedens coram dilecto filio Raynaldo subdiacono et capellano nostro, quem sibi et Drogon monacho et procuratori vestro concessimus auditorem, postulavit instanter prædictorum Cathalaunen. irritari processum, seque restitui ad hoc quod, omissis testium depositionibus per Atrebaten. judices receptorum, secundum attestationes receptas per judices Laudunen. justitia exhiberetur eidem ; post quorum publicationem dicebat Atrebaten. prædictos ad receptionem testium processisse quod se coram Cathalaunen. petivisse asseruit, nec per eum steterat quominus id obtinuerit infra quadriennium jam elapsum, ac restitui etiam postulans super eo quod in ecclesiæ suæ præjudicium eorumdem Cathalaunen. videbatur sententiæ paruisse; jactabat se, si sibi non competeret restitutio, Atrebaten. et Remen. judicum sententias per ea, quæ coram eis acta fuerant impugnare; sicque ab excommunicationis sententia, quam in se credebat per Cathalaunen. prolatam, postquam iter arripuit ad Sedem Apostolicam veniendi, absolvi petiit ad cautelam. Dictus vero procurator ex adverso respondit, quod restitutio super his presbytero non competebat eidem, cum idem coram Atrebaten. quos voluit testes produxerat, resque sit duabus vicibus judicata, et in appellationis causa commissa decano Remen. et conjudicibus non petierit sibi restitutionis beneficium indulgeri; adjiciens quod restitutum non competerat propter minimum quid omissum, et dictus presbyter prædictorum Cathalaunen. sententiam approbarat, beneficio ab eis absolutionis obtento, cautione præstita de solvendis decem libris in quibus pro expensis vobis fuerat condemnatus; sed nec infra quadriennium beneficium restitutionis obtinuit, immo super hoc contrariam sententiam reportavit. Quare petebat idem procurator presbytero ipsi perpetuum super eo

imponi silentium, et eumdem compesci si vos, aut monasterium vestrum super præmissis ulterius molestaret, ac compelli ad restituendas expensas, de quibus solvendis præstiterat cautionem, et tam illas, quas fecit ad Sedem Apostolicam laborando, quam eas in quibus eum Atrebaten. judices condemnarunt. Quum itaque super his et aliis coram eodem auditore propositis fuisset diutius disputatum, auditor ipse dicto presbytero fecit per dilectum filium Jacobum capellanum et pœnitentiarium nostrum munus absolutionis impendi; et allegationibus et rationibus utriusque partis diligenter inspectis, habito consilio dilectorum filiorum nostrorum G. tituli Sancti Martini et J. tituli Sanctæ Sabinæ presbyterorum cardinalium, aliorumque prudentum, de speciali mandato nostro sententialiter decrevit eumdem presbyterum non esse restituendum ad hujusmodi probationes omissas, nec audiendum ac impugnandum sententias judicum prædictorum, ipsumque condemnans ad solutionem decem librarum fortium in quibus a judicibus Cathalaunen. condemnatus extiterat, eum in aliis petitionibus supradictis absolvit. Nos ergo auditoris prædicti sententiam ratam habentes, eam auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc.; si quis autem, etc. Datum Reate X kal. augusti pontificatus nostri anno tertio.

Super hoc scriptum est conservatoribus... Sancti Quintini in Insula et... Sancti Projecti abbatibus et thesaurario Sancti Quintini Noviomen. diœcesis.

Proponentibus, etc., *usque* absolvit. Nos ergo auditoris prædicti sententiam ratam habentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus eam faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari. Contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, censura simili compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum ut supra.

CCLX

Ad Nicolaum Slawicensem episcopum.

23 julii 1219.

[Suhm., Hist. af Danmark, IX, 753.]

(Vide *Quinta Compilatio*, lib. IV, *De Sponsalibus, de Matrimonio*, cap. II : *Consultationi tuæ*, t. I, col. 336.)

LIBER QUARTUS

DE ANNO QUARTO HONORII III PONTIFICATUS.

In anno quarto Pontificatus, id est vergente in finem anno Christi 1219, crucesignati Damiatam cœperunt. Nam Nilus non more solito, aiunt, terras inundaverat, et famem pertimescebant Sarraceni, qui magnas copias collegerant ut suis in urbe inclusis succurrerent. Insuper sæviit pestis qua miserrime interierunt obsessi, quorum plus quam tria millia corporum in plateis jacentia et insepulta christiani invenerunt. Igitur civitas sic capta est, absque deditione, sine defensione, sine violenta depredatione, sine tumultu, ut soli Filio Dei, inquit Godefridus, victoria tribuatur; et ad triginta millia, vel amplius, ii sunt computandi qui, utriusque sexus, sine ferro et igne, a tempore obsidionis perierunt. Addunt scriptores rerum Orientalium statim Deo excitatas consecratasque ecclesias fuisse et cultum religionis veræ in Damiata floruisse. Sed, postquam hæc orbi christiano litteris crucesignati significaverunt, opem implorantes, non jam anno elapso se senserunt prægravari, et in casu dubio rem totam esse constitutam, promissi succursus si sua spe frustrarentur.

Interea, idem Pontifex Honorius, indefessus stimulator belli adversus Sarracenos in Oriente, Hispaniæ Christi fideles adversus Mauros excitabat. Sed illud fuit memorabile quod Miramomelino Albujacob scripsit, ut sibi, vel potius discipulis Christi talem virum conciliaret. Et nos, ait Honorius, patimur innumeram legis tuæ hominum multitudinem, suos ritus inter christianos populos et christianas regiones exercere. Unde æquum est, in hoc nostræ ac tuæ gentis non sit dispar conditio, hinc inde ad humanitatis solatium. Nam Domini est terra et plenitudo ejus. Quæ verba ma-

nifestant tum pontificis, tum christianæ legis, et morum mansuetudinem.

Iisdem temporibus, eodemque anno, non tam armis quam verbis dimicaturus, S. Franciscus Soldanum adibat, ejus conversionem, et suorum inhians. Sicque, dum orbis christianus in maximis belli laboribus totus erat, tam pontifex quam ille vir sanctus non oblivioni dabant vel humanæ naturæ imprescriptibilia jura, vel inimicorum animas lucrifaciendas, et ad perpetuam in cœlo beatitatem cum electis Dei adducendas. Tantum differt a lege Mahumetica lex Christiana!

Ecclesiam Dei tunc temporis illustrabat etiam S. Dominicus. Cui Pontifex concessit, in Urbe Romana, S. Xysti ecclesiam, dicens : Ligna pomifera in Ecclesiæ paradiso plantare, ac fovere plantata, ex officii debito se teneri. Archiepiscopis, episcopis et præsulibus etiam novum ordinem commendavit. Nam signis et virtutibus potens erat Dominicus.

De sua et propriæ uxoris incoronatione in imperatorem et imperatricem a Romano Pontifice nuntios misit Fredericus, qui rem cum Honorio tractarent. Cujus preces ille benigne exaudivit, sed monuit de voto non differendo in subsidium Terræ Sanctæ. Res enim urgebat. In his negotiationibus totus annus consumptus est.

De rebus Italiæ pauca erunt dicenda. Jura Ecclesiæ Romanæ in Sardinia acerrime vindicavti Honorius. Leges quasdam a Bononiensibus in academicos latas antiquavit, pro egregio suo in rem litterariam studio. Occisores episcopi Aniciensis pœna multavit, et præsertim Bertrandum cui, injunxit ultra mare transire, ibi per septennium moraturus in servitio Terræ Sanctæ, propter facinoris atrocitatem.

Legati Apostolici munus Gregorio Crescentio, tit. S. Theodori diacono card. in Dania, Suecia, Polonia ac Bohemia commisit Pontifex, ad seditiones componendas, cum summa potestate ad pervicaces ad officium revocandos. Et eodem anno, ad Sedem Apostolicam Stephanus Serviæ et Diocliæ, aliarumque provinciarum rex, viros qui conjunctionem cum Romana Ecclesia, suo nomine, redintegrarent. Cum pari gaudio vidit Honorius noster barbaras gentes Livoniæ, Esthoniæ et Prussiæ, fide suscepta, in sinum Ecclesiæ confugientes. Ad quas Evangelii prædicatores destinavit, quum jam albæ essent regiones ad messem, sed operarii pauci et rariores.

Unde, dante Deo misericordiam et benignitatem, hic annus cum pace et quiete fuit, cum successu præsenti armorum, cum spe futuri boni per imperatorem Fredericum crucesignatum ampliandi, cum fructu spirituali in Evangelii dilatatione, et satis faustus, propter humanam conditionem, quæ est militia potius quam perfecta quies, reputandus. Sed jam timebatur ne Damiatam Christiani sub sua ditione possint retinere, et Frederici, quasi subdoli principis, qui votum non strenue persequeretur, et juramentum oblivisceretur, opinio magis ac magis invalescebat. De quibus in anno sequenti.

I

Ad Bertrannum cardinalem Apostolicæ Sedis legatum.

26 julii 1219.

[Manrique, Ann. Cisterc., t. IV. p. 185.]

Mandat ut Jacobum, Aragonum regem, tamquam specialem Ecclesiæ Romanæ filium habeat, neque patiatur ut regnum ejus ab aliquo impugnetur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio B. tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbytero cardinali, Apostolicæ Sedis legato, salutem, et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia pia mater devotos, et humiles filios suos ad pietatis suæ gremium recurrentes, non solum honorat amplexibus, verum etiam maternæ consolationis nutrit uberibus, et exaltat illos præcipue diligentiori studio refovens, quos magis suæ recreationis cernit solatio indigere. Hac itaque consideratione inductus, charissimus in Christo filius noster, Jacobus, Aragonum rex illustris, nobis humiliter supplicavit, ut ipsum sub alarum nostrarum umbra dignaremur protegere, ac protectionis Apostolicæ clypeo communire. Nos igitur præclaræ devotionis, et fidei puritatem, quam ad Deum, et ipsam Ecclesiam progenitores suos habuisse didicimus, recolentes, attendentes quoque quod eumdem regem inclytæ recordationis M. regina Aragonum mater sua, cum terra, et aliis bonis suis eidem ecclesiæ commendavit : agens dudum apud Sedem Apostolicam in extremis nostræ sibi dilectionis præcordia dignum duximus aperire : quatenus qui in

ætate tenera esse dignoscitur constitutus, dum favoris Apostolici brachiis sustentatus fuerit, roborari, adjuvante Domino, valeat, et suscipere incrementum.

Regis itaque supplicationibus inclinati personam regis ejusdem, regnum Aragoniæ, terram Cataloniæ, villam, et terram Montispessulani, cum omnibus aliis bonis suis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, vel in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscepimus. Sane, quia de tua devotione fiduciam gerimus specialem, sic te nobiscum credimus unanimem, ut quos diligimus in Domino diligas, illosque foveas, cum ordo exigat rationis, ut et membra respondeant capiti, et partes conveniant suo toti. Quum igitur inter terras ipsius regis, et terras, quæ in Massiliensi, et Auxitana provinciis, auctoritate Sedis Apostolicæ detinentur, tanquam firmari mandaverimus, et servari, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictum regem parentem mandatis Apostolicis in hac parte, tanquam specialem Ecclesiæ Romanæ filium, habens propensius commendatum, terras suas, præsertim cum infectæ non sint hæretica pravitate, non patiaris ab aliquo impugnari, quin imo manuteneas eum taliter, et defendas, quod idem rex nostram penes te sibi sentiat gratiam efficaciter profuturam, et nos tuæ sollicitudinis, et diligentiæ studium dignis possimus in Domino laudibus commendare. Datum Reate, VII kalendas augusti, pontificatus nostri anno IV.

II

Ad abbatem et conventum monasterii Farfensis.

27 julii 1219.

[Margarini, Bull. Casin., t. II, 250.]

Pro reformatione monasterii Farfensis statuta opportune observanda proponit.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati, et conventui Farfen.

Ad reformationem monasterii vestri tanto sollicitius intendentes, quanto specialius ad Apostolicam Sedem noscitur pertinere, statuta quædam de fratrum nostrorum consilio duximus facienda, per quæ fideliter observata, monasterium ipsum, annuente Domino, et temporalibus commodis, et spiritualibus proficiat incrementis. Statuimus ergo, ut ad curam omnium temporalium interiorum, et exteriorum, unus cellarius assumatur qui decimas, mortuaria, pensiones, seu census, et alia, quæ de agricultura, vel undecumque proveniant, recipiat universa; eique ad solatium adjiciantur duo monachi boni testimonii, et administrationis probatæ. Idemque cellerarius, cum abbatis et sanioris partis conventus consilio, ponat per castra fideles balivos, a quibus frequenter recipiat rationem, et fratribus tam infirmis, quam sanis necessaria in victu provideat, et vestitu. Ab ipso etiam, sacrista, hospitalarius, et alii inferiores officiales domus, recipiant, secundum facultates ecclesiæ, quæ necessaria sunt, ad sua officia exsequenda; reddituri de receptis, et expensis, eidem cellerario, coram abbate, singulis mensibus, rationem. Ipse vero cellerarius in præsentia abbatis et conventus præsentibus his, qui ei deputati fuerint ad solatium, et aliis officialibus domus, necnon balivis castrorum, de omnibus, quæ receperit, expenderit, reddat singulis duobus mensibus rationem. Monachi vero de castris revocentur ad claustrum, et nulli monacho castrum aliquod ulterius committatur. A præposituris etiam, in quibus pauciores quam quatuor monachi commorantur vel cellis, et aliis ecclesiis, ad claustrum nihilominus revocentur. Ipsique prioratus, cellæ, seu ecclesiæ, regantur per clericos sæculares, ab abbate ponendos; cui teneantur vinculo juramenti et ab eo libere revocentur, cum viderit expedire. Porro diœcesani episcopi, vel alii ecclesiastici prælati non plus sibi vindicent in talibus clericis, quam in monachis, qui ponebantur ibidem, si consueverant vindicare. Nec præposituræ ipsæ, cellæ, vel ecclesiæ in beneficio alicui concedantur. Hoc autem statutum de præposituris, usque ad triennium observetur, et ex tunc super his ad Romanum Pontificem recurratur.

Abbas autem, vel cellerarius, seu quicumque officialis, debitum aliquod non contrahat, nec infeudet, nec locet, nec impignoret, nec modo quolibet alienet, de iis quæ inconsulto Romano Pontifice alienari possunt, sine notitia, et approbatione conventus. Si vero cellerarius, vel quivis alius officialis inventus fuerit male administrasse, per abbatem, præsente conventu, a suo removeatur officio, ad nullum de cætero assu-

mendus, sine mandato Sedis Apostolicæ speciali. Abbas igitur ad curam spiritualium, melius, et salubrius solito, se ferventer exerceat, et pro quavis causa claustrum non exeat, nec monachus, sine manifesta, et urgente causa, nec tunc, sine abbatis licentia, vel prioris. Prior autem prout ejus officium exigit, spiritualibus duntaxat intendat. Porro mulieribus infra ambitum monasterii omnino interdicatur ingressus. Equi vero, et omnia peculia monachorum præsentialiter resignentur, in utilitatem monasterii convertenda. Et quicumque de cætero inventus fuerit habere proprium, pœnæ subjaceat regulari, et semel in anno in proprietarios, solemnis excommunicatio proferatur. Ad hæc abbas aut monachus, camiseis, vel linteaminibus lineis, vel aliis vestibus non permissis a regula, non utatur, nec vescatur carnibus, sive in monasterio, sive extra, nisi duntaxat in casibus, qui a regula sunt concessi. Habeatur, nihilominus, cura sollicita de infirmis, cum sit saluti contrarium, et toleratione non dignum, ut infirmitatis prætextu regulares, ad sæculares domos divertant; ridiculum est enim, ut infirmitas claustrales ad sæculum advocet, quæ consuevit inducere sæculares ad claustrum. Quocirca, per Apostolica vobis scripta, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus, quæ præmissa sunt, inviolabiliter observetis. Datum Reate, VI kal. augusti, pontific. anno quarto.

III

Ad Petrum episcopum Sabinensem.

27 julii 1219.

[Ughelli, Italia sacra, t. I, p. 162.]

Significat confirmationem compositionis quæ inter eum et archipresbyterum et canonicos episcopii Sabinensis super ecclesiis in castris de Turri, de S. Polo et de Roca facta est.

Honorius, etc., Petro episcopo Sabinensi.

Ea quæ judicio, vel concordia terminantur, scripturæ convenit commendari, ne a memoria excidant, et in reciduæ quæstionis scrupulum relabantur. Sane cum inter te ex parte una et archipresbyterum, et canonicos episcopii Sabinensis ex altera, super ecclesiis in castris de Turri, et S. Polo, et de Roca, et in tenimentis eorum positis, ac etiam quibusdam aliis, quas iidem canonici tenent in diœcesi Sabinensi, quæstio verteretur, te petente, omnia jura episcopalia in eisdem tandem inter te, et Pandulfum canonicum Sabinensem, qui a prædictis archipresbytero, et canonicis ad componendum super præmissis mandatum speciale receperat. Sicut nobis constitit per publicum instrumentum, talis compositio nobis mediantibus intervenit, quod videlicet archipresbyter, et canonici, qui pro tempore fuerint in ipso episcopio instituendi in ipsis ecclesiis, præsentabunt episcopo Sabinensi, et episcopus successive investiet eos, et institui faciet si quidem in episcopatu fuerit, vel in urbe recipiendo ab eis obedientiæ juramentum, per hoc tenebuntur ea servare, quæ continentur in compositione præsenti. Si vero episcopus fuerit in Campania, vel in aliqua civitate circa urbem, seu in remotioribus locis, archipresbyter, et canonici administrationem in spiritualibus, et temporalibus committent ei, quem duxerint præsentandum, eumque ipsi præsentabunt episcopo, quam cito in episcopatu fuerit, vel in urbe, qui confirmabit et concedet (1) eumdem, et ab eo juxta formam prædictam recipiet juramentum. Quum autem aliquis eorum fuerit corrigendus, archipresbyter, et capitulum corrigent per se ipsos, vel saltem ab episcopo requisiti, quod si non fecerint infra mensem, ex tunc per episcopum corrigetur, et ad eum pertinebit destitutio, quandocumque aliquis clericorum fuerit in causa destitutionis inventus. Promittet etiam præsentatus, quod servabit sententias excommunicationis, et interdicti ab episcopo promulgatas propter contumaciam ejus circa correctionem, prout ad episcopum, secundum quod præmissum est, pertinet, vel circa alia, quæ ipsi episcopo ex hac compositione debentur. Præterea archipresbyter, et canonici pro ecclesiis supradictis, et aliis singulis annis dabunt episcopo procurationem in prandio, et in cœna, ita quod ipsi non plus recipient ab ecclesiis, quam expendent in procuratione ipsi episcopo exhibendam.

Si vero propter procurationem Romani Pontificis, vel ejus legati, expensas facerent ipsi canonici, satisfiat eisdem ab ecclesiis supradictis. Clerici autem ipsarum ecclesiarum, dedicationes ecclesiarum, et consecrationes altarium, ordines, chrisma, oleum sanctum recipiant ab episcopo

(1) Melius *investiet*.

Sabinensi, scilicet cum episcopatus vacaverit, fiat supra hoc quod fieri consuevit. Idem quoque clerici vocati ad synodum venient, nisi præpeditione canonica fuerint præpediti, et pro posse suo synodi statuta servabunt. Archipresbyter autem, et canonici habebunt quartam partem decimationum, et mortuorum sedium in ecclesiis supradictis, et ipse archipresbyter cum aliquibus canonicis, quos secum ducet ad colligendum decimam, et sedium semel in anno procurabitur in eisdem, et tam episcopus, quam archipresbyter, et canonici contenti erunt solummodo supradictis, nec in aliis ipsas ecclesias, vel eorum clericos aggravabunt. Hæc autem omnia circa ecclesias, et clericos supradictorum locorum, scilicet de Turri, et S. Polo et de Roca, et de tenimentis eorum, inconcussa serventur; ad alias vero ecclesias, quas alibi, quam in prædictis locis tenent canonici in diœcesi Sabinensi, et quæ populum habent, etiam si canonici eos in feudum teneant, et ad alias quoque populum non habent, et quas ipsi canonici non tenent in feudum iidem archipresbyter et canonici clericos præsentabunt, ab ipsis ecclesiis quartam decimarum, et mortuariorum, et sedium recepturi et procurabitur unus canonicus, qui ad locum pro illis colligendis accedet. Hisque contenti existent. Cætera vero, institutio scilicet, et destitutio, correctio, excommunicatio, interdictio, et alia episcopalia jura ad episcopum tantummodo pertinebunt, ita tamen quod si clerici ecclesiarum ipsarum subtraherent canonicis aliquid de prædictis, quæ pertinent ad eosdem, liceat illis eos per excommunicationem et interdictum cogere in hoc casu, in aliis vero casibus, non teneantur iidem clerici eorumdem excommunicationem, vel interdictum servare; ubicumque autem in compositione præsenti dicitur aliquid esse a canonicis faciendum, sive in excommunicando, sive interdicendo, seu in corrigendo, ita intelligatur, ut videlicet id fiat ab archipresbytero, et capitulo, vel majori parte ipsius. Ut autem hæc compositio robur obtineat perpetuæ firmitatis, illam auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Reate VI kalend. augusti pontificatus nostri anno quarto.

IV

Ad Henricum de Porta Martis, Fromundum et magistrum, priorem et canonicos Remenses.

27 julii 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 539. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut inducant episcopum Laudunensem ad providendum præbendali beneficio in ecclesia Sancti Johannis in burgo civitatis Clementem diaconum.

Honorius, etc., dilectis filiis Henrico de Porta Martis, Fromundo et magistro priori canonicis Remen. salutem, etc.

Dilectus filius Clemens diaconus in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cum venerabili fratri nostro... Laudunen. episcopo (1) nostris dederimus litteris in mandatis ut eidem ecclesia Sancti Johannis in burgo civitatis Laudunen. provideret in beneficio præbendali... abbate ac priore Sancti Johannis in Vineis, et... decano Suessionen. super hoc sibi monitoribus deputatis, idem tam mandatum nostrum, quam eorumdem monitorum monitiones pertransiens aure surda, id efficere non curavit, licet ad hoc obtulerit se facultas, sicut monitorum ipsorum oblatæ nobis litteræ continebant. Unde nobis humiliter supplicavit ut quod de ipso piæ concepimus executioni mandari misericorditer faceremus. Nolentes igitur quod de ipsius C. provisione incœpimus propter Deum relinquere inexpletum, discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus præfatum episcopum ut eidem juxta prioris mandati nostri tenorem, non obstante indulgentia, quam post mandatum nostrum ipsi episcopo super ejusdem clerici provisione directum, dictus episcopus a nobis ne infra triennum alicui providere per litteras Apostolicas teneatur, dicitur impetrasse, in præfata, vel in aliqua prædictæ civitatis ecclesia quam primo se facultas obtulerit provideat in beneficio præbendali ad ejus donationem spectante, moneatis prudenter, et efficaciter inducatis. Quod si prædictus episcopus, monitione vestra contempta, id non curaverit adimplere, vos ex

(1) L'évêque de Laon dont il est question dans cette lettre était Anselmus de Mauni, le cinquantième dont fassent mention les auteurs de la *Gall. Christ.*, t. IX, col. 537, et qui siégea depuis 1215 jusqu'en 1238.

tunc diacono sæpefato præbendale beneficium in aliqua civitatis ejusdem ecclesia spectante ad devotionem episcopi memorati, nisi infra duos menses post monitionem vestram aliquid rationabile objectum fuerit et probatum quare id non possit vel non debeat adimpleri, conferre auctoritate nostra curetis quantocius obtulerit se facultas, eidem stallum in choro et locum in capitulo assignantes. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, cum hoc obtento beneficium, quod habet, sit resignare paratus. Quod si non omnes, etc. Datum Reate sexto kalendas augusti, pontificatus nostri anno quarto.

V

Ad P. decanum, R. de Remis et G. de Lauduno Remenses canonicos.

31 julii 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 623. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut Petro clerico præbendam, per resignationem magistri Alardi in Rosetensi ecclesia, vacantem, non obstantibus ullis obstaculis, integram faciant assignari.

Honorius, etc., dilectis filiis P. decano R. de Remis et G. de Lauduno canonicis Remen., salutem, etc.

Bonæ memoriæ magistro Alardo quondam Roseten. canonico se ad religionis ordinem transferente, ac resignante libere quam obtinuit in ecclesia Roseten. præbendam, nos eam dilecto filio Petro, clerico germano dilecti filii nostri R. Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis de speciali gratia conferentes... decano et capitulo ecclesiæ prædictæ mandavimus, ut eum in propria persona, vel per nuntium cardinalis ejusdem ad præbendam ipsam apostolica sibi liberalitate collatam, recipientes in canonicum et in fratrem, sibi proventus ex præbenda provenientes eadem et stallum in choro, ac locum in capitulo assignarent, vobis etiam dreximus scripta nostra, ut si prædicti decanus et capitulum mandatum nostrum omitterent adimplere, vos id exsequi curetis, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Si quid præterea ex tunc contra collationem nostram attentaretur de præbenda prædicta irritum decrevimus et inane. Porro quum sicut per litteras vestras accepimus prædictos decanum et capitulum monueritis diligenter ut A. dicti cardinalis nuntium et præfati P. procuratorem ad prædictam præbendam reciperent, juxta nostrarum continentiam litterarum, alioquin coram vobis, certo die illis præfixo, per procuratorem idoneum comparerent, mandato nostro, quantum esset debitum, pariturі. Die statuto P. canonico Roseten. dictorum decani et capituli et eodem A. ejusdem clerici procuratoris in vestra, fili decane, ac G., præsentia constitutis, te, fili R., sufficienter sicut decuit excusato, idem A. se recipi pro præfato clerico ad præbendam eamdem juxta mandatum Apostolicum cum instantia postulavit. Sed proponente procuratore partis alterius quoddam statutum ecclesiæ Roseten. per quod, omissis aliis quæ præsentibus inserenda non duximus, ejus antiquæ, ac integræ præbendæ, concedente, vel decedente persona, vacare contingunt, dividi debent in duas, quæ duabus sunt personis idoneis conferendæ in absentia minus quam antiqui Rosetenses canonici percepturis. Tandem sicut procuratores convenere prædicti, præfatum capitulum eumdem A. loco ejusdem clerici ad præbendam, quæ fuerat prædicti magistri Alardi salvo statuto prædicto, quantum posset de jure, recepit, ita ut capitulum ipsum, nostrum beneplacitum a nobis, quos voluit super hoc consuli, per litteras intimandum eidem clerico dimidios, vel integros ejusdem præbendæ redditus, contento interim dimidiis, assignarent. Unde vos totum nobis processum negotii referentes prædicti statuti tenorem cum quibusdam aliis ad nostram præsentiam, ut, quod expedire videremus nostra circumspectio faceret, transmisistis. Nos autem ad vos remittentes sub bulla nostra eadem interclusa, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus efficere juxta præceptum a nobis mandatum Apostolicum procuretis, ut idem clericus ex collatione nostra, ullis nequaquam obstantibus, præbendam, quæ fuit ejusdem A., integram et ejus proventus integros in præsentia et absentia, sicut antiqui Roseten. canonici suas obtinent, assequatur; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum Viterbii secundo kalendas augusti, pontificatus nostri anno quarto.

VI

Ad Nicolaum Sleswicensem episcopum.

1 august. 1219.

[Suhm, Historie af Danmark, IX, 753.]

Ecclesias in quibus rixantes sanguinem citra lethale vulnus effundunt non oportet denuo dedicare.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Sleswicensi salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesias, in quibus rixantes sanguinem citra lethalis vulneris illationem effundunt, dedicare denuo non oportet, sed eas aspersione reconciliari sufficit aquæ sanctæ. Porro hi, qui excommunicati habentur pro injectione manuum violenta, a te sunt commonendi sollicite ac efficaciter inducendi, ut vel Apostolicam Sedem vel saltem venerabilem fratrem nostrum Lundensem archiepiscoporum metropolitanum suum, cui cum legationis officio potestatem absolvendi tales contulimus, adeant pro absolutionis beneficio postulando.

Datum Reate kalendas aug.

VII

Ad Conradum Ratisponensem et Ulricum Pataviensem episcopos.

2 august. 1219.

[Raynald, Annal. ecclesiast. ad annum 1219, § 27.]

Otacherum Bohemiæ regem et proceres hujus regni ecclesiam Bohemicam opprimentes, redarguit Pontifex et mandat episcopis ut illos censuris ecclesiasticis compescant.

Omittitur pars prior a Raynaldo. — Licet sæpedicto regi tanquam præcellenti, et baronibus tanquam ab eo missis deferre velimus, quia tamen non est deferendum hominibus contra Deum, cui est contra omnes homines deferendum, de fratrum nostrorum consilio, discretioni vestræ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus regem et barones eosdem, ut præfato episcopo de damnis illatis et subtractis fructibus, necnon irrogatis injuriis satisfactionem exhibeant competentem et ab ipsius de cætero molestatione desistant, recepta super his ab ipsis pignoraticia vel fidejussoria cautione, moneatis prudenter et efficaciter inducatis. Quod si monitis vestris, quod absit, infra duos mentes acquiescere forte noluerint, denuntiatiamus eos ex tunc excommunicationis, et totam terram eorum interdicti sententiis subjacere, quas vos renovantes singulis diebus dominicis et festivis, faciatis easdem appellatione remota, tam ab episcopis quam ecclesiarum prælatis, et aliis omnibus vicinis inviolabiliter observari, donec redeuntes ad cor relaxari easdem sententias mereantur. Datum Reate, IV nonas augusti, pontificatus nostri anno quarto.

VIII

Ad Cisterciensem, Clarevallensem, Quinciacencem abbates.

7 august. 1219.

[Bouquet, Receuil des Hist., XIX, 690; Regest., lib. IV, epist. 540.]

Cum Honorii mandato Erardus Brennensis et Philippa, uxor ejus, Communioni fidelium essent reddendi, Blancha, Campaniæ comitissa, noluit id fierit, ni prius illata ipsi damna resarcirent; quod et a Pontifice imperatum fuit.

Honorius episcopus..., dilectis filiis Cisterciensi, Clarevallensi et Quinciacenci abbatibus Cisterciencis ordinis, Lingonensis et Cabilonensis diœcesium, salutem, etc.

In litteris vestris exhibitis perspeximus contineri, quod vos super absolutione nobilis viri Erardi et Philippæ, uxoris ejus, et coadjutorum eorum, interponentes juxta mandatum Apostolicum partes vestras, cum dilecta in Christo filia, nobilis mulier comitissa Campaniæ, absolutioni se opponens eidem, assereret, quod non debebant absolvi, nisi secundum formam ecclesiæ consuetam; vos, visis et auditis ac plenius intellectis rationibus et allegationibus hinc inde propositis, quia vobis constitit per literas Apostolicas præfatum Erardum et uxorem ejus esse pluribus excommunicationum, quibusdam propter contumaciam, quibusdam propter manifestas offensas, sententiis innodatos, de prudentum virorum consilio interlocuti fuistis (1). Quod si jamdicti Erardus et Philippa de parendo mandatis ecclesiæ super contumacia juratoriam præstare voluerint cautionem, ac satisfacere secundum possibilitatem suam de damnis quæ ipsi comitissæ ac ejus filio intulerunt, tunc demum eis absolutionis beneficium impendetis. Nos igitur, interlocutoriam hu-

(1) Videndæ ea de re Honorii litteræ lib. II, epist. CXXII, col. 614, et lib. III, epist. LXXVI, col. 78.

jusmodi approbantes, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus secundum eam invariabiliter procedatis. Datum Reate, VII idus augusti, anno quarto.

IX

Ad Lubecen. Szerinen., et Kaskeburgen. episcopos.

7 augusti 1219.

[Raynald, Annal. ecclesiast. ad annum 1219, § 29.]

Ut archiepiscopum Upsalensem, si regia inunctione Joannem consecrarit, ad dicendam causam Romano Pontifici se sistere jubeant.

Carissimus in Christo filius noster Waldemarus, Danorum rex illustris, nobis insinuare curavit, quod claræ memoriæ Erico, rege Sueciæ, rebus humanis exempto, nobilis vir Jo. regnum Sueciæ ad defuncti filium dicti regis Danorum nepotem jure hæreditario devolvendum, quorumdam magnatum ejusdem regni favore suffultus violenter invasit. Porro idem rex, intellecto, quod venerabiles fratres nostri... archiepiscopus Upsalen. et suffraganei in regem volebant inungere supradictum nobilem, ne id facerent inhibuit appellato, præfatum nepotem suum, et omnia jura ejus Apostolicæ protectioni supponens, ac præfigens terminum, quo per se, vel per nuntios suos in nostra comparerent præsentia, iis qui venirent pro tutela dicti nepotis sui justitia responsuri : sed ipsi legitima ejus appellatione contempta, in regem inunxerunt nobilem antedictum, in præfati nepotis sui pupilli, ac etiam post patris obitum nati gravissimum præjudicium, et contemptum nostrum, ac Sedis Apostolicæ manifestum.

Nolentes igitur hujusmodi præsumptionis excessum sub dissimulatione transire, cum debitæ pœnæ remissio audaciam tribuat delinquendi, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus, inquisita plenius veritate, si vobis constiterit dictos archiepiscopum et episcopos ad inunctionem hujusmodi post appellationem legitimam processisse, auctoritate nostra firmiter injungatis ipsi archiepiscopo et uni episcoporum, qui astiterunt eidem, ut infra competentem terminum sibi præfigendum a vobis, cum procuratoribus aliorum Apostolico conspectui personaliter se præsentent, de hujusmodi satisfacturi contemptu, ipsos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes. Quid autem inde feceritis, nobis per litteras vestras veraciter intimetis. Qod si non omnes, etc. Datum Reate VII idus augusti, pontificatus nostri anno quarto.

X

Ad monasterium de Claustro, ordinis Cisterciensis.

7 aug. 1219.

[Hontheim, Hist. Trevirensis diplomat., t. I, p. 654.]

Illud monasterium tuendum suscipit, omnesque ejus possessiones ac bona, jura ac privilegia confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, abbati monasterii de Claustro ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam agentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur (quod absit) sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus annuimus, et præfatum monasterium de Claustro, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, et B. Benedicti regulam, atque institutionem Cisterciensium fratrum, in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea qnascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata maneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; grangiam in Langescheit cum omnibus pertinentiis suis; terras et sylvas, quas Gerardus et Rozeio et Hesso, filius ejus, vobis pia liberalitate donavit; grangiam de Winterbach cum piscatione sua usque in Mosellam ex utraque parte Kylæ cum omnibus pertinentiis suis; grangiam de Hart, et grangiam de Bellocampo cum omnibus pertinentiis earumdem; terras cum molendinis apud Burch et Maranck, etc., omnes omnium

locorum possessiones, cum omnibus pertinentiis eorumdem, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuariis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis.

Sane laborum vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, de possessionibus habitis ante Concilium generale; sive hortis et virgultis, piscationibus vestris, et denutrimentis animalium vestrorum, aut etiam de novalibus, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos, liberos et absolutos, a sæculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine licentia abbatis sui de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis forte retinere præsumpserit, liceat vobis in ipsos monachos vel conversos regularem sententiam promulgare. Illud districtius inhibentes, ne terras, seu quodlibet beneficium, ecclesiæ vestræ collatum, liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari, absque consensu totius capituli, vel majoris aut sanioris partis ipsius. Si quæ vero donationes aliter, quam dictum est, factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc etiam prohibemus, ne aliquis monachus, sive conversus sub professione vestræ domus adstrictus, sine consensu et licentia abbatis et majoris partis capituli vestri pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra pretium capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem. Quod si facere forte præsumpserit, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere. Licitum præterea sit vobis in causis propriis, quæ sive civilem, sive criminalem, contineant quæstionem, fratrum vestrorum testimoniis uti, ne pro defectu testium, jus vestrum valeat in aliquo deperire. Insuper auctoritate Apostolica inhibemus, ne ullus episcopus vel quælibet alia persona, ad synodos vel conventus forenses vos ire, vel judicio sæculari de vestra propria substantia, vel possessionibus vestris subjacere compellat. Nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos conventus publicos convocandi, venire præsumat; nec regularem abbatis vestri electionem impediat, aut de instituendo vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat.

Si vero episcopus, in cujus parochia domus vestra fundata est, cum humilitate et devotione, qua convenit, requisitus substitutum abbatem benedicere, et alia quæ ad officium episcopale pertinent, vobis conferre renuerit, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios nuntios benedicere, et alia quæ ad officium suum pertinent, exercere, et vobis omnia ab alio episcopo percipere, quæ a vestro fuerint indebite denegata. Illud adjicientes, ut in recipiendis possessionibus, quæ a benedictis, vel benedicendis abbatibus exhibentur, ea sint episcopi forma contenti, quæ ab origine ordinis noscitur instituta; ut scilicet abbates ipsi salvo ordine suo profiteri debeant, et contra statuta ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus vero altarium, vel ecclesiarum, sive pro oleo sancto, vel pro quolibet ecclesiastico sacramento, nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio modo quidquam audeat extorquere, sed hæc omnia gratis vobis episcopus diœcesanus impendat: alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum antistitem adire, gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis, quod postulatur, impendat. Quod si sedes diœcesani episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis; sic tamen, ut in posterum propriis episcopis nullum præjudicium generetur. Quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habetis, si quem episcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium, ordinationes monachorum auctoritate Apostolicæ Sedis recipere valeatis. Porro, si episcopi, vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas inibi constitutas suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam

in mercenarios vestros, pro eo, quod decimas, sicut dictum est, non persolvitis, sive aliqua occasione eorum, quæ ab Apostolica benignitate vobis indulta sunt, sive benefactores vestros pro eo quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate præstiterint, vel ad laborandum adjuverint, in illis diebus, in quibus vos laboratis, et alii feriantur, eamdem sententiam protulerint, ipsam tanquam contra Sedis Apostolicæ indulta prolatam duximus irritandam. Nec litteræ illæ firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis ordinis, et contra tenorem apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari.

Præterea cum commune interdictum terræ fuit, liceat vobis nihilominus in vestro monasterio, exclusis excommunicatis et interdictis, divina officia celebrare. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem capere vel interficere, seu violentiam exercere audeat. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris, Romanis pontificibus ordini vestro concessas, nec non liberalitates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnibus profutura : salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. (*Subsequuntur suscriptiones cardinalium.*)

Datum Reate, per manum Ranerii S. R. E. vicecancellarii, VII idus aug., indict. VII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXIX, pontificatus vero Honorii papæ III anno quarto.

XI

Ad archidiaconum, decanum et cantorem Remenses.

9 august. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 565. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut inquirant veritatem de luminario in ecclesia Sancti Gaucerici Cameracensis.

Honorius, etc. dilectis filiis... archidiacono... decano et... cantori Remen., salutem, etc.

Sua nobis... decanus et capitulum Sancti Gaucerici Cameracen. insinuatione monstrarunt, quod cum... ipsorum ecclesiæ custos teneatur eidem ecclesiæ in luminaribus providere, propter quod et quædam alia in quibus tenetur eidem certi et ampli sunt ei redditus deputati, licet ipse secundum antiquam ejusdem ecclesiæ consuetudinem luminaria ipsa ministret, adeo tamen modica sunt respectu nobilitatis ecclesiæ, ac redditaum, qui ad hoc deputati noscuntur quod et inconvenientia multa ecclesiæ ipsi proveniunt, et in populo scandalum generatur. Cereus namque, quem defert ceroferarius, cum a principio missæ usque ad finem ardere deberet in ferialibus diebus evangelio lecto extinguitur, et in diebus dominicis et festivis novem lectionum simplicibus unus tantum ceroferarius propter luminaris carentiam in ecclesia ipsa ministrat, nec in his diebus procedit, vel comitatur quæ fiunt ibi processiones aliquod luminare, propter cujus defectum festivitates beatæ Virginis illa celebritate quæ fit in eadem ecclesia in aliis præcipuis festivitatibus hactenus caruerunt. Unde postularunt a nobis ut mandaremus per custodem prædictum provideri, quod in eadem ecclesia ab horarum canonicarum et missæ principio usque ad finem ipsarum nullus ardens in ea cereus extinguatur et duo cerei portentur in missis solemnibus in quibus chorus tenere solet,

totidemque præcedant vexillum crucis in processionibus et totidem, ut luceant in vesperis, matutinis et missis, supponantur altari, ac in quatuor beatæ Virginis festivitatibus, sicut in solemnitate Apostolorum Petri et Pauli luminaria ministrentur, cæteris circa eadem luminaria non mutatis. Nos autem qui divini obsequii affectamus augmentum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super his, et cognita plenius veritate, statuatis quod honori et utilitati ecclesiæ supradictæ ac saluti ejusdem custodis videritis expedire, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam appellatione remota, firmiter observari; quod si non omnes, etc. Datum Reate, V idus augusti, pontificatus nostri anno quarto.

XII

Ad episcopum, decanum Trecenses et magistrum Giraudum canonicum Parisiensem.

9 august. 1219.

[Regest. lib. IV, epist. 543. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut de duplici electione quæ in ecclesia Lingonensi, post Guillelmi de Joinville translationem ad Remensem archiepiscopatum facta fuerat inquirant.

Honorius, etc., ven. fratri episcopo et dilectis filiis decano Trecen. et magistro Giraudo canonico Parisiensi, salutem, etc.

Ecclesia Lingonensi vacante ipsius capitulum ad tractandum de pastoris electione convenit, et tandem diversis eorum votis in partes dilectos filios quidam Hugonem archidiaconum, et quidam... thesaurarium ipsius ecclesiæ in episcopum, sicut accepimus, elegerunt. Negotio igitur ad nos per appellationem delato, præfatus archidiaconus cum quibusdam de parte sua, et magister Fridericus canonicus Lingonensis, pro parte altera, propter hoc ad nostram præsentiam accesserunt; sed quia nec decretum eligentium attulere mandatum, efficacem habere nequivimus in negotio memorato processum. Ut ergo ipsi ecclesiæ, quæ gravem posset ex pastoris defectu sustinere jacturam, celerius consulatur discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis ad locum competentem et tutum qui fuerint evocandi, et auditis quæ hinc inde duxerint proponenda, et revocato in irritum si quid circa negotium ipsum post iter arreptum ad Apostolicam Sedem inveneritis attentatum, inquiratis de numero et studiis eligentium ac meritis electorum, et aliis contingentibus diligentissime veritatem ipsumque negotium usque ad festum Nativitatis Dominicæ proximum ad nos remittatis sufficienter instructum, injungentes electis personaliter, eligentes vero per procuratores idoneos, instructo negotio, se nostro conspectui suprascripto termino repræsentent, sententiam recepturi. Testes autem, etc., usque perhibere, super illis duntaxat articulis qui crimina non contingunt. Quod si non omnes, etc., tu, frater episcope, cum eorum altero, etc. Datum Reate, quinto idus augusti, pontific. nostri anno quarto.

XIII

Ad decanum et capitulum Lingonensem.

13 august. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 546. Mss. La Porte du Theil.]

Significat se commisisse informationem de electione episcopi Trecensi episcopo et conjudicibus ejus.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano et capitulo Lingonen. salutem, etc.

Cum causam electionum celebratarum in ecclesia vestra venerabili fratri nostro... Trecen. episcopo et ejus conjudicibus commiserimus, nobis sententia reservata, mandantes, ut electi personaliter et pro partibus, quæ ipsos elegerunt, procuratores idonei nostro se conspectui repræsentent, termino constituto, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus procuratores ipsos, seu alios, prout videritis expedire ita cum potestate omnium transmittatis, ut si electionem utramque contingeret, justitia exigente, cassari, iidem per electionem liberam et canonicam possint vobis pastorem idoneum providere. Datum Reate, idibus augusti, pontificatus nostri anno quarto.

XIV

Ad potestatem et populum Alexandrinos.

22 augusti 1219.

[Ghilini, Annali di Alessandria, p. 27.]

Ut fidelitatem jurent Frederico, Siciliæ regi, in Romanorum imperatorem electo, salvis tamen in omnibus fidelitate et jure Romanæ Ecclesiæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis potestati et populo Alexan-

drinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Devotionis vestræ litteras paterna benignitate recepimus, et earum tenorem prospeximus diligenter, fidelitatem vestram dignis in Domino laudibus commendantes, quod vos tanquam devoti, et fideles Ecclesiæ Romanæ filii committatis. Super eo igitur quod nostræ voluntatis scire beneplacitum petistis, utrum videlicet nos velimus cum aliis amicis vestris de Lombardia carissimo in Christo filio nostro Frederico, illustri regi Siciliæ, in Romanorum imperatorem electo, fidelitatis juramentum præstare, si ab eo fueritis requisiti, vobis duximus præsentibus intimandum. Quod si alii cives Lombardiæ dicto regi fidelitatis præstiterint juramenta, sustinemus ad præsens pro pace vestra. ut si ab eo ipso rege fueritis requisiti, juretis eidem, salvis tamen in omnibus fidelitate, ac jure sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris nostræ.

Datum Recanate, XI kalendas septembris, anno quarto.

XV

Ad potestatem, consiliarios et populum Fulginates.

26 augusti 1219.

[Bullar. Roman., edit. Taur., III, p. 362, n. 38.]

Annullatio quorumdam statutorum a Fulginatibus contra libertatem ecclesiasticam editorum, ac relaxatio sententiarum contra eorumdem fautores.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, potestati, consiliariis, et populo Fulginatibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Romana Ecclesia quæ illius exemplo, a quo magisterium obtinet et primatum, in suis membris offenditur, et contemni eam contigit et sperni, dolorem ex causa conceperat, cum vos membrum ejus videlicet Fulginatensem ecclesiam ignominia, et confusione replentes, statuta quædam in ipsius subversionem feceritis libertatis : et quidem cum esse sciatis eamdem Fulginatensem ecclesiam matrem vestram, a cujus magisterio animas non eximitis corporibus digniores, cavendum vobis fuerat ne ipsam, quæ sacri vos regeneravit unda baptismatis, et cujus estis eruditi doctrina, statutis hominum subderetis. Porro cum sicut fuit vobis desuper inspiratum venerabili fratri nostro Hugoni, Hostiensi episcopo, tunc Apostolicæ Sedis legato, dum per vos reditum faceret, quod super his nostris staretis beneplacitis, et mandatis juramentum exhiberetis, et mille librarum Lucensis monetæ fidejussoriam cautionem solveretis, et tu, fili potestas, nomine Fulginatis civitatis, propter hoc nostro te conspectui præsentasses, nos sub dissimulatione sustinere nolentes, divinis obviantia institutis in subversionem libertatis ecclesiasticæ attentata, per quæ maternum persequimini uterum existentes maledictionis filii et doloris, leges iniquas et statuta illicita præsumpta per vos contra jurisdictionem et honorem Sedis Apostolicæ, ac ecclesiasticam libertatem, cum ad res ecclesiasticas extenderitis manus vestras, de quibus nullis laicis disponendi reperitur attributa facultas, penitus irritamus ea fore cassa, et inania decernentes. Quocirca præsentium vobis auctoritate sub ejusdem debito juramenti, et prædicta pœna districte præcipiendo mandamus, quatenus dicta statuta, quorum transcripta vobis sub bulla nostra transmittimus introclusa, ubicumque scripta fuerint, abradatis, et destruatis omnino, ea nullo tempore observantes, et similia de cætero non facturi, et ad hoc ipsum potestates, et consules vestros, qui pro tempore fuerint, juramenti vinculo astringentes id poni, et contineri semper in vestris constitutionibus faciatis, si quid etiam præter hæc fuerit, quod forsitan occultastis, redundans in libertatis ecclesiasticæ detrimentum, faciatis similiter aboleri; quod si secus, quod non credimus, ageretis præsumendo similia facere, aut prædicta resumere, vel servare, omnes actores, consiliatores, et observatores eorum præter perjurii reatum, et pœnæ periculum superius annotatæ, sententiam excommunicationis incurrant, et cassa, et irrita statuta quæ fecerint, vel resumpserint, habeantur. Quia vero dissolvendæ sunt colligationes impietatis, et fasciculi deprimendi, ne sub velamine præstiti juramenti a vobis de servandis statutis iniquis, quod potius perjurium est dicendum, possitis excusationem assumere in peccatis; nos illud vergens in vestrarum animarum dispendium, relaxantes vos ad ejusdem observantiam juramenti, a quo nuntiamus penitus absolutos, dicimus non teneri. Volumus etiam, auctoritate vobis præsentium sub debito præstiti jura-

menti, et eadem pœna firmiter injungentes, ut infra quindecim dies post reditum tui, fili potestas, pignora quingentarum librarum Lucensis monetæ venerabili fratri nostro Assisinati episcopo, nomine nostro, pro facienda restitutione ablatorum, et satisfactione plenius exhibenda venerabili fratri nostro episcopo, et dilectis filiis clericis, et ecclesiis Fulginatibus, salvis aliis omnibus mandatis Apostolicis, assignetis. Datum Reate, septimo kal. septemb., pontif. nostri anno quarto.

XVI

Ad abbatem Sancti Galgani.

31 august. 1219.

[Manrique, Annal. Cisterc., IV, 106.]

Quum abbas S. Galgani et ejus collegæ inquisitionem in episcopum Fesulanum distulissent, illis ab Honorio graves severæque litteræ datæ sunt quarum apud Manrique legitur fragmentum sequens:

Quatenus infra mensem, post receptionem præsentium in negotio ipso, juxta prioris mandati nostri tenorem, appellatione postposita, procedatis, eumdem episcopum ab omni administrationis officio, sine dilatione suspendentes, donec super hoc duxerimus aliud statuendum; alioquin cum culpa ipsius episcopi negligentiæ vestræ, ne dicamus malitiæ, possit de cætero imputari, ex tunc officio, beneficioque suspensos, nostro vos conspectui præsentetis.

Datum Reate secundo kalendas septembris pontificatus nostri anno quarto.

XVII

Ad nobilem virum Albujacob Miramomelinum.

5 sept. 1219.

[Raynaldi, Ann. Eccles. ad ann. 1219, § 46]

Eum obsecrat ut existentes in terra ejus Christianos uti lege sua libere permittat.

Nobili viro Albujacob Miramomelino, timorem divini nominis et amorem.

Expedire tibi non credimus, et revera non expedit, ut verbis acquiescas eorum, qui tibi forte suadent, ut existentes in terra tua Christianos uti lege sua libere non permittas. Porro Daniel, et tres pueri, ducti a Babylonis rege captivi, permissi sunt a præposito eunuchorum ipsius, quibus voluerint uti cibo et potu, se, sicut proposuerunt in corde suo, nequaquam mensa regia polluentes, licet rex ipse vesci eos cibo et potu regio per dies singulos præcepisset. Legitur etiam quod Pharao rex Ægypti, qui populum Israeliticum afflictionibus multis oppresserat, in luto et latere servire compellens, gravibus et memorabilibus plagis usque ad internecionem filiorum correptus a Domino, pro eo quod indurato corde ipsum abire, ut suum offerret Domino sacrificium, non sinebat, Holophernes autem Judith Hebræam Deum adorare secundum legem ipsius, et Cyrus reædificari per Esdram, unum ex captivis populi Judæorum, templum Domini permiserunt. Et quidem quum nos, quibus Christus licet immeritis, gregem suum et ovile commisit, exercere inter Christianos, patiamur innumeram legis tuæ hominum multitudinem ritus suos, ut in hoc nostræ ac tuæ gentis non sit dispar conditio, sed æquum hinc inde humanitatis solatium, non te decet difficilem, sed potius favorabilem, et facilem inveniri. Sane cum ad nos cura pertineat de commissis nobis a Domino, ubicumque consistant, populis Christianis, ne videamur mercenarii, ad quem non pertinet ovibus, umbram tenere, sed sollicitudinem providi potius exercere pastoris, cum humilitate, qua nil splendidius fulget in cervice Pontificis illius servi, qui de se dixit : « Discite a me quia mitis sum, et humilis corde », magnitudinem tuam attentius obsecramus, quatenus existentes in terra tua homines gentis nostræ uti lege sua libere patiaris. Domini enim est terra, et plenitudo ejus, et universi qui habitant in eadem, habentis in regno hominum potestatem, et illud ad quem voluerit transferentis. Rogamus insuper, ut latorem præsentium dilectum filium Gonsalvum fratrem hospitalis Hierosolymitani, familiarem nostrum, quem carum habemus admodum et acceptum, ad tuam transmissum præsentiam, benigne suscipias, et honeste pertractes. Datum Reate, non. sept. pontificatus nostri anno quarto.

XVIII

Ad abbates de Sconaugia et de Otterbuch, Cisterciensis ordinis, et præpositum de Hegenebe, Mogunt. et Warmac. diœc.

7 sept. 1219.

[Wurdtwein, Nova subs., IV, 104.]

De statu abbatiæ Sancti Albani diœcesis Mogunt.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de Sconaugia et de Otterbuch, abbatibus Cisterciensis ordinis et...

præposito de Hegenebe Mogunt. et Warmac. diœc., salutem et apostolic. benedictionem.

Ex parte conventus Sancti Albani Mogunt. fuit propositum coram nobis, quod quum Christianus quondam monasterii sui monachus, qui violentas manus in Wolver tunc abbatem et quosdam fratres eorum injecit, in abbatem monasterii Sancti Tisbet fuisset assumptus, ipse adversus Gebenon, nunc abbatem eorum cum quibusdam ex prædicti monasterii Sancti Albani monachis conspiravit ad ejus agere depositionem, cui substitui affectabat, intendens; qui etiam de claustro Talen. duas moniales educens corrupit alteram, reliqua naso et labiis mutilata, et quum de infamia, quam ad hujusmodi scelere patrato contraxerat, non posset conventus a loci ordinario se purgare, sponte, abbatiam removeri ab eo sententialiter metuens, resignavit. Cum autem ipse postmodum redire ad eorum monasterium per loci metropolitanum Mogunt., videlicet archiepiscopum, niteretur, ipsi dicentes eum in arctiori loco ponendum, ubi delicta sua in pane doloris et contritionis aqua defleret, et proponentes quod monasterio renuntiasset ipsorum, ex eo quod alterius regimen et gubernationem assumpsisset, necnon ipsius malitiam, quam experti fuerant, metuentes, ne ipsum præfatus archiepiscopus in dictum monasterium reduceret, nostram audientiam appellarunt. Verum quia præfatus monachus nondum ab eorum, super hoc, vexatione quievit, defendi super hoc per Sedem Apostolicam petierunt; nolentes igitur ut, si præmissa veritate nituntur, super receptione ipsius monachi supradictum monasterium aggravetur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, monacho ipsi super hoc perpetuum silentium imponatis; quod si non omnes iis exsequendis interesse potueritis, duo vel alter vestrum ea nihilominus exsequatur. Datum Reate, VII idus septembris, pont. nostri anno quarto.

XIX

Ad Pelagium, Albanensem episcopum in Syria, A. S. legatum.

1 octob. 1219.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 690.]

De pecunia in crucesignatorum auxilium mittenda.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio P. Albanensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteris tuis, in vigilia Assumptionis beatæ Mariæ, animo desiderante receptis, et continentia earumdem, ac iis, quæ venerabilis frater noster Bethleemitanus episcopus nobis proposuit viva voce, cum diligentia intellectis, ferventer ad tuum et Terræ Sanctæ subsidium aspirantes, quædam, quæ penes nos erant de redemptione votorum, et quinque millia marcarum de camera nostra, continuo ad opus hujusmodi segregavimus, et eas tibi per eumdem episcopum destinavimus, et insuper fratri Aymaro, thesaurario domus militiæ Templi Parisiensis, mandavimus sine mora, ut ea quæ habet de vicesima Franciæ, quæ, sicut accepimus, circa summam sexdecim millium marcarum ascendunt, studeat divisim per diversos nuntios prudentes et fideles, sub episcoporum et aliorum testimonio signata, in ipsius Terræ subsidium celeriter destinare, tibi ab ipsis nuntiis in venerabilis fratris nostri patriarchæ ac illustris regis Jerosolymitani, ac magistrorum Hospitalis, et Templi, ac domus Teutonicorum, et principis exercitus Romanorum, præsentia exhibenda, et expendenda per te, cum ipsorum consilio et aliorum quos videris advocandos, prout res videbitur postulare.

Sane in Provinciam aut in Græciam nullos omnino pro subsidio Terræ Sanctæ crucesignatos direximus; sed, cum hæretici Albigenses adversus Ecclesiam deteriores insurgerent Saracenis, et alia parte Constantinopolitano imperio amissionis diceretur periculum imminere, fideles non crucesignatos ad succurrendum per nostras litteras incitavimus, expresso in litteris ipsis, ut nullus crucesignatus ad Terræ Sanctæ subsidium alio convertetur (1) iter suum. Unde, licet multi de novo crucem contra ipsos Albigenses assumpserint, nullos tamen crucesignatos pro sæpedictæ Terræ Sanctæ succursu contra illos credimus processisse. Porro super facto vicesimæ nobis aliter scriberes, si ea, quæ de tuo et aliorum fratrum nostrorum consilio de illa fuere disposita, melius in memoriam revocares. Sicut enim potes recolere, ab ipso nostræ promotionis exordio, ad suspicionem tollendam, fuit de consilio communi provisum,

(1) *Melius* converteret.

ut ipsa vicesima in nostris manibus non veniret, sed colligeretur in unaquaque diœcesi, et per tres aut quatuor crucesignatos illius, probatæ fidei et prudentiæ, ad te sub episcoporum et aliorum testimonio deferretur, per manus tuas cum consilio eorumdem magistrorum Hospitalis, et Templi, ac domus Teutonicorum, distribuenda inter crucesignatos egentes et utiles Terræ Sanctæ, ac specialiter in quorum diœcesi collecta fuisset, unde ad manus nostras nihil inde pervenit : sed pro ea, secundum dictam constitutionem, ferenda frequenter litteras nostras et nuntios destinavimus; quod si, a nobis commoniti, minus bene fecerunt, non est quod nobis debeat imputari.

Madio quoque proximo præterito, quinque millia marcarum, duo millia et quingentas per Templarios, et totidem per Hospitalarios, tibi de camera nostra transmisimus, et sic, illis, et iis quas ad præsens transmittimus, ac illis, quas in navigio Romanorum expendimus, computatis, triginta millia marcarum expendimus in negotio memorato, totumque nobis parum videtur præ magnitudine desiderii quod habemus de felici processu tuo et ipsius exercitus christiani. Noveris autem multitudinem signatorum ad Terræ Sanctæ festinare succursum, ad quem etiam carissimus in Christo filius noster Fredericus illustris, in Romanorum imperatorem electus, speratur, recepta imperii corona, in proximo accessurus. Quare sicut alter Josue, populum Domini corrobora et conforta, sustinens et sustinere docens difficilia quæque animis indefessis, ut opus Dei, quod laudabiliter incœpisti, ipso auctore, valeas feliciter consummare. Datum Reate kal. octobris anno quarto.

XX

Ad Ingerannum de Cociaco.

19 septemb. 1219.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, 690.]

Ingerannum Codiciacensem toparcham, quia in subsidium exercitus fidei orthodoxæ adversus hæreticos Albigenses pluries laboraverat, petentem sub beati Petri et sua protectione suscipit Honorius.

Honorius episcopus... dilecto filio nobili viro Ingeranno de Cociaco, salutem, etc.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et, ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tanquam pia mater, suæ protectionis munimine confovere. Quum igitur, tanquam bonus Christi athleta, signo vivificæ crucis assumpto, in subsidium exercitus fidei orthodoxæ ad expugnandum Albigenses hæreticos jam pluries laboraris, nos, tuis postulationibus inclinati, personam, familiam, terram et omnia bona tua, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, etc.

Datum Reate, XIII kal. octobris, anno quarto.

XXI

Ad Nicolaum episcopum Squillacensem.

26 sept. 1219.

[Ughelli, Italia sacra, t. IX, p. 434.]

Nicolaum de falsa criminatione adulterii, perjurii, simoniæ, etc., sententialiter absolvit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Nicolao episcopo Squillacensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Viso et intellecto inquisitionis processu, per venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Cusentinum, fieri jussimus, super adulterio, perjurio, simonia, homicidio et dilapidatione, quæ per Joannem de Alberonia Squillacensem thesaurarium impingebantur, tibi, frater episcope, quia nihil de prædictis contra personam tuam invenimus sufficienter esse probatum, super præmissis te sententialiter absolventes, eidem Joanni super iis perpetuum silentium duximus imponendum. Nulli ergo, etc... Si quis, etc... Datum Reate VI kalendas octob. pontificatus nostri anno quarto.

XXII

Ad consules et populum Terracinensem.

26 sept. 1219.

[Georgii, Histor. Setiæ, 238.]

Terracinensibus significat Frangipanos, intestinis discordiis inter se dissidentes, pacem iniisse.

Honorius III episcopus, servus servorum Dei, consulibus et populo Terracinensi.

Cum inter dilectos filios nobiles viros Oddonem Frajapani ex parte una, et Petrum Frajapani, et fratres suos ex altera, instigante humani generis inimico, discordia diu non sine utriusque partis detrimento durarit, tandem faciente Domino per ministe-

rium ven. fratris nostri H. Hostiensis episcopi, qui ad reconciliationem eorum de mandato nostro interposuit partes suas, ad compositionem amicabilem devenerunt, in qua inter alia cautum est specialiter, quod si qua partium a compositione resilire præsumpserit, vos parti compositionem servanti efficaciter assistetis, eidem de justitiis, et rationibus partis alterius responsuri. Nos itaque de prædictorum nobilium reconciliatione gaudentes, de quorum dissidio merito dolebamus, Universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, et districte præcipimus, quatenus id, salvo mandato nostro, studeatis fideliter observare.

Datum Reate, VI kalendas octobris, pontificatus nostri anno quarto.

XXIII

Ad Fridericum regem Siciliæ et Romanorum imperatorem electum.

1 oct. 1219.

[Huillard-Bréholles, Hist. dipl., I, I, 691.]

Honorius Papa Friderico, Romanorum regi, scribens conqueritur quod in negotio Terræ Sanctæ se nimis tepidum præbeat, cum jam bis dilationem in arripiendo itinere postulaverit; tertium vero terminum, scilicet in festum Sancti Benedicti sub pœna excommunicationis præfigit, hortaturque vehementer ad auxilium exercitui Christiano ferendum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Friderico illustri, etc.

Litteris excellentiæ regiæ consueta benignitate receptis, exultavit animus noster in Domino quod accessit ad patris desiderium filius, dum et recepta beneficia recognoscis et retributionis te non denegas debitorem. Porro satis prudenter deberes advertere de quo et quali affectu processerit, quod expectamus hactenus et expectabamus [ut] excusationes probabiles, quarum quædam aliquid notæ videbantur habere quibusdam opinionibus se ingerebant hominum et conjecturis, aut per contrarium caute refelleres aut per aptas et authenticas litteras deduceres in notitiam plurimorum. Licet autem apud nos pro magnificentia tua sincere peroret dilectio et promptis effectibus instruat causam tuam, expedit tamen ut non solum nos, sed alii etiam intelligant et cognoscant, quod memor es uberum, quæ tibi pia mater porrexit Ecclesia et memor es dextræ quam Romanus Pontifex tanquam pater sollicitus patenter et potenter in Domino ad auxilium tuæ promotionis extendit. Verumtamen quiddam est quod multorum detractionibus videtur expositum et quod ad aliquos non de facili se explicationibus applicat, videlicet, quod ad Terræ Sanctæ subsidium promptiorem et majorem non exhibes apparatum. Ecce, fili carissime, quod ad hoc duo tibi præfixi sunt termini; sed elapsi, quod adhuc commodum reportarunt? Quas enim naves, quas galeas regia fecit celsitudo parari, quæ vasa usui transfretationis accommoda de sumptibus tuis? Esto, carissime, quod transitus tuus hactenus impedimentis aliquibus fuerit retardatus : clarere tamen debet magnis in apparatibus grandis affectus, si ad opus illud quantum geris in animo possibilitatis ostenderet, et esset efficax promptæ voluntatis interpres. Et quidem in talibus vellemus te præducem, potiusquam sequacem, ut non solum repetitioni dilationis minus insisteres, sed petentibus fortiter obviares. Verum propter impedimenta quæ ad excusationem tua pagina continebat, honori tuo, quantum cum Deo possimus, providere volentes, dilationem tibi concedimus postulatam; festum beati Benedicti proximo futurum terminum præfigentes, quo ad Terræ Sanctæ succursum iter arripias, prosecuturus, quantum sufficientia possibilitatis affuerit, votum tuum. Interim vero non dormias, ne in termino jam tertio laqueum, quod absit, excommunicationis incurras; excitare te ipsum et alios vigilare compelle, ut medio tempore paratis his quæ desiderantur, terra quæ funiculus est, hæreditatis divinæ fructuosum sentiat quem diu speravit tuæ magnitudinis et expectat adventum. Festina, festina, noli diutius expectare, quum, dum est in promotione negotium, minori consummatur auxilio et facilius perficietur in profectu. Festina, rex egregie, ad summi regis obsequium, ut non videaris omnino relictus post terga, sed tanto ferventiori affectione, ac evidentiori utilitate procedas, quanto de majori mora et minori sollicitudine quorumdam judicio notari videris. Festina, si forte Dominus tanti consummationem negotii tuæ gloriæ reservavit, ut in dextera tua perficiat multorum manibus inchoatum. Certe claræ memoriæ avus tuus Fredericus ad id se totis viribus accinxerat. Quid erit si et tu, nepos ejus, illius memoriam non solum præsentibus re-

novabis in nomine, sed etiam ad posteros prorogabis in opere; si quod ille ferventer in affectum assumpserat, tu salubriter perduxeris ad effectum! Nihil ergo in tanto negotio vel tu ipse omittas vel a tuis quantum in te fuerit patiaris omitti, quoniam cum tibi robur ætatis sufficiat et potentia virtutis abundet, si forte, quod absit, tam favorabile negotium neglexeris, quanto majora de manu Domini recepisti, tanto id a te majoris exactionis periculo requiretur. Illud autem latere te nolumus, quod cum redeuntibus multis brevis sit, sicut accepimus, exercitus christianus, nisi succursum habuerit in proximo passagio martii, magnum, quod Deus avertat, posset eis imminere discrimen. Unde non impedias, sed procures, ut si aliqui medio tempore præparentur quod in eodem passagio transeant, quatenus reparetur robur exercitus et restauretur numerus bellatorum; et sic facilius et efficacius sub spe divinæ clementiæ prosequaris incœpta, quæ si quasi a capite oporteret te resumere, sub dubio forsan eventu tam grande negotium, quod usque nunc satis prosperum habuit, Domino dirigente, progressum.

Datum Reate, kalendis octobris, pontificatus nostri anno quarto.

XXIV

Ad universos archiepiscopos per Teutoniam constitutos.

1 octob. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 533. Mss. La Porte du Theil.]

Ut denuncient excommunicatos omnes non solventes votum ultra marinum.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus universis archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis Christi fidelibus per Teutoniam constitutis, salutem, etc.

De secreto Patris in publicum egressus ad servos Rex filius ad ima descendit, ut subditis ad summa pararet ascensum, sub testa nostræ mortalitatis figulus in terris visus, et cum hominibus conversatus. Qui tandem ut nostræ servitutis chirographum suo sanguine cancellaret, et temporali morte legem mortis aboleret æternæ, non declinavit opprobria, non se subtraxit injuriis, sed cruci se obtulit, et cruciatibus ultro dedit. Sane ad Christi mensam invitati Christicolæ si considerare velint apposita, ut et ipsi similia præparent ad crucis obsequium non tantum jam crucesignati, sed et alii se accingent. Porro dolentes referimus, quod nonnulli de imperio non tam minores, quam majores faciem, quam in Jerusalem direxisse videntur, creduntur convertisse post tergum, cum nec prosecuti sint votum emissum, nec prosecutionis exhibuerint hactenus apparatum; unde nos eorum saluti, et Terræ Sanctæ subsidio providere volentes, eis certum terminum duximus præfigendum, quo inciperent reddere Domino vota sua. Sed nec in illo, nec in alio, quem adjecimus paucis exceptis peregrinationis debitum exsolvere promissæ, quin immo nec votivæ solutionis, indicia prætenderunt. Unde in excommunicationis incidere sententiam, quam in tales juxta generalis statuta Concilii jussimus promulgari. Quid autem hi a suis inferioribus gratuitum exigunt, qui majori et factori suo, sponte oblata et omnino jam debita, non exsolvunt. Quia vero multotiens multa bona præstantur invitis et salubrem habet coactis quandocumque profectum, cum excommunicationis sententia medicinalis existat, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus denuntietis generaliter tales excommunicationis vinculo subjacere, illis exceptis, quos justum impedimentum evidenter excusat. Verum quia non vinculum, sed solutionem quærimus animarum, pia deliberatione providimus, ut si qui ex talibus beneficium absolutionis petierint, per vos recepto juramento de stando mandatis ecclesiæ absolvantur, quibus injungi volumus sub debito præstiti juramenti, ut in festo beati Benedicti proximo futuro, vel ante qui voluerint, nisi justo et evidenti fuerint impedimento detenti, iter arripiant in subsidium Terræ Sanctæ, ac, prout Dominus dederit, prosequantur. Illud autem nolumus et vos crucesignatos latere, quod sicut accepimus nisi in passagio martii aliqui transeant ad succursum exercitus Christiani, grave, quos Deus avertat, posset eis imminere discrimen, nec esset facile quasi a capite sub dubio forsan eventu, resumere tantum negotium, quod usque nunc prosperum habuit, Domino dirigente, processum.

Datum Reate, kal. octobris anno quarto.

XXV

Ad episcopum Atrebatensem, et abbates Sancti Vedasti Atrebaten., et de Los Tornacensis diœcesis.

1 octob. 1219.

[Regest., lib. III, epist. 575. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis processus omnes, qui in causa, quæ inter Oddonem canonicum Laudunensem, et Odonem civem Laudunens. de certa pecuniarum summa vertebatur, habiti fuerant, revisendi, et quod justum visum fuerit curam definitive pronuntiandi.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo et dilectis filiis... Sancti Vedasti Atrebaten. et... de Los Cistercien. ordinis abbatibus Tornacen. diœcesis, salutem, etc.

Significante Oddone canonico Laudunen. ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod cum inter ipsum, et Oddonem civem Laudunen. coram... abbate Sancti Johannis in Valencen. et conjudicibus suis super quadam summa pecuniæ auctoritate nostra quæstio verteretur, et iidem contra eum iniquam diffinitivam sententiam promulgassent, ipse ad Apostolicam Sedem appellans... abbati Sancti Vincentii Laudunen. tunc priori Sancti Thomæ Laudunen. diœcesis et conjudicibus suis cognitio ipsius sententiæ a nobis obtinuit delegari, qui eam, exigente justitia, sententialiter infirmarunt. Dictus vero civis causa subterfugii vocem ad nos appellationis emittens ac proponens se ideo appellasse, quod judices acta judicii juxta generalis statuta Concilii non faciebant scribi, humiliter requisiti super hoc quasdam a nobis litteras ad mag. H. canonicum Sancti Gaugerici et ejus conjudices impetravit, a quibus dictus canonicus ex eo sentiens indebite se gravari, quod copiam libelli quem contra eum formaverat pars adversa, eidem facere denegabant, et postmodum, ipso absente, non tamen per contumaciam admittebant testes ab adversa parte productos, nostram audientiam appellavit, sed iidem judices, appellatione hujusmodi vilipensa, prædicti abbatis Sancti Vincentii, et suorum conjudicum processum per iniquam diffinitivam sententiam infirmarunt, in eumdem nihilominus excommunicationis sententiam proferentes. Unde nobis humiliter supplicabat, ut cum ad cautelam per pœnitentiarium nostrum facientes absolvi, tot diversarum sententiarum intricationem explicari per discretos aliquos faceremus. Nos igitur finem imponi litibus cupientes, eidem canonico per pœnitentiarium nostrum ad cautelam beneficio absolutionis impenso, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus de omnium judicum prædictorum processu veritate plenius indagata, illum, quem merito videritis approbandum, faciatis auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, inviolabiliter observari. Testes, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Viterbii, idibus octobris, anno quarto.

XXVI

Ad archipresbyterum Majoris Ecclesiæ et Sancti Laurentii et Sancti Stephani priores Florentinos.

16 octobr. 1219.

[Lami, Eccl. Florent. Mon. III, 1799.]

Honorius III causam delegat archipresbytero Florentino, et S. Laurentii et S. Stephani prioribus Florentinis, inter episcopum Lucanum et abbatem de Serena.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis archipresbytero Majoris Ecclesiæ, et Sancti Laurentii, et Sancti Stephani prioribus, Florentinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster..... Lucanus episcopus transmissa dudum nobis petitione monstravit, quod... abbas et conventus monasterii de Serena super quibusdam possessionibus et rebus aliis injuriabantur eidem, super quibus ad... abbatem de Quiesa nostras in communi forma litteras impetravit, coram quo ejusdem episcopi procurator inter alia petiit omnes terras, homines, possessiones et redditus, quos ipsi abbas et conventus de Serena, vel alius pro eis, a flumine Cecinæ usque ad Elsam, et ab Elsa usque ad Arnum, et maxime in Molliano, Lucagnano, Perignano Padulæ, S. Petro, Monte Culacio, Solatio Forculæ, Alica, Folliano, Monte Castello, Colle Cavelli, Taverlo, et eorum curiis, supra prehenderant, ut dicebat. Dictus vero abbas de Quesa partem præfati monasterii reputans contumacem, procuratorem ipsum pro jam dicto episcopo, in possessionem omnium prædictorum, post appellationem ad nos interpositam, decrevit causa custodiæ inducendum; et licet libellus oblatus quodammodo fuerit confectus super incertis, cum super apprehensa, quæ quasi sub involucro petebantur, in eo specificata non fuerint; et sic dictus abbas super incertis proces-

serit, ipse tamen processum hujusmodi nisus est in certis possessionibus executioni mandare, prout colligitur ex quodam publico instrumento ex parte præfati episcopi exhibito coram nobis, quod sub bulla vobis transmittimus interclusum; et in abbatem nihilominus et conventum prædictos et contradictores quoslibet excommunicationis sententiam promulgavit.

Cum autem dictus abbas, et Urbanus plebanus Sancti Pauli procurator episcopi supradicti, propter hæc in nostra præsentia constituti, procurator ipse processum supradicti abbatis de Quiesa confirmari petiit, et pars altera infirmari. Nos igitur auditis et intellectis, quæ super his fuere proposita coram nobis, de fratrum nostrorum consilio processum ipsum decrevimus irritum et inanem, mandantes omnia, quæ per prædictum abbatem de Quiesa vel occasione processus ipsius contra dictum monasterium attentata esse noscuntur, in illum revocari statum, in quo erant, cum prætextu prædictarum litterarum nostrarum contra dictum monasterium incœpit procedere idem abbas. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod super his decrevimus, faciatis auctoritate nostra sub Apostolica obedientia firmiter observari, contradictores per censuras ecclesiasticas compescentes. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Viterbii XVII kalendas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XXVIII

Ad præpositum et capitulum ecclesiæ SS. Apostolorum Petri et Pauli de Martello.

16 oct. 1219.

[Wirtamberg. UB III, 86, n. 619.]

Ipsos cum omnibus bonis tuendos suscipit.

Honorius, etc., dilectis filiis, præposito et capitulo ecclesiæ sanctorum apostolorum Petri et Pauli de Martello, Præmonstratensis ordinis, Constantiensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ inpræsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de Altbilringen et de Berga decimas, et de Dahtorf curtem ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste et pacifice possidetis, vobis et per vos ipsi ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectinis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii, XVII kal. novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XXIX

Ad priores et collegia ecclesiarum Sancti Marci de Mantua, Sancti Spiritus de Verona, etc.

19 octob. 1219.

[Biancolini, Chiese di Verona, t. III, p. 263.]

Regulam ab Innocentio III roboratam ante Concilium generale ac ad eorum petitionem postmodum correctam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis prioribus, et collegiis ecclesiarum Sancti Marci de Mantua, Sancti Spiritus de Verona, domus religionis de Parma, Sancti Eusebii de Seratico Vicentinæ diœcesis, Sanctæ Perpetuæ de Faventia, et Sanctæ Mariæ de Castro Yzerino, Veronensis diœcesis, et omnibus, qui se in futurum eorum ordini sociare voluerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Piæ postulatio voluntatis affectu debet prosequente compleri, ut et sacræ religionis vigor succrescat uberius, et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus inclinati, regulam, quam deliberatione provida statuentes communiter approbastis, a felicis recordationis Innocentii papa prædecessore nostro vobis fratribus Sancti Marci dudum roboratam ante Concilium generale, ac ad petitionem vestram postmodum de mandato nostro in quibusdam

correctam, vobis et omnibus hanc regulam profiteri volentibus, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Cujus tenorem præsentibus litteris fecimus annotari. Qui talis est.

In nomine Domini nos priores, et fratres ecclesiarum Sancti Martini de Mantua, Sancti Spiritus de Verona, domus religionis de Parma, Sancti Eusebii de Seratico Vicentinæ diœcesis, Sanctæ Perpetuæ de Faventia, et Sanctæ Mariæ de Castro Ycerino Veronensis diœcesis, ad honorem Dei, et Sanctæ Mariæ Virginis et aliorum sanctorum divina gratia adjuvante sequi volumus, secundum infirmitatem nostram, regulam canonicam, prout inferius est descripta : omni tempore, ac ubique silentium ex quo intratur ad complectorium usque mane post solutum capitulum teneatur; in choro autem, dormitorio, claustro, et refectorio, nisi forte a priore pro necessitate, vel utilitate loquendi licentia concedatur, et in refectorio ad mensam præcipue summum servetur silentium. Liceat tamen priori, vel ei, qui ejus locum tenuerit aliquid pro utilitate cum aliquo leviter dicere, et pro ædificatione fratrum aliquid de ipsa, quæ legitur, exponere lectione. Si quid autem opus alicui fratrum, signo petatur, non voce. Officialibus quoque silentii tempore cum gravitate, ac moderatione in locis determinatis pro utilitate, ac necessitate loqui liceat; iter vero agentes, et qui canonici sunt, et etiam qui graviter infirmantur nolumus sub hac silentii lege astringi : ipsi tamen sibi sint lex, et timeant oculos Dei offendere, qui in omni loco contemplantur bonos, et malos. Nullus nostri collegii proprium aliquid habeat, vel se dicat habere : nam præcipue hoc vitium, quod in Anania, et Saphira mortis sententia est punitum, de collegiis nostris ita volumus radicitus amputari, ut nec quicquam alicui dare sine prioris licentia liceat, nec etiam accipere aliquid, quod quam citius commode poterit non exponat voluntati prioris, cum nec propria corpora, nec voluntates etiam habere debeant in propria potestate.

A Pascha vero usque ad exaltationem Sanctæ Crucis secunda, quarta, et sexta feria, canonici et sorores jejunent. Conversi vero tantum in sextis feriis, et solemnibus jejuniis teneantur jejunare. Ad exaltationem autem Sanctæ Crucis, usque ad Pascham, exceptis diebus dominicis, et festivitate omnium sanctorum, et natale Domini, et Epiphania a canonicis, et sororibus continuum jejunium observetur. Conversi tamen qui gravioribus occupantur laboribus, quartis, et sextis feriis, et per totum adventum, et in solemnibus jejuniis teneantur similiter jejunare. Sed cum agunt leviora opera, omni tempore canonici, secundum prioris arbitrium, jejunare similiter teneantur. Liceat tamen priori a Pascha usque ad kalendas octobris relaxare jejunia, cum labor, aut æstatis fervor exegerit dispensationem. Item si ecclesiastica æstate occurreret in secunda, vel quarta feriæ solemnitas, cujus vigilia præcipuum habeat jejunium, poterit prior, vel ejus vicarius illud similiter relaxare. Debilibus quoque, et sanis, et adolescentibus, cum expedire videbitur, rigor jejunii relaxetur. Minutis liceat bis se reficere prima, secunda et tertia die minutionis, nisi sit præcipuus dies jejunii. Qui sunt in itinere constituti de consensu prioris, et eques vadunt, a Pascha usque ad exaltationem Sanctæ Crucis nisi in sexta feria, et in præcipuis jejuniis jejunare minime teneantur. Illis autem qui pedes vadunt omni tempore licitum sit bis se reficere; excepto in adventu, et in præcipuis jejuniis, et dum in aliquo loco moram faciunt in proprio cubiculo si fieri potest sine scandalo sociorum. Infirmi autem, qui talem infirmitatem habent, quæ appetitum non multum turbet, nec eos multum debilitet lectum, et cibaria conventus, et jejunia non immutent. Si quid tamen in talibus videbitur, dispensandum, prior idulgeat moderate. Infirmi autem alii, qui et si... tamen non sunt graviter infirmi, in præcipuis jejuniis, et per totum adventum jejunent.

A carnibus, et sanguine omni tempore abstineant omnes, salva pia dispensatione circa omnino debiles, senes, et graviter ægrotantes, quibus usus, ex infirmitate ac pro reparatione, temporibus quibus licet in infirmitorio concedi poterit a priore. At ubi meliorati fuerint, et convenienter aliis cibis uti poterunt, cessent ad voluntatem prioris, et sciant sibi ulterius licentiam interdictam. Extra civitatem quoque Mantuanam, et ejus districtum usus ovorum, et casei omnibus conceditur, intra vero nequaquam, nisi ex dispensatione, sicut de carnibus est expressum. Verum tamen in omnibus sextis feriis, et præcipuis jejuniis, et tempore adventus

ubique ab ovis, et caseo debeant abstinere. Sane per totum annum duo cocta pulmenta in die sufficiant sive una sit refectio, sive duæ. Si quid forte interdum addendum videbitur, moderate fiat, servata in omnibus parvitate.

Verum tamen omnino infirmos huic mensuræ non restringimus, nec etiam iter agentes... a Pascha usque ad exaltationem Sanctæ Crucis post prandium, vel post sextam quando jejunant clerici, pausent in lectis suis usque ad nonam, quod similiter in claustro suo faciant, et sorores, nisi forte aliquando ex licentia absolvantur. Sufficiat cuilibet clericorum una capa, duæ cottæ lineæ, duo scapularia lanea, duæ tunicæ, unum scapulare pelliceum, sive una pellis, et unum pellicium, sive ruppa. Et nulla vestis pellicea habeantur, nisi ovina, vel agnina mediocriter grossa. Item duæ camisiæ de boracio, ulterius duæ stamineæ, et duo fermoralia, duæ caligæ laneæ, sine pedulibus, et quatuor lineæ, quatuor scuffones, duo subtellares, et duæ bottæ filtratæ, et pilleus laneus, vel pellicus. Sufficiat autem cuilibet unus saccus, et unum capitale de plumis, cujus longitudo non protendatur ultra duos pedes, duo linteamina lanea, coopertorium ovinum, vel lena, seu cultra non curiosa, sed simpliciter operata. Conversi prædictis utantur vestibus, et stramentis lectorum præter cottam et bottas, nisi pro aliqua rationabili causa bottæ concedantur alicui a priore, capellis etiam concessis eisdem.

Cuilibet etiam sororum sufficiant una clamis, duæ bindæ, tres camisiæ de boracio, vel de staminea, una tunica superior cum capucio, et duæ inferiores, unum scapulare lineum, una guarnacia pellicea. Cætera vero indumenta, et lectisternia, et calceamenta sicut clerici habeant præter capam et cottam. Omnia vero indumenta lanea sint naturalis coloris, et non tincta. De colore vero vel grossitudine vestium nullus murmuret vel causetur, nec interdicimus vestimenta de panno lana, linoque contexto. Infirmis vero de infirmitorio jacentibus, et etiam iter agentibus liceat uti linteaminibus lineis, et in lectis plumeis recubare. Liceat etiam priori superaddere aliquid de vestibus, vel lectisternis, seu calceamentis, non juxta curiosorum voluntatem, sed secundum honestatem, vel necessitatem etiam evidentem. In hac tamen, seu qualibet alia dispensatione non attendat prior pravam voluntatem invidentium, sed paterno affectu necessitatibus indigentium condescendat, quia secundum exemplum apostolicum dividendum est omnibus cum timore Domini, prout cuiqne opus erit.

Canonicis vero usi cottis nisi tantum in capitulo, et in choro, in divinis officiis, et et in obsequiis circa alteria exhibendis, vel cum ad opus Dei in ecclesiam vadunt, seu inde redeunt, et in afferendo ignem, et aquam, et alia quæ sunt necessaria divinis officiis. Etsi egrediatur quisquam cum cotta non cogatur ipsam deponere quandiu agitur opus Dei. Cottas subtiles, et sumptuosas nullus faciat, nec ab aliis recipiat, etiam gratis datas. Priori etiam, et aliis omnibus omnino interdicitur, ut nusquam sedeant cotta induti sine capa cum mulieribus ad loquendum.

Cæterum otiositas inimica est animæ, et exercitium moderatum carnis, et spiritus utile est, et plurimum fructuosum; nam avidius per interpellata tempora insistitur lectioni, et orationi, eo quod tædio afficiantur plurimi præ nimia instantia lectionis, et continua cessione. Ordinamus itaque, ut canonici certis temporibus in labore manuum occupentur, certis iterum horis in lectione divina; statuentes insuper, ut postquam de capitulo egressi fuerint usque ad signum horæ tertiæ, aut post nonam usque ad signum horæ vesperæ secundum considerationem prioris in labore manuum occupentur. Plus etiam laborare teneantur ad voluntatem prioris, si necessitas interveniat, vel evidens utilitas hoc exposcat. Ipse autem prior sic omnia temperet, et disponat, quod salus animæ procuretur, et fratres sine murmure agere valeant universa. Si quis vero talis fuerit, ut non velit, aut non possit meditari, vel legere, injungatur ei opus, quod faciens, ut non vacet. Fratribus vero infirmis, vel debilibus, vel etiam delicatis talis opera injungatur, ut non otiosi sint, nec labori violentia opprimantur, quorum consideranda est imbecillitas a priore.

Conversi autem, et sorores laborent, exceptis horis, quibus debeant in divinis officiis occupari, vel corporalibus usibus providere, et exceptis diebus dominicis, et solemnitatibus, in quibus non licebit secun-

dum ordinem laborare. Si quis temporibus illis, et horis, quibus a labore cessaverit in locis, in quibus loqui licet, fabulis, puerilitatibus, vel otiosis sermonibus vacare præsumpserit, taliter puniatur; ut cæteri timorem habeant, et ipse salubriter emendetur. Excipimus autem ab hac lege laboris secundum judicium, et voluntatem prioris illos, qui pro utilitate temporali, vel spirituali, vel alia justa necessitate impediti nequiverint interesse. Excipimus etiam totum conventum, si legitimum impedimentum adesset, vel si deesset congrua materia operandi.

Nullus usurarius, vel suspectus de hæresi, vel detentor alienarum rerum recipiatur ad probationem vel professionem, nec etiam ad sepulturam, nisi congrue satisfecerit juxta posse, vel plenam securitatem satisfaciendi exhibuerit omni dubitatione cessante. Hoc autem de illis intelligatur, de quibus ad notitiam fratrum pervenerit, sollicita prius diligentia, et inquisitione præmissa. Frater aut soror noviter ad religionem veniens sit quatuor aut tribus diebus ut hospes, et exponatur ei qualitas conversationis; prædicentur ei etiam dura, et aspera, per quæ itur ad Deum; et si dixerit se velle stare ibidem, ducatur in capitulum, ut suscipiatur, veniam petens, et misericordiam postulans. Surgens autem, si ad interrogationem prioris dixerit se velle probare ordinem, et usque ad finem vitæ suæ stare ibidem, recipiatur in congregatione, et probetur in omni patientia, et doctrina. Completo autem anno probationis illius, si velle stare dixerit, legantur ei capitula regulæ, quæ servare debet. Quibus perlectis dicatur ei : « Ecce regula, quam tenere debetis; si vis eam servare, ingredere; si non vis, liber discede». Quam si se velle servare dixerit, veniat in capitulo, et sicut prius misericordiam postulet, et coram altari faciat professionem in manibus prioris, promittens stabilitatem, et castitatem, et vivere sine proprio, et obedientiam secundum Deum, et regulam priori, qui pro tempore fuerit, fideliter servandum. Verum tamen si quis habet res temporales, prius de illis testetur, vel ordinet quod sibi placuerit, quam professionem emittat. Nullus autem ad professionem recipiatur nisi fuerit prius annus probationis impletus, aut esset canonicus regularis, vel nisi transacto dimidio anno, de aliqua certa persona pro aliqua evidenti utilitate, visum fuerit priori et capitulo dispensandum.

Nullus tamen prius recipiatur quam, perlecta ei regula, interrogetur secundum ordinem supradictum. Si qua tamen persona minus secura, et idonea collegio videretur, et completo anno probationis ipsius prior cum deliberatione capituli ejus emendationem misericorditer adhuc expectare voluerit, minime prohibemus. Hoc etiam de persona idonea fieri concedimus, non tamen ad ipsius voluntatem, nisi evidens necessitas, et utilitas exposcere videatur. Nullus masculus infra sextum decimum annum, vel femina infra quartum decimum ad probationem aliquatenus assumatur, nisi prius specialiter de licentia duorum priorum nostri ordinis fuerit hoc concessum. Vassalos, vel advocatos, aut vicedominos, vel patronos non habeant, quia plurimi violenter bona ecclesarium diripiunt, et moliuntur cum tyrannide usurpare. Prior vel sacerdos, cui licentiam ipse præstiterit, audiat confessiones sororum ad fenestram ferream, et non alibi nisi esset præsens conventus sororum, vel nisi soror confitens ægrotaret. Si prior vel prædictus sacerdos pro qualibet utilitate vel occasione debebit ingredi portam sororum, sint ad minus tres sorores bonæ opinionis, quæ eum ingredientem, stantem, et exeuntem, semper et ubique videre possint, nisi forte et alii intrarent de licentia prioris pro aliquo necessario labore, vel opere faciendo, vel nisi latronum, aut incendii videretur periculum imminere, vel nisi etiam prior, vel hujusmodi sacerdos intraret locutorium cum aliqua persona, quæ vellet aliquam de sororibus visitare. Si, quod absit, frater vel soror in manifestum carnis contagium lapsus fuerit; etiam, quod Deus avertat, si quis prior fuerit, a domo sine spe reversionis sententialiter a conventu removeatur, nec ultra ei obediatur, nec ab aliquo cum eo participetur, donec manserit in eadem domo. Nulla fæmina prægnans, vel de conceptu suspecta sororum collegio societur, et si sociata fuerit, excludatur. Nullus fratrum, vel sororum doceat aliquam personam in qualibet arte vel artificio, seu etiam in scientia, nisi sit persona quam docere debet, vel nisi sit de collegio seu ordine nostro. Diebus dominicis, et congruis

solemnitatibus sanctorum liceat fratribus prædicare verbum Dei fidelibus advenientibus, et in civitate, vel episcopatu invitati a prælatis ad proponendum verbum Dei, vadant honeste. Prioribus vestri ordinis liceat facere primam tonsuram suis fratribus. Si episcopatus diœsesanus ordinationem celebravit, fratres recipiant ordines ab eo; si autem non celebravit, liceat eis ad quemcumque voluerint episcopum accedere, pro ordinibus recipiendis. Ut autem ea, quæ in præsenti regula conscripta sunt, intemerata, et incorrupta consistant, statuimus, ut præcepta, et correctiones, quæ per visitatores ordinis vestri secundum formam visitationis facta fuerint, tam a priore, quam a fratribus et sororibus universis rata habeantur, et inviolabiliter observentur. Quia vero omnia, quæ necessaria sunt non possunt in descripta regula comprehendi, statuimus, ut ea quæ per priorem, et capitulum rationabiliter ordinata fuerint, a fratribus, et sororibus observentur, salva Sedis Apostolicæ correctione. Hæc autem regula semel in mense coram fratribus perlegatur, et, si oportuerit, exponatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Viterbii, XIV kalendas nov., pontificatus nostri anno quarto.

XXX

Ad præpositum et capitulum Rigensem.

25 oct. 1219.

[Dogiel, Cod. diplom. Poloniæ, V, 6.]

Sententia ejusdem, quod electio episcopi Rigensis, pertineat ad Summum Pontificem, prout et alienatio rerum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei dilectis filiis, præposito, et capitulo Rigensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod, cum inter vos ex parte una, et clerum Rigensem ex altera, super electione Rigensis episcopi, nempe inter vos, et venerabilem fratrem nostrum Rigensem episcopum, super alienationibus faciendis, vel non faciendis sine nostro consensu, coram venerabili fratre nostro Mutinen. episcopo, Apostolicæ Sedis legato quæstio verteretur, idem sententiando decrevit, ut ad nos episcopi electio libere pertineret, et ut episcopus Rigensis sine nostro non posset alienare consensu. Nos igitur ipsius episcopi sententiam approbamus, et auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Laterani VIII, kalendas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XXXI

Ad abbatem et conventum de Fullina.

25 octob. 1219.

[Mittarelli, Ann. Camald. IV, app. 392, ex authentico ejusdem monasterii n. 667.]

Silentium imponitur conventui S. Firmi in causa quam habebat adversus monasterium de Fullina.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis... abbati et conventui monasterii Sanctæ Mariæ de Fullina, Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Petente quondam procuratore monasterii Sancti Firmi Veronen. monasterium vestrum, quod ad illud pleno jure pertinere dicebat, post quasdam ab Apostolica Sede commissiones obtentas, tandem coram bonæ memoriæ P. tituli Sanctæ Pudentiæ presbytero cardinali a felicis recordationis Innocentio papa prædecessore nostro in partibus auditore concesso lis extitit contestata, et cum dictus procurator de suo tunc non posset jure docere, de tuo, fili abbas, et alterius partis procuratoris assensu causa fuit venerabili fratri nostro... episcopo Paduano, et suis conjudicibus ab eodem prædecessore nostro commissa qui visis rationibus, partium monasterium vestrum ab impetitione partis alterius per diffinitivam sententiam absolverunt, eidem parti censum viginti solidorum Veronensium in ipso monasterio, reservantes, cujus cognitione sen-

tentiæ ad Apostolicæ Sedis examen per appellationis delata remedium quibusdam coram nobis ex parte tua, fili abbas, utcumque inciderant, adjectis nos de tuo, et procuratoris alterius partis assensu, dilecto filio... abbati Calven... et suis conjudicibus scripsimus, ut de ipsius confirmatione, vel infirmatione sententiæ ac de adjectis facerent, sicut faciendum de jure viderent, quorum duo ipsorum sententiam judicum, quo ad censum pronunciaverunt nullam, et quoad alia confirmaverunt monasterio vestro partem alteram condemnantes in ducentis quinquaginta libris Veronensibus pro expensis. Horum quoque processum venerabilis frater noster... patriarcha Gradensis, et sui conjudices delegati a nobis, legitimum decreverunt, a quibus ante prolationem sententiæ, pars monasterii Sancti Firmi, quia exceptiones suas non admiserant, appellarunt. Sane te, fili abbas, et procuratore partis adversæ in nostra super his præsentia constitutis, nos auditis et intellectis hinc inde propositis, sententiam ipsius Paduani et suorum conjudicum super eo, quod vestrum monasterium absolverunt ab impetitione monasterii Sancti Firmi, duximus confirmandam super petitione prædicta, eidem monasterio Sancti Firmi perpetuum silentium imponentes.

Nulli ergo omnino hominum, etc. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii VIII kalendas novembris pontificatus nostri anno quarto.

XXXII

Ad capitulum Bremense.

26 oct. 1219.

[Lappenberg, Hamburg. UB, I, 371, n. 426.]

Præcipit ut desistat ecclesiam Livoniensem subjicere jure metropolitico.

Honorius, etc., dilectis filiis Bremensi capitulo, salutem et apostolicam benedictionem.

Grave gerimus et indignum, quod sicut venerabilis frater noster, Livoniensis episcopus, nostris auribus intimavit, vos ecclesiam Livoniensem Bremensi ecclesiæ subjicere jure metropolitico gestientes, ipsum multipliciter aggravatis, non sine gravi Apostolicæ Sedis injuria et contemptu, maxime cum jam super hoc alia vice receperitis scripta nostra. Ut igitur ex iteratione mandati mandantis effectum plenius agnoscentes, vobis ab inobedientiæ vitio caveatis, universitati vestræ per iterata scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus ab ipsis molestatione penitus desistentes, eum super hoc de cætero impetere nullatenus attentetis. Datum Viterbii VII kalendas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XXXIII

Ad episcopum Engolismensem, de Corona, et Sancti Petri Stirpen. abbates.

26 oct. 1219.

[Regest., lib. IV, ep. 582. Mss. La Porte du Theil; Cf. Manrique, Ann. Cistercien. IV, 207.]

Mandat ut ad monasterium de Cella accedant et procedant ad reformationem tam in capite quam in membris.

Honorius, etc., ven. fratri... episcopo Engolismen. et dilectis filiis... de Corona... et Sancti Petri Stirpen. abbatibus, Engolismensis et Lemovicensis diœcesum, salutem, etc.

Significantibus dilectis filiis P. presbytero, G. diacono, et quibusdam aliis canonicis ecclesiæ de Cella fratrum, nos noveritis accepisse quod cum eadem ecclesia in temporalibus abundare et florere in spiritualibus consueverit ab antiquo, nunc per malitiam... abbatis ejusdem ecclesiæ Engolismen. diœc. est collapsa taliter in utrisque, quod nisi per sollicitudinem Sedis Apostolicæ celeriter subveniatur eidem, vix adjiciet ut resurgat. Idem enim abbas bona ipsius dilapidat taliter et consumit quod vix octo fratribus de bonis ipsius potest commode provideri, de quibus viginti fratres et amplius solebant honorifice sustentari, alias multa committens enormia, quæ limam Apostolicæ correctionis exposcunt; monitiones quidem non recipit subditorum. Cum enim dictus presbyter abbatem ipsum caritative moneret ut corrigeret actus suos, cum noluit exaudire, propter quod idem presbyter nostram audientiam appellavit; abbas vero prædictus ex hoc provocatus ad iram manus injecit in eum temere violentas et in ipsum nihilominus excommunicationis sententiam promulgavit. Cum igitur instantia nostra quotidiana sit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad præfatam ecclesiam personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Deum, revocato

in irritum quidquid inveneritis per eumdem abbatem, post appellationem ad nos legitime interpositam, attentatum, ei vice nostra visitationis officium impendatis, corrigendo et reformando ibidem, appellatione remota, tam in capite quam in membris, quæ correctionis et reformationis officio inveneritis indigere. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum Viterbii, VII kalendas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XXVII

Ad episcopum et archipresbyterum Florentinum.

28 octob. 1219.

[Mittarelli, Annales Camald., t. IV, p. 393.]

Mandat ut solemniter renovent excommunicationem in monachos nigros.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo et dilecto filio... archipresbytero Florentino salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii... prior et conventus Camaldulenses, quibus monasterium de Candiculis reformandum commisimus, exposuerunt humiliter coram nobis, quod cum venerabilis frater noster... Ostiensis episcopus olim, dum in partibus illis legationis officio fungeretur, monasterio ipsi officium visitationis impendens, monachos nigros habitantes ibidem, propter multiplices eorum excessus, ab eodem monasterio, quod per ipsorum malitiam fere ad extremam exinanitionem devenerat, duxerit amovendos, in eos, si vel ad idem redirent monasterium, vel monachos Camaldulenses, quibus ille reformandum commisit, in aliquo molestarent, excommunicationis sententiam promulgando; illi, qui percussi dolore ac attriti debuerint accipere disciplinam, tamquam in profundum venerint peccatorum, excommunicatione contempta, in eodem monasterio se ausu temerario receperunt, et ibi divina celebrantes officia, vel potius prophanantes, libros, ornamenta, privilegia et res alias ipsius monasterii exinde per violentiam asportarunt. Ne igitur prædicti monachi de sua pertinacia glorientur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictam excommunicationis sententiam solemniter innovantes, faciatis eamdem tamdiu, appellatione remota, inviolabiliter observari, donec ipsi restituentes taliter asportata, ab ejusdem monasterii molestatione penitus conquiescant. Datum Viterbii V kal. novembris pontificatus nostri anno quarto.

XXVIII

Ad Albertum Livoniensem episcopum.

28 octob. 1219.

[Turgenevius, Russiæ Monim., I, 10, n. 7.]

Sub beati Petri et sua protectione suscipit omnia bona Livoniensis ecclesiæ et præsertim Estoniam, Seloniam et Semigalliam.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Livoniensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur, etc. Eapropter, etc., usque inclinati, personam tuam, nec non ecclesiam tuam Livoniensem, cui Deo auctore, præsides cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteris adipisci, sub beati Petri, etc., usque suscipimus. Specialiter autem Estoniam, Seloniam et Semigalliam terras de novo in Livonia acquisitas, sicut eas juste, et pacifice possides, tibi, et Livoniensi ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ protectionis, et confirmationis infringere. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii, V kalendas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XXIX

Ad Guidonem priorem et conventum Camaldulenses.

28 octob. 1219.

[Mittarelli, Annales Camald., t. IV, p. 394.]

Ut monasterium de Candiculis reformare studeant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... priori et conventui Camaldulensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum venerabilis frater noster... Hostiensis episcopus tunc Apostolicæ Sedis legatus per monasterium de Candiculis transitum faciens, invenisset illud usque adeo in spiritualibus deformatum et in temporalibus diminutum, ut, sicut fuerat aliquando in reverentia et honore, ita multis esset scandalo et honori, vobis illud reformandum commi-

sit, salvo in omnibus jure ac proprietate Romanæ Ecclesiæ, ad quam nullo pertinet mediante. Nos quoque quod factum fuerit per eumdem episcopum approbantes, vobis nostris dedimus litteris in mandatis, ut ad reformationem ipsius monasterii taliter intendere curaretis, quod exinde sollicitudinem vestram possemus merito commendare. Unde quod id laudabiliter sicut audivimus inchoatis, gratum gerentes admodum et acceptum, ut ex iteratione mandati nostrum plenius agnoscatis affectum, universitati vestræ per iterata scripta mandamus, præcipiendo quatenus reformare monasterium ipsum modis omnibus studeatis, ponendo ibidem personas honestas et utiles, sicut videritis expedire, ita quod et Deum propitium, et nos inde vobis reddatis favorabiles et benignos. Datum Viterbii V kalendas novembris pontificatus nostri anno quarto.

XXX

Ad archiepiscopum Dublinensem A. S. legatum.

30 octob. 1219.

[Theiner, Mon. Hibern. et Scotorum, 11, n. 27.]

Archiepiscopo Dublinensi, ut causam electi Laoniensis reassumat et canonice finiat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo Dublinensi, Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Accedens olim ad præsentiam nostram dilectus filius D., archidiaconus Laoniensis ecclesiæ, nobis humiliter intimavit, quod ecclesia ipsa pastore vacante, ipsius capitulum eumdem in episcopum suum canonice ac concorditer elegerunt, super quo etiam exhibuit decretum ejusdem capituli singulorum suscriptionibus roboratum. Verum Waterfordensis, Imilicensis et Limiricensis episcopi Robertum Travers, per potentiam G. de Marisco, justitiarii Hiberniæ, avunculi sui, violenter in ecclesiam ipsam post ejus electionem intrusum, consecrare in ejus episcopum præsumpserunt, post appellationem ad nos legitime interjectam, in excusationem præsumptionis hujusmodi prætendentes, quod electio de dicto Roberto præsumpta per quemdam subdiaconum, quem venerabilis frater noster... Cassellensis archiepiscopus metropolitanus loci, tunc ad Apostolicam Sedem venturus, procuratorem suum reliquerat, fuerat confirmata: unde postulavit instanter, ut præfatum intrusum removentes ab ecclesia memorata, et pro suæ præsumptionis excessu canonice punientes episcopos antedictos, confirmaremus electionem de ipso archidiacono celebratam. Licet autem idem archidiaconus multas nobis litteras exhibuerit, per quas et perhibebatur testimonium de prædictis, et quæ ipsum de vita et scientia commendabant; quia tamen pro parte altera nullus comparuit coram nobis, contra illam absentem et indefensam non duximus taliter procedendum. Volentes tamen ipsi archidiacono in jure suo, quantum ratio permittebat, adesse, causam hujusmodi venerabilibus fratribus nostris... archiepiscopo Tuamensi et..... Cluamfertensi et..... Enechdunensi episcopis duximus committendam, mandantes eisdem, ut vocatis, quos cognoscerent evocandos, et auditis, quæ hinc inde ducerent proponenda, si fides eis fieret de præmissis, humano amore ac mundano timore postpositis, præfatum intrusum ab ipsa ecclesia penitus amoventes, examinarent electionem factam de archidiacono memorato, et si eam invenirent de persona idonea canonice celebratam, illam auctoritate nostra, sublato cujuslibet contractus et appellationis obstaculo, confirmarent, ac facientes ipsum pacifica ejusdem ecclesiæ possessione gaudere, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo, injungerent jam dicto archiepiscopo Cassellensi, ut eidem munus consecrationis impenderet, sicut ad eum noscitur pertinere. Præfatos vero episcopos, si eis constaret, illos post legitimam appellationem intrusum consecrasse prædictum, pro tantæ temeritatis excessu suspensos ad nostram præsentiam destinarent. Nuper autem idem archidiaconus litteras nobis exhibuit judicum prædictorum continentes, quod ipsi, cum de idoneitate personæ et canonica electione præfati archidiaconi, ac manifesta intrusione jam dicti R. eis plenarie constitisset, electionem de ipso archidiacono celebratam, amoto sæpedicto R., de prudentum virorum consilio confirmarunt, mandantes Cassellensi prædicto, ut eumdem in Laoniensem episcopum consecraret. Exhibuit quoque nobis idem archidiaconus litteras ipsius archiepiscopi Cassellensis, quibus fatebatur, se de illo consecrando mandatum

prædictorum judicum recepisse, sed asserens se longum exilium pro libertate Cassellensis ecclesiæ sustinentem in partibus Galliæ commorari, supplicabat, ut electum consecraremus eumdem, vel faceremus ab alio consecrari, aut saltem aliquibus episcoporum Galliæ, ut eidem in ejus consecratione assisterent, mandaremus. Quamvis autem idem archidiaconus id ipsum cum instantia postularet supplicans, ut præfatum R. faceremus ab ipsa ecclesia, cui per violentiam incubat, amoveri, et nos ejus compateremur laboribus et expensis : quia tamen Apostolica Sedes ab hominibus illius gentis falsas litteras exhibentibus aliquando fuit in casu simili circumventa, eumdem ad te, qui veritatem poteris plenius indagare, duximus transmittendum, fraternitati tuæ sub obtestatione divini judicii præcipiendo mandantes, quatenus habens præ oculis solum Deum, de processu supradictorum judicum, vocatis, qui fuerint evocandi, sollicite ac diligenter inquiras, et si inveneris eos legitime processisse, ipsorum processum non differas executioni mandare, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus litteris, si quæ forsitan apparuerint super hoc a Sede Apostolica fallaciter impetratæ, ac injungas Cassellensi prædicto, ut ea, quæ pertinent ad plenam ordinationem Laoniensis ecclesiæ circa ipsum archidiaconum, sicut ad eum pertinet, exsequatur, si poterit per se ipsum, vel saltem super hoc committat aliis in Hibernia vel in Anglia vices suas. Quod si forsan præfatos judices inveneris perperam processisse, audias quæ utraque pars pro electione sua duxerit proponenda, et quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris, etc. Testes autem, etc. Non obstante constitutione de duabus diætis, etc. Sic autem sollicite, diligenter et pure in negotio ipso procedas, ne de indigno favore præfati R. seu aliorum hominum suæ gentis, a quibus Hibernienses se gravissime ac iniquissime opprimi conqueruntur, notabilis reddi possis, cum in hujusmodi (negotio) cessare debet acceptio personarum.

Datum Viterbii, III kalendas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XXXI

Ad Waldemarum regem Danorum.

29 octob. 1219.

[Suhm, Hist. af Danmark, IX, 753.]

Exhortatur regem ut foveat peregrinorum transitum ad subsidium Terræ Sanctæ.

Ut te christianæ fidei sine qua nemo salvatur, sicut decet virum catholicum exhibeas zelatorem, peregrinos, qui se Christi obsequio adscribentes ad subsidium terræ acquisitionis ejus in Livonia se accingunt, non solum non debes aliquatenus retardare, vel quominus illuc fidelium deferantur eleemosynæ impedire ; verum etiam et illis impendere auxilium et favorem et de tuo deberes eleemosynam erogare, cum juxta sapientis edictum nemo debet prohibere alium benefacere, sed si potest quilibet benefacere teneatur. Quia igitur salutem tuam paterno zelamus affectu, serenitatem regiam rogandam duximus et hortandam, quatenus, peregrinos libere illuc transire permittens, eorum transitum, quantum in te fuerit, non patiaris ab aliquibus impediri, ita quod tibi exinde meritum apud Deum et apud homines compares nomen bonum, nosque Celsitudinem tuam possimus merito commendare.

XXXII

Ad electum Suessionensem, et abbatem Sancti Johannis in Vineis et decanum Suessionensem.

29 octob. 1219.

[Mss. de la Bibl. Nat., ancien fonds latin 5992, f. 116]

Ut procedant super variis quæstionibus quas comitissa de Campania et Th. filius ejus habent contra quosdam homines suos et alios.

Honorius, etc., dilectis filiis... electo... et abbati Sancti Johannis in Vineis et decano Suessionensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecta in Christo filia nobilis mulier B. comitissa et dilectus filius nobilis vir, comes Campaniæ, natus ejus, transmissa nobis petitione monstrarunt, quod cum varias quæstiones, quas habent contra quosdam homines suos et alios, bonæ memoriæ Suessionensi episcopo ac vobis, filii abbas et decane, duxerimus committendas, ipso episcopo rebus humanis exempto et te, fili electe, in quæstionibus ipsis ante consecrationem tuam procedere dubitante eodem eorum in præjudicium remanserunt hactenus indecisæ.

Nolentes igitur justitiæ processum impediri occasione hujusmodi vel... discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus in quæstionibus ipsis, appellatione remota, ratione prævia procedatis juxta priorum continentiam litterarum. Quod si non omnes his exsequendis poteritis interesse, tu fili electe, tam ante consecrationem tuam quam et postquam fueris consecratus, ea cum eorum altero exsequaris. Datum Viterbii IV kal. novemb. pontificatus nostri anno quarto.

XXXIII

Ad episcopum Trecensem.

29 octob. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 595. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut servitoribus ecclesiarum suæ diœcesis de bonis ipsarum congruam portionem, juxta statuta Concilii generalis, valeat provide assignare.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Trecen., salutem, etc.

De tua discretione plenam fiduciam in Domino obtinentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut servitoribus ecclesiarum tuæ diœcesis de bonis ipsarum congruam portionem juxta statuta Concilii generalis valeat provide assignare. Contradictores si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Viterbii quarto nonas novembris pontificatus nostri anno quarto.

XXXIV

Ad Philippum regem Francorum.

29 octob. 1219.

[Opp. éd. Migne, III, 985.]

Ne audiat in causa successionis comitatus Campaniæ, donec terminetur causa natalium reginæ Cypri.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo regi Francorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet indubitanter noverimus te promptum esse ad justitiam cunctis petentibus exhibendam, ex abundanti tamen nuper ad preces carissimæ in Christo filiæ nostræ, illustris reginæ Cypri, serenitatem tuam rogavimus et, adhuc quoque rogamus ut eamdem reginam, quum ipsam ad præsentiam tuam venire contigerit, cures benigne recipere et tam eam quam A. nuntium suum in ipsius reginæ justis petitionibus exaudire. Verum sicut dignum est ut exaudiantur a te in petitionibus justis, ita etiam dignum est ut eis audientiam deneges in injustis. Injusta autem esset petitio, si forsan peterent ut super successione comitatus Campaniæ audires ipsius reginæ hoc tempore quæstionem : quia quum ad examen nostrum jam deducta sit causa natalium, quæ ad forum ecclesiasticum pertinet, et ex quo illa dependet, nihil aliud esset, antequam hæc sit terminata, illam incipere quam diversis processibus intricare negotium, et confusione quadam ordinem judicii perturbare. Ideoque serenitatem tuam præmonendam duximus et rogandam, quatenus, si forsan ab ipsa regina seu a præfato nuntio ejus vel alio super hoc fueris requisitus, eorum precibus aures regias, donec jamdicta causa natalium apostolico judicio finem acceperit, non inclines.

Datum Viterbii, IV kalendas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XXXV

Ad Alexandrum episcopum Varadiensem et C. præpositum Albensem.

29 octob. 1219.

[Theiner, Monum. Hungariæ, I, 22, n. 37.]

Ut de statu ecclesiæ de Withuhu referant.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Waradiensi et præposito Albensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Exhibitæ nobis venerabilis fratris nostri... Cenadiensis episcopi litteræ continebant quod quum idem reperisset, in suæ promotionis initio, in Cenadiensi diœcesi ecclesiam de Withuhu nigrorum ordinis monachorum in spiritualibus et temporalibus destitutam, et ejus abbatem et monachos, observantia regulari rejecta, inter alia, quæ committebant, enormia, falsam inter septa ejusdem ecclesiæ fabricare monetam, in quam calices et cruces et vasa tam sacra quam alia redigebant : propter hoc mobilia et immobilia, quæ habere poterant, distrahentes, iidem abbas et monachi de ipsa ecclesia, metuentes præ commissi criminis conscientia indignationem regiam et ejusdem episcopi recesserunt. Quumque dicta remansisset ecclesia et personis vacua et facultatibus spoliata, nec ei tunc posset de personis regularibus commode provideri, sæculares canonicos in eadem instituit, dilectum filium C. ecclesiæ suæ canonicum ipsi præficiens provisorem, ut

per ejus expertam prudentiam recuperari possent ecclesiæ res deperditæ, ac quæ remanserant paucæ reliquiæ servarentur. Cum autem per prædictos canonicos laudabiliter in eadem ecclesia Domino serviatur, habentes nunc C. prædictum præpositum, qui commissum sibi officium utiliter, prout de ipso sperabatur, exercet, ac dictus episcopus præfatis præposito et canonicis de capituli sui assensu quasdam ecclesias et decimas pia liberalitate donarit, nobis in litteris supplicabatur eisdem, ut approbare, quod ab eodem episcopo ex causa de ipsa est factum ecclesia, et confirmari præfatis præposito et canonicis prædictas ecclesias et decimas dignemur. Litteras insuper capituli Cenadiensis accepimus, in quibus, fere omnibus præmissis expositis, nobis fuit, ut ratam haberemus ecclesiæ ordinationem hujusmodi, supplicatum, memoratis episcopo et capitulo in eisdem asseverantibus litteris, ordinationem eamdem absque gravi non posse ipsius ecclesiæ dispendio immutari. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquirentes super iis sollicite veritatem, et an per eosdem præpositum et canonicos eidem ecclesiæ salubriter sit provisum : quod inveneritis per vestras nobis litteras fideliter intimetis. Datum Viterbii, IV kal. novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XXXVI

Ad capitulum et clerum Gneznensem, tam civitatis quam diœcesis.

4 nov. 1219.

[Theiner, Monumenta Poloniæ, I, 10, n. 20.]

Ut archiepiscopum, quem eis præfecerit, accipiant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo et clero Gneznensis civitatis et diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum piæ recordationis Henrico Gneznensi archiepiscopo rebus humanis exempto, vos, filii, capitulum convenissetis in unum, de substitutione pontificis tractaturi, votis vestris divisis in partes, quidam ex vobis... decanum Gneznensem, quidam vero B. Cracoviensem præpositum, elegerant. Procuratoribus ergo partium propter hoc in nostra præsentia constitutis, nos, auditis et intellectis, quæ super electionibus ipsis proponere curaverunt, invenimus neutram ipsarum a majori parte capituli celebratam, et ad ipsas sæcularis potestatis abusum fuisse processum : unde cum contra statuta Concilii generalis fuerit utraque præsumpta, de consilio fratrum nostrorum, utramque pronuntiamus irritam, et electores eligendi hac vice potestate privatos, de misericordia, quæ superexaltat judicio, in hoc benigne agentes cum electoribus et electis, quod ipsos ab aliis pœnis eximimus in ejusdem statuto Concilii denotatis. Satagentes autem tanto celerius et accurratius providere Gneznensi ecclesiæ, quanto id non solum ecclesiæ ipsi, sed etiam toti provinciæ, cujus est ipsa metropolis, noscitur expedire, venerabilem fratrem nostrum Ivonem episcopum, quem clara famæ præconia ejus prædicant scientiæ, nobilitatis, honestatis ac meriti, ut tanto credatur congruere oneri et honori, a regimine Cracoviensis ecclesiæ duximus absolvendum et præficiendum metropoli memoratæ, ut eo pluribus prosint virtutes, quibus est a Domino præditus, quo in majori dignitate fuerit constitutus. Unde præfato episcopo nos districte damus litteris in præceptis ut nulla sollicitudinum aut laborum mole deterritus, nullove blandimento quietis aut temporalis commodi retardatus, ad metropolim transeat antedictam, et ejus regimen de superno auxilio et Apostolicæ Sedis favore fretus confidenter assumens, sic præesse studeat et prodesse, quod fama ejus, quæ hactenus clara fuit, de altiori loco clarius elucescat. Ideoque per Apostolica vobis scripta præcipientes mandamus, quatenus eumdem episcopum recipiatis hilariter, et ei sicut pastori vestro humiliter intendatis. Alioquin sententiam, quam rationabiliter tulerit in rebelles, præcipimus usque ad satisfactionem condignam firmiter observari. Datum Viterbii pridie nonas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XXXVII

Ad decanum Sanctæ Crucis, subdecanum Sancti Aniani Aurelianensis, ac magistrum Giraldum canonico Parisiensi.

4 nov. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 588. Mss. Laporte du Theil.]

Ut numerus canonicorum ecclesiæ Sancti Martini Turonensis infra duos menses compleatur, accurate studeant.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano Sanctæ Crucis,... subdecano Sancti Aniani

Aurelianen., et magistro Giraldo canonico Parisiensi, salutem, etc.

Dilecti filii.... camerarius, et quidam canonici ecclesiæ Sancti Martini Turonen. nobis insinuare curarunt, quod in eorum ecclesia non est canonicorum numerus consuetus licet ejus ad hoc suppetant facultates: deinde quibusdam cognatos suos, revelante sibi carne et sanguine, nitentibus instituere in eadem, aliis non satagentibus ibi personas institui quæ digne possint ibidem Domino famulari, non speratur, quod de ordinanda ipsa ecclesia valeant de facili concordare, præsertim cum a dilectis filiis... abbate de Oratorio et collegis ipsius, quibus super hoc direximus scripta nostra, elapso jam fere biennio, moniti ipsam ecclesiam ordinare neglexerint, nec per ipsum abbatem, ejusque collegas illam fecerint ordinare: quare nobis humiliter supplicarunt, ut super hoc paterna providere sollicitudine dignaremur. Nolentes igitur præfatam ecclesiam per contentiones hujusmodi debito servitorum numero defraudari, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ejusdem ecclesiæ capitulum moneatis, ut infra duos menses post commonitionem vestram, ecclesiam ipsam de personis idoneis coaptato facultatibus numero studeant ordinare. Alioquin vos ex tunc id auctoritate nostra exsequi procuretis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum Viterbii secundo nonas novembris anno quarto.

XXXVIII

Ad primicerium, decanum et capitulum Metenses.

5 nov. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 597. Mss. La Porte du Theil.]

Ut Vivianum scholarem in canonicum et fratrem recipiant.

Honorius, etc., dilectis filiis... primicerio... decano et capitulo Meten., salutem, etc.

Promissionem habens vitæ, quæ nunc est futuræ pietas nos induxit, ut vobis pro dilecto filio Viviano scholari, latore præsentium, scriberemus, rogantes devotionem vestram et per Apostolica vobis scripta mandantes, ut eumdem, ecclesiasticum beneficium non habentem, pro reverentia beati Petri et nostra, reciperetis in ecclesia vestra canonicum, in qua dicitur diu laudabiliter conversatus, quod facere non curastis, a dilectis filiis... de Villariis, et G. Clari Loci abbatibus ac... cantore Treveren., quos monitores concesseramus eidem semel et secundo; licet tempore primæ commonitionis duæ, secundæ vero, tres vacarent in ecclesia memorata præbendæ, nec aliquid scholari objiceretis eidem, sicut nobis temporum monitorum litteræ declararunt, et dilecti filii B. thesaurarius, et P., B., et W. archidiaconi, et H. cancellarius ejusdem ecclesiæ nostris precibus et mandato pacti fuerint obedire gratanter, sicut nobis constitit per litteras eorumdem. Quia igitur de sæpedicto scholari laudabile nobis testimonium perhibetur, quare quod de ipso incœpimus, nolumus relinquere imperfectum, universitati vestræ per iterata scripta præcipiendo mandamus, quatenus, juxta primi mandati nostri tenorem in fratrem et canonicum vestrum recipiatis eumdem, et fraterna tractetis in Domino caritate; alioquin dilectis... Sancti Michaelis, et... Habonimontis abbatibus et... priori Sancti Michaelis Virdunen. et Tullen. diœc. damus nostris litteris in mandatis, ut nisi aliquid canonicum obviet, vos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant. Datum Viterbii, nonis novembris, anno quarto.

Scriptum est super hoc eisdem.

XXXIX

Ad Albertum Livoniensem episcopum.

7 novemb. 1219.

[Turgenevius, Russ. Monim. I, 12, n. 11.]

Episcopus Livoniensis supplicaverat ut Honorius crearet in Livonia novam metropolim; pontifex scribit, cum id nondum expedire ecclesiæ Livoniensi arbitretur, se ejus preces ad præsens nequivisse exaudire.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Livoniensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum personam tuam speciali prærogativa dilectionis et gratiæ complectamur, utpote quod electus a Domino in gentibus prædicator, ministerium tuum honoras inconfusibilem te operarium exhibendo, preces tuas libenter cum possumus exaudimus, sicut et ipse potes perpendere per effectum, et nuntii tui, qui pro tempore ad Sedem Apostolicam accesserunt, perhibere possunt testimonium veritati. Cæterum licet nobis

humiliter supplicaris, multiplicatis intercessionibus plurimorum, ut in Livònia novam creare metropolim dignaremur, nos hujus rei circumstantiis provide circumspectis, id nondum expedire Livoniensi ecclesiæ arbitrantes, preces tuas ad præsens nequivimus exaudire differendo petitionis effectum, ut eum efficacius conferamus tempore opportuno, illius exemplo, qui petitionem matris filiorum Zebedæi minus recte prolatam, tandem ad votum supplicis exaudivit. Ideoque fraternitatem tuam monemus attente, quatenus propter hoc nullatenus movearis, sed de gratia, et favore nostro rursum studeas, quia nos ad profectum tuum, et ecclesiæ Livoniensis opem et operam impendemus, nostris reputantes votis accedere quidquid tibi honoris et gratiæ poterimus elargiri. Datum Viterbii, VII idus novemb., anno quarto.

XL

Ad episcopum Karleolensem, et Norwicensem electum, Apostolicæ Sedis legatum.

9 nov. 1219.

[Theiner, Mon. Hiberniæ, t. XIV, n. 34.]

Judicibus, moneant principem insularum ut a molestando episcopo suæ ditionis desistat.

Honorius episcopus, venerabili fratri episcopo Karleolensi, et dilecto filio P. Norwicensi electo, camerario nostro, Apostolicæ Sedis legato, salutem.

Venerabilis frater noster, episcopus insularum in nostra proposuit præsentia constitutus, quod bonæ memoriæ N. insularum episcopo prædecessore suo viam universæ carnis ingresso, dilecti filii conventus de Furnesio, ad quos insularum episcopi electio pertinebat, convenientes in unum, invocata Spiritus Sancti gratia, ipsum in episcopum insularum unanimiter et concorditer elegerunt, ac ipsum cum decreto electionis confirmandum ad venerabilem fratrem nostrum Dublinensem archiepiscopum metropolitanum loci, legatum Sedis Apostolicæ, transmiserunt, per suas litteras humiliter supplicantes, ut, electione confirmata ipsius, impenderet munus consecrationis eidem; qui examinata electione pariter et electo, cum ei de idoneitate personæ ipsius ac electione canonica constitisset, electionem confirmavit eamdem, sibi munus consecrationis impendens, ac eum ad episcopatum insularum cum litteris destinavit, dans abbatibus, prioribus, archidiaconis et universo clero insulanæ diœcesis in mandatis, ut eum tamquam patrem et pastorem animarum suarum recipientes humiliter et devote, honorem ac obedientiam sibi debitam exhiberent. Princeps autem terræ ipsius, et quidam alii diœcesis insulanæ non attendentes, quod laicis quamvis religiosis super ecclesiis vel personis ecclesiasticis nulla est attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, ut eum impedirent, quominus possessionem ipsius episcopatus obtinere valeret, ne ipsum reciperent, clero prohibuere præfato; alias sibi et ecclesiæ suæ damna gravia et injurias irrogandi. Quia vero fratrum et coepiscoporum nostrorum gravamen indebitum conniventibus oculis pertransire nec volumus, nec debemus, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum principem et alios, ut a præsumptione hujusmodi desistentes, nullatenus per se vel per alios impediant, quominus prædictus episcopus episcopatus sui pacifica valeat possessione gaudere, competenter satisfacientes sibi de damnis et injuriis irrogatis, moneatis prudenter et efficaciter inducatis, et si necesse fuerit, ipsos ad hoc per ecclesiasticam censuram, appellatione remota, sicut justum fuerit, compellatis. Non obstante constitutione Concilii generalis, etc.

Datum Viterbii, V idus novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XLI

Ad archiepiscopum Cantuariensem et episcopum Rossensem.

11 nov. 1219.

[Theiner, Vetera Mon. Hibernorum et Scotorum, p. 12, n. 28.]

Judicibus, ut episcopum Waterfordensem ab usurpata ecclesia Lismorensi amoveant, eamque legitime electo restituant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus cardinali, et... episcopo Rossensi, et dilecto filio P. Norwicensi electo, camerario nostro, Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster R. Lismorensis episcopus in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cum bonæ memoriæ Thomas Lismorensi episcopo viam universæ

carnis ingresso, clerici ecclesiæ Lismorensis, ad quos electio de jure spectabat, a carissimo in Christo filio nostro... rege Anglorum illustri obtenta licentia eligendi, eum canonice ac concorditer elegissent, ac postmodum prædicto rege ipsius electioni assensum benivolum impendente, venerabilis frater noster... Cassellensis archiepiscopus, metropolitanus loci, qui tunc in Anglia pro ecclesiæ suæ negotiis morabatur, ipsius electionem confirmans, munus consecrationis impendisset eidem, idem episcopus cum prædictorum regis et archiepiscopi litteris ad suum episcopatum revertens, ipsius plenam possessionem tam in temporalibus quam in spiritualibus est adeptus. Demum vero præfato episcopo episcopatus sui plena possessione gaudente, R. Waterfordensis episcopus, contra quem bonæ memoriæ I. papa prædecessor noster, tempore generalis Concilii, cum sibi per archiepiscoporum et episcoporum Hiberniæ assertionem constaret, episcopatum ipsum ab eodem episcopo per violentiam detineri, diffinitivam sententiam promulgarat, eidem super hoc perpetuum silentium imponendo, de sententia ipsa non faciens mentionem, a prædicto rege per subreptionem, super restitutione sibi facienda, eo prætextu videlicet quod episcopatum ipsum prius detinuerat occupatum, quasdam litteras impetravit, quarum occasione idem Waterfordensis prædictum Lismorensem episcopatu suo per laicalem fecit potentiam, prætermisso juris ordine, spoliari, et contra jamdicti prædecessoris nostri sententiam temere veniens, episcopatum ipsum detinet occupatum, non sine Apostolicæ Sedis injuria et Lismorensis ecclesiæ læsione. Quia vero tantæ temeritatis excessum relinquere nolumus incorrectum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, remoto a præfato episcopatu quolibet illicito detentore, ipsum cum fructibus inde perceptis restituatis præfato episcopo Lismorensi, et faciatis eumdem pacifica ipsius possessione gaudere, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Et ne sæpefatus Waterfordensis de præsumptione hujusmodi commodum se gaudeat reportasse, ipsi auctoritate Apostolica injungatis, ut infra certum tempus præfigendum a vobis nostro se conspectui repræsentet, super præmissis omnibus in nostra præsentia responsurus. Testes autem, etc. Non obstante constitutione Concilii generalis, qua cavetur, ne quis ultra duas diætas extra suam diœcesim ad judicium trahi possit. Quod si non omnes, etc.

Datum Viterbii, III idus novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XLII

Ad archiepiscopos, episcopos et universos ecclesiarum prælatos.

11 nov. 1219.

[Liljegren, Svenskt dipl. I, 198, n. 178.]

Mandat ut fratres ordinis Prædicatorum benevole recipiant; illos autem qui propter lucrum prædicent, puniant.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis universis ecclesiarum prælatis ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum qui receperit prophetam, in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiat, universitati vestræ viros prædicatores ecclesiæ sanctæ pernecessarios, pro eo quod ministrant pabulum verbi Dei, merito commendamus, ut ex hoc mercedem vobis incomparabilem comparetis. Hinc est quod dilectos filios fratres ordinis Prædicatorum, qui paupertatem et vitam regularem professi verbi Dei sunt evangelizationi totaliter deputati, vobis duximus propensius commendandos. Universitatem vestram rogantes et hortantes attentius ac per Apostolica scripta vobis mandantes, quatenus quum ad partes vestras accesserint ad prædicandi officium, ad quod deputati sunt, caritative recipiatis eosdem, et populos vobis commissos ut ex ore ipsorum verbi Dei semen devote suscipiant, sedulo admonentes, pro divina et nostra reverentia in suis eis necessitatibus fideliter assistatis, quatenus ad prædicta suscipienda vestris exhortationibus populi præparati tanquam bona et fructifera terra, pro vitiorum tribulis incipiant semen germinare virtutum et dicti fratres per cooperationem vestram suscepti ministerii cursum felicius consumando, optatum reportent sui laboris fructum et finem, salutem videlicet animarum. Quia vero sæpe vitia sub specie virtutum occulte subintrant et angelus Satanæ in angelum lucis plerumque simulate se transformat, præsentium vobis auctoritate

mandamus, quatenus, si qui de prædictorum fratrum ordine se dicentes, in partibus vestris prædicaverint ad quæstum pecuniarum se convertendo, per quod religionem eorum, qui paupertatem professi sunt, contingeret infamari, vos tanquam falsarios capiatis et condemnetis eosdem. Datum Viterbii III id. novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XLIII

Ad abbatem et priorem Sancti Victoris et ad magistrum G. Peurel archidiaconum Parisiensem.

11 nov. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 600. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut in causa, quæ inter archiepiscopum Turonensem et Cenomanensem episcopum super jurisdictione ecclesiastica vertebatur, nihil statuatur, donec pontifex ipse archiepiscopum Turonensem ad Sedem Apostolicam audierit.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et... priori S. Victoris et magistro G. Peurel archid. Parisien., salutem, etc.

Venerabili fratre nostro Cenomanensi episcopo in nostra olim præsentia conquerente quod cum venerabilis frater noster... Turonen. archiepiscopus metropolitanus in ejus diœcesi officium visitationis impendit, et, in ejus et ecclesiæ suæ præjudicium, cognoscit de causis omnibus, quæ ad eum per simplicem querimoniam deferuntur et etiam eas committit aliis cognoscendas, ac passim recipit appellationes, quæ a subditis suis interponuntur ad ipsum, eodem episcopo prætermisso; nos examini vestro in communi forma commisimus hujusmodi quæstionem. Nuper autem idem archiepiscopus proposuit coram nobis antiquam esse archiepiscoporum Turonen. consuetudinem et hactenus observatam in subjectis sibi diœcesibus, dum illas visitant, audire causas earumdem diœcesum delatas ad eos per simplicem querimoniam, ac etiam audiendas aliis delegare, illis duntaxat exceptis, quæ ad Apostolicum sunt referendæ judicium, et quæ sunt coram ipsarum episcopis, vel eorum officialibus inchoatæ ac appellationes recipere ad ipsos, prætermissis locorum episcopis, interjectas, ubicumque sint in sua provincia constituti : denique consuetudinem, non solum in Turonen. provincia, verum etiam in aliis provinciis Galliarum asseruit obtinere, venerabilium fratrum nostrorum Senonen., Rothomagen. et Bituricen. archiepiscoporum litteris nobis exhibitis, quibus jamdictam consuetudinem in suis obtinere provinciis asseverant; quare idem Turonen. nobis humiliter supplicavit, ut quum præfatus episcopus in impetratione litterarum nostrarum, mentionem non faciens de consuetudine sæpedicta eam veritatem suppresserit, qua expressa illas nullatenus impetrasset, eas dignaremur, præsertim cum res adhuc credatur integra, revocare, ne idem archiepiscopus causam, quæ communiter tangit omnes archiepiscopos Galliarum, et ex qua inter ipsos, et eorum suffraganeos grave possit scandalum generari, primus et solus defendere compellatur. Nos igitur attendentes quod procul dubio nostræ intentionis non extitit per commissionem hujusmodi concutere totam ecclesiam Gallicanam, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus revocantes si quid forte fecistis occasione hujusmodi litterarum, postquam idem archiepiscopus iter arripuit ad Sedem Apostolicam veniendi, dicto negotio supersedere curetis, donec nos quæ de præfata consuetudine præmissa sunt plenius indagatis, provideamus super hoc, quod viderimus providendum, ita quod per præsens mandatum neutri parti præjudicium generetur. Datum Viterbii III idus novembris pontificatus nostri anno quarto.

XLIV

Ad Angelum patriarcham Gradensem.

12 nov. 1219.

[Theiner, Vet. mon. Slav. merid., I, 71, n. 80.]

Concedit ut jure suo, in confirmando et consecrando electo Jadertino et in aliis, utatur.

Honorius, etc., venerabili patriarchæ Gradensi, salutem, etc.

Olim te postulante a nobis, ut confirmandi et consecrandi Jadertinum electum, pallii nobis traditione servata, prout in Gradensis ecclesiæ privilegiis asseris contineri, licentiam tibi concedere dignaremur; nos id facere recusantes, ne si forte aliter esset, exinde possit ecclesiæ Jadertinæ præjudicium generari; per nostras litteras dedimus ipsius ecclesiæ archidiacono et capitulo in mandatis, ut nisi forte consentire vellent te, suo impendere munus confirmationis et consecrationis electo, in festo beati Martini proximo procuratores idoneos ad nostram præsentiam

mitterent, ut cognitis negotii meritis procedamus in ipso, prout esset secundum justitiam procedendum, tibi eumdem terminum præfigentes. Nuper autem ipsorum ac tuo procuratoribus propter hoc in nostra præsentia constitutis, ex dictis ejusdem procuratoris ipsorum, et etiam ex eorum litteris et quodam publico instrumento perpendimus, quod affectant, ut electus confirmationem et consecrationem a te recipiat sæpedictus, unde non opponimus nos, quin in his et aliis utare libere jure tuo. Datum Viterbii II idus novembris, pontificatus nostri anno quarto.

In eumdem modum scriptum est archidiacono et capitulo Jadertinis.

XLV

Ad episcopum Trecensem.

12 novemb. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 599. Mss. La Porte du Theil.]

Sententiam, quam abbas Sanctæ Columbæ et officialis Senonensis in favorem ejus adversus abbatem et conventum Pontiniacensem tulerant, auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Trecen., salutem, etc.

Ea quæ judicio vel concordia terminantur, etc., usque communiri. Eapropter, etc., usque assensu diffinitivam sententiam, quam... abbas Sanctæ Columbæ et magister Philippus officialis Senonensis, tertio eorum conjudice scilicet... decano Autissiodoren. legitime suam absentiam excusante, pro te contra dilectos filios... abbatem et conventum Pontiniacensem, Cisterciensis ordinis, super usuagio, quod petebant in nemoribus episcopi, tam ad pastum pecorum, et constructionem domorum, quam alia necessaria, ex delegatione Apostolica cognitis causæ meritis, promulgarant, prout in eorum litteris plenius continetur, sicut est justa, nec legitima provocatione suspensa, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus; ad majorem autem rei evidentiam tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum duximus inserendum, qui est talis :

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Nos Helias abbas Sanctæ Columbæ et magister Philippus officialis Senonensis, omnibus præsentes litteras inspecturis, in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod nos duo, tertio conjudice nostro scilicet W. decano Autissiodorensi absentiam suam legitime excusante, observata forma mandati Apostolici nobis præscripta, venerabilem patrem Trecen. episcopum Herveum per sententiam diffinitivam absolvimus ab impetitione abbatis, et conventus Pontiniacensis super usuagio, quod iidem abbas et conventus petebant in nemoribus dicti episcopi, tam ad pastum pecorum, et ædificationem domorum suarum, quam ad alia necessaria, in cujus rei memoriam et testimonium, præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Actum Senonis publice anno gratiæ 1212 mense octobris. »

Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis infringere; si quis autem, etc. Datum Viterbii secundo idus novemb. anno quarto.

XLVI

Ad Sancti Victoris Parisiensis et Hermenarum abbates et ad cancellarium Parisiensem.

12 novemb. 1219.

[Bibl. Nat., Mss., fonds latin, n. 5993, fol. 118-119.]

Post sententiam prioris Sanctæ Genovefæ et magistri Giraudi adversus episcopum Trecensem, idem episcopus ad Sedem Apostolicam de illa sententia appellaverat; ideo Sancti Victoris Parisiensis, Hermenarum abbatibus et cancellario Parisiensi mandat Honorius ut litem ad finem debitum deducant.

Honorius, etc., dilectis filiis Sancti Victoris Parisiensis... Hermenarum Parisiensis diœcesis abbatibus, cancellario Parisiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster Trecensis episcopus in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cum nobilis mulier B... comitissa Campaniæ, suo nomine, ipsum coram dilectis filiis... abbate et... priore Sanctæ Genovefæ et magistro Giraudo, Parisiensi canonico, auctoritate litterarum nostrarum super eo quod, sicut dicebat eadem comitissa, prædictus episcopus homines ejus, qui dicuntur de corpore, ordinavit inclytos et ea inconsulta et invita homines religionem faciebat intrare, necnon laicos qui ad jurisdictionem pertinent comitissæ, ad instantiam laicorum pertinentium ad jurisdictionem episcopi propria auctoritate citabat et rebus aliis, traxisset in causam; idem episcopus contra illis excepit quod non tenebatur auctoritate litterarum ipsarum hujusmodi

prædictæ comitissæ pertinentibus respondere, quum ea quæ supra nomine suo et non nomine filii sui petebat jus respicerent comitatus, quem ipsa non suo nomine sed filii sui tenet, utpote qui de comitatu ipso per regem fuerat investitus prout erat notorium ut idem episcopus paratus erat ex abundantia probare. Prior autem et magister prædicti interlocuti fuerunt quod, exceptione hujusmodi non obstante, tenebatur prædictis comitissæ petitionibus respondere. Quare memoratus episcopus, sentiens se gravari præsenti cura, si ipse contra eamdem comitissam in causa hujusmodi obtineret, nil sibi proderet quin a nato ejus posset super eisdem petitionibus conveniri, nostram audientiam appellavit : illi vero per octo menses et amplius, post appellationem emissam occasione pacis quæ inter ipsos per communes tractaverunt amicos, negotio habito in suspenso, episcopum citaverunt. Unde ipse videns illos contra se plus debito animosos, ad Sedem Apostolicam non sine magnis laboribus et expensis personaliter laboravit. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus si est in revocato in statum debitum, si quid post hujusmodi appellationem inveneritis temere attentatum, partibus convocatis, causam et appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observare, alioquin partes ad priorum judicum examen appellantes in expensis legitime condemnantes. Testes autem qui fuerunt nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere; quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Viterbii, II idus novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XLVII

Ad Blancham comitissam Campaniæ, ejusque filium.

12 novemb. 1219.

[Biblioth. Nationale, Manuscrits, fonds latin. n. 5993 A, Lib. pontificum, fol. 26.]

Mandat ut comitissa Trecensem episcopum et alios coepiscopos habeat commendatos.

Honorius, etc., dilectis filiis nobili mulieri comitissæ Campaniæ et T. nato ejus salutem et apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster Trecensis episcopus exposuit humiliter coram nobis quod ipsum, occasione indulgentiæ vobis ab Apostolica Sede concessæ, multipliciter aggravatis, ita quod in partibus vestris ecclesiastica censura contemnitur et episcopalis dignitatis auctoritas evertatur. Quocirca nobilitatem vestram monendam duximus et hortandam, per Apostolica scripta mandantes quatenus et prædictum episcopum, quem propter probitatis meritis exigentibus, nos et fratres nostri habemus admodum acceptum nec non alios e vicinis episcopos, habentes, sicut convenit, in reverentia et honore, ipsum nullatenus aggravetis, ita quod apud Deum vobis meritum comparetis et apud homines nomen bonum, nosque devotionem vestram possimus merito commendare. Datum Viterbii, II id. novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XLVIII

Ad archiepiscopos, episcopos, ac abbates, priores et alios ecclesiarum prælatos per Hispaniam constitutos.

15 nov. 1219.

[Ripolli, Bull. Prædic. I, 8, n. 9.]

Ipsos rogat ut latores præsentium fratres ordinis Prædicatorum benigne recipiant ac eos habeant commendatos.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prælatis per Hispaniam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Si personas religiosas diligere ac honorare curetis, Deo, cui servire regnare est, satis gratum obsequium exhibetis, qui quod uni ex minimis suis fit, sibi fieri asseverat. Rogamus proinde devotionem vestram et exhortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dilectos filios latores præsentium ordinis Prædicatorum, quorum utile ministerium et religionem credimus Deo gratam, in eorum laudabili proposito confoventes ad officium prædicationis, ad quod deputati sunt, curetis bene recipere, ac habentes eos pro nostra et Apostolicæ Sedis reverentia commendatos, in suis eis necessitatibus assistatis, qui Verbum Dei gratis et fideliter proponentes, intendendo profectibus animarum, ipsum Dominum solum secuti, paupertatis titulum prætulerunt : preces et mandatum nostrum

taliter impleturi ut in districti examinis die positi ad dexteram cum electis, regnum cum eis percipiatis æternum, non audituri damnationis sententiam reproborum, quos pro contemptu talium ipse Deus, qui se asserit in eorum despectione contemni, perpetuo incendio deputabit. Datum Viterbii XVII kal. decembr. pontificatus nostri anno quarto.

XLIX

Ad episcopum Virdunensem.

16 novemb. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 601. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem primicerium Virdunensem crucesignatum a voto Hierosolymitano absolvere, dummodo duos bellatores sui ipsius loco mittat, et revera ad præliandum ipse minus idoneus non sit.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Virdunensi salutem, etc.

Dilectus filius... primicerius Virdunensis crucesignatus nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse propter clericatus officium sit inutilis ad pugnandum, ipsum volentem duos pro se bellatores in Terræ Sanctæ subsidium destinare, a voto crucis absolvere dignaremur. Volentes igitur sic ejusdem crucesignati condescendere precibus, ut in hac parte ipsius terræ succursui consulatur, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dicto primicerio duos bellatores idoneos in ejusdem terræ subsidium transmittente, ipsum a voto prædicto, et labore peregrinationis absolvas, attentius provisurus ne in elusionem voti aliquid attentetur. Datum Viterbii XVI kal. decembris anno quarto.

L

Ad Petrum de Bocon canonicum Viennensem.

16 novemb. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 605. Mss. La Porte du Theil.]

Litteras inquisitionis de monachatu contra ipsum a Guillelmo de Varei clerico impetratas irritas esse declarat.

Honorius, etc., dilecto filio Petro de Bocon canonico Viennen., salutem, etc.

Auditis et intellectis quæ, coram dilecto filio nostro R. Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono card., super inquisitionis litteris de monachatu contra te ad... priorem Sancti Pauli, et suos conjudices Bisuntin. a Guillelmo de Varei clerico impetratis, a partibus fuere proposita, prædictas inquisitionis litteras decrevimus non valere, ac eumdem Guillelmum super hoc negotio ad inquisitionem aliam obtinendam non duximus admittendum, præsentes tibi litteras in testimonium concedentes.

Datum Viterbii XVI kal. decembris anno quarto.

LI

Ad Nicolaum episcopum Tusculanum.

19 nov. 1219.

[Ughelli, Italia sacra, I, 281; Bull. Rom., edit. Taur. III, 364.]

Tusculanis episcopis conceditur ecclesia Sanctæ Mariæ in urbe ad habitaculum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Nicolao episcopo Tusculano, ejusque successoribus canonice instituendis in perpetuum.

Etsi de universis fratribus, et coepiscopis nostris curam, et sollicitudinem gerere teneamur et eorum commoda, quantum commode possimus, relevare, spiritualiter tam circa illos, qui locum in Ecclesia Romana sortiti nobiscum suscipere sollicitudinis onera jugiter patiuntur, exuberare debet nostræ caritatis affectus, quatenus sentiens honorem ex onere, ac ad exemplar ordinum supernorum, quanto vicinius nobis assistere meruerunt, tanto amplius in nostra mutuo ferveant caritate.

Hinc est venerabilis frater, quod, cum Tusculanus episcopus habitaculum in urbe non habuerit hactenus opportunum, nos volentes tam tuis, quam successorum tuorum incommoditatibus, quæ ex hoc provenire poterunt obviare, ecclesiam Sanctæ Mariæ in Monasterio, de consilio fratrum nostrorum, episcopatui tuo concedimus auctoritate præsentium, statuentes, ut ecclesia supradicta, cum personis, et omnibus bonis suis, tibi, ac successoribus tuis ea lege subjaceat, quæ aliis fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, suæ noscuntur eclesiæ subjacere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, etc., usque perpetua, etc., salva Sedis Apostolicæ auctoritate, etc. Si qua igitur in futurum, etc., usque hanc nostræ concessionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, eique, etc., atque præmia æternæ pacis inveniat. Amen.

Datum Viterbii XIII kal. decembris, indictione prima, anno IV. Datum per manum Raynerii patriarchæ Antiocheni cancellarii vicem agentis.

LII

Ad decanum, cantorem et magistrum Christianum canonicum Ambianenses.

21 nov. 1219.

[Regest., lib. IV, ep. 624. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut magistrum Walterum de Sancto Audomaro præbenda ipsi in ecclesia S. Audomari assignata, pacifice faciant gaudere.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano... cantori et magistro Christiano canonico Ambianen. salutem, etc.

Dilecto filio magistro Waltero de Sancto Audomaro coram nobis olim humiliter exponente quod bonæ memoriæ præpositus Sancti Audomari eum in suum familiarem recipiens, et promittens eidem se in præbendali beneficio provisurum, assignata interim ei annua pensione ad dimittendum scolas eumdem induxerat; sed postmodum promissionis suæ negligens executor quanquam ei plures præbendæ vacassent, sibi tamen non curaverat providere, Nos ætatem et litteraturam prædicti magistri provide attendentes et dolentes eumdem illusum fuisse, venerab. fratri nostro... Ambianen. episcopo et collegis ipsius, nostris dedimus litteris in mandatis ut eum in ecclesia S. Audomari recipi facientes in canonicum et in fratrem, præbendam, si qua vacaret ibidem, vel quantocius se facultas ei auctoritate nostra conferrent, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, et cogendo nihilominus vicarium ipsius præpositi ad prædictam sibi exhibendam interim pensionem. Qui sicut idem magister in nostra nuper proposuit præsentia constitutus, comperto, quod duæ vacabant in ecclesia ipsa præbendæ, quarum altera ex collatione nostra cuidam fuit scriptori nostro collata, de altera investierunt eumdem et fecerunt ipsum per quosdam religiosos, quum decanus et capitulum nollent hoc facere in ecclesia tamquam canonicum installari. Sed quia... decanus et capitulum supradicti quanquam ad eos non pertineat collatio præbendarum suggerentes nobis quod mandaramus reservari nostræ donationi præbendam primo in eorum ecclesia vacaturam, et prædictus magister super receptione sui ad præfatum Ambianen. episcopum suosque collegas de præmissis non habita mentione, sub certa forma nostras litteras impetrarat magister Willelmo canonico Arien. et quibusdam aliis clericis per quasdam alias litteras sub forma simplici a nobis obtentas in eadem ecclesia nitentibus nihilominus præbendari, quorum occasione multipliciter gravabantur. Nos... abbati Sancti Johannis, et ejus collegis direximus scripta nostra ut decanum et capitulum memoratos, occasione hujusmodi litterarum, nequaquam de cætero molestari permitterent, nisi a nobis mandatum aliud emanaret quod de præmissis plenam faceret mentionem. Unde dictus abbas, et ejus collegæ occasione mandati ad ipsos directi, prædicti episcopi et collegarum ipsius irritavere processum, ac si obtentæ ad eos litteræ revocatoriæ præcedentium extitissent; sed memoratus episcopus ejusque collegæ non credentes suas revocatas esse litteras per secundas, cum æquitatis instinctu, quæ prævalet juri stricto, moti fuerimus ad justam gratiam, et gratiosam sibi justitiam faciendam, præsertim, cum sicut prædictum est, de collatione præbendarum nil intersit decani et capituli prædictarum, nihilominus ipsum in fratrem, et canonicum recipi mandaverunt, eis suspensionis et excommunicationis pœna firmiter inhibentes, ne ad dictam præbendam alium recipere attentarent. Quare sæpefatus magister nobis multiplicatis intercessoribus supplicavit, ut compatientes suis laboribus et expensis, quod per eumdem episcopum, et ejus collegas provide actum est ratum habere ac Apostolico dignaremur munimine roborare. Attendentes itaque, quod etsi prædictus magister nullum jus in re haberet, pium tamen est, et consonum honestati, ut in prædicta ecclesia honoretur, nec non, nisi in patria sua videatur acceptus, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus revocantes si quid forte in prædicti magistri præjudicium postquam iter arripuit veniendi ad Sedem Apostolicam, inveneritis attentatum, canonicatus et præbendæ ipsum faciatis pacifica possessione gaudere. Contradictores si qui fuerint vel rebelles per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo compescentes. Quod si non omnes, etc. Datum Viterbii II kalendas decembris pontificatus nostri anno quarto.

LIII

Ad archiepiscopos et episcopos et cæteros ecclesiarum prælatos per Sweciam constitutos.

22 novemb. 1219.

[Liljegren, Svenskt diplom. I, 199, n. 179. Bullar. Romanum, ed. Taur., III, 364. Martene, Thes. anecd. I, 875.]

Quod clerici possint studere in Theologia per quinque annos et nullus in legibus et ecclesia major debet habere doctorem in theologia.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis cæteris ecclesiarum prælatis et capitulis per Sweciam constitutis salutem et apostolicam benedictionem.

Super speculam Domini, licet immeriti constituti, dum diligenter multo intuitu contemplamur statum ecclesiæ generalis dolemus plurimum et testamur (1), quod cum albæ sint regiones ad messem plurimam, et operarii sint perpauci, plerique vigiles qui tenentur custodire Domini vineam, dormiunt somnum suum, nec zizania nimium excrescentia in manipulos ad comburendum colligunt, quamvis ea jugiter superseminet inimicus, cumque lacteus (2) et parvulus deficiat in plateis, vix est qui frangat panem parvulis, aut propinet sitientibus aquam sapientiæ salutaris, eo quod modica est in terra scientia Domini.

Quia plurimi velut illusores filii accepta non modica portione substantiæ Jesu Christi, comparatum (3) sibi de ipsa siliquas vacuas et sonoras quæ non satiant, et aquam hauriunt cum situla Samaritanæ de puteo vel torrente aquarum infidelium quæ sitim hydropici non relevant, sed irritant. Tales equidem hortum conclusum, cui non communicat alienus, ubi fons est et puteus aquarum viventium, deserentes ac fodientes sibi cisternas, quæ aquam non prævalent continere, quasi non invenientes pascua. Fastidito manna, dum suspirant ad Ægypti allia et pepones, currunt ad scientias lucrativas (4), statuentes in (5) terram suos oculos declinare. Ut igitur per interpretationes (6) validas tanquam per patris verbera, filii aberrantes ad matris ubera revocati, velut pulli aquilarum queant expeditius advolare, ac inoffense atque libentius velint et valeant currere in odorem fragrantis gratiæ Jesu Christi, ad hauriendum aquas vivas cum gaudio de fontibus Salvatoris. Quosdam obices amovere cupimus huic itineri obsistentes et necessaria quædam annectere his quæ ab antecessoribus nostris edita sunt ab olim, ad propagationem propaginis vitis veræ (7). Cum itaque de singulis provinciis puellæ speciosæ ac virgines pro rege Assuero, qui beatitudo dicitur, per ancillas quæri debeant, et adduci ad arcem et mænia civitatis, et per manum Aggei mundum muliebrem accipere, necessariorum videlicet fulcimenta, volumus et mandamus ut statutum editum in Concilio generali de magistris theologis per singulas metropoles statuendis inviolabiliter observetur, decernentes insuper de consilio fratrum nostrorum, ac districte præcipiendo mandantes, ut, quia super hoc propter raritatem magistrorum se possent aliqui forsitan excusare, ab ecclesiarum prælatis et capitulis ad theologiæ professionis studium aliqui docibiles destinentur, qui quum docti fuerint, in Dei ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti, ex quibus postmodum copia possit haberi doctorum qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad justitiam valeant plurimos erudire, quibus si proprii proventus ecclesiastici non sufficiunt, prædicti necessaria subministrent; docentes vero in theologica facultate, dum in scholis docuerint, et studentes in ipsa, integre per annos quinque percipiant de licentia Sedis Apostolicæ proventus præbendarum, et suorum beneficiorum, non obstante aliqua contraria consuetudine vel statuto, quum denario defraudari non debeant in vinea Domini operantes. Hæc autem volumus inconcusse observari firmiter disponentes, quod feriamus pœna debita transgressores (8). Sane licet fallax sit gratia cæterarum scientiarum et vana etiam pulchritudo, quum frumentum electorum et vinum germinans virgines juxta Prophetam sit bonum super omnia et sit pulchrum, quia tamen regulares quidam, claustrale silentium et legem Domini animas convertentem, et sapientiam dantem parvulis quam super aurum

(1) *Martene :* tristamur. (2) *Martene :* lactens.
(3) *Martene :* quia plures videntur illusores filii. Accepta non modica portione Jesu Christi comparent, etc.
(4) *Martene :* ad sacras litteraturas.
(5) *Martene :* ad. (6) *Martene :* verba.
(7) *Martene : f.* vitis vestræ.
(8) Cf. *Quinta Compilatio*, lib. V, tit. II, *de Magistris*, cap. 1 et tit. XII, *de Privilegiis*, cap. 3, col. 364, tom. I.

et topazion amare debuerant respuentes, abeunt post vestigia gregum et illicite se convertunt ad pedisequas amplectendas quæ plausum desiderant populorum; contra hujusmodi præsumptores exeuntes ad audiendum leges vel physicam felicis memoriæ A. prædecessor noster olim statuit in concilio Turonensi, ut, nisi infra duorum mensium spatium ad claustrum redierint sicut excommunicati ab omnibus evitentur, et in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiantur. Reversi autem in choro, capitulo, mensa, et cæteris ultimi fratrum existant, et nisi forte ex misericordia Sedis Apostolicæ totius spem promotionis amittant. Verum quia nonnulli ex talibus propter quorumdam opiniones diversas, excusationibus aliquod assumebant, nos volentes ut tales de cætero ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, districte præcipiendo mandamus, quatenus tam a diœcesanis et capitulis ipsorum, quam etiam a cæteris episcopis in quorum diœcesibus in hujusmodi student tales, sublato appellationis obstaculo, excommunicati et prædictis pœnis obnoxii publice nuntientur. Quia nos theologiæ cupimus studium ampliari, ut dilatato tentorii sui loco, funiculos suos faciat longiores, et sit fides catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex adverso, et archidiaconos, decanos, præpositos, plebanos, cantores, et alios clericos personatus habentes, necnon et presbyteros nisi ab iis infra spatium præscriptum destiterint, hæc extendi volumus et, appellatione postposita, inviolabiliter observari. Nam quum sint multi caupones aquam vino miscentes qui non solum involvere falsa veris, sed etiam diem in noctem vertere moliuntur, in firmamento cœli plantare luminaria dividentia diem a nocte valide affectamus, summopere satagentes ut ad capiendum vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas, bonorum habeamus copiam venatorum, qui manum mittentes ad fortia, contra perversores fidei sint potentes, opere ac sermone; hi vestiti duplicibus ut mereantur duplicia possidere, quum videbunt in die novissimo ad judicandum cum terræ senatoribus concessuri, porro quum argentum alibi habeat venarum suarum principia, quam unde ferrum tollitur, et auro locus in quo confletur, sit jamdudum Parisius deputatus, ubi turris David cum suis propugnaculis constitui consuevit; ex qua non solum dependent mille clypei, sed omnis fere armatura fortium, dum indesinenter exinde fortes ex fortissimis, prodeunt tenentes gladios et ad bella doctissimi, quod ambiunt per orbem undique lectulum Salomonis. Quidam suis divitiis invidentes dicere videntur patri quid generas, et matri quid parturis, dum secus altare plantare lucum et ancillam hæredem suæ dominæ gestiunt subrogare, quanquam ancillæ filius cum filio liberæ non debeat hæres esse. Currunt enim illuc quidam improbi cum traditionibus sæcularium principum quasi rarefacere ibi velint fabrum ferrarium acuentem gladium aut lanceam, vomerem et ligonem; et cum in locis plurimis plures habeant sui studii professores, ultro ingerunt filiorum oculis merces suas ut ipsarum illecti phaleris et dulcedine provocati, a matris pulchritudine ac sapidis uberibus, abstrahantur, non attendentes quod coangustatum est illic stratum, et fere arctus sit locus ibidem filiis prophetarum. Sane licet sancta Ecclesia legum sæcularium non respuat famulatum, quæ sanæ equitatis et justitiæ vestigia imitantur : Quia tamen in Francia et nonnullis provinciis, laici Romanorum imperatorum legibus non utuntur ét occurrunt raro ecclesiasticæ causæ tales, quæ non possint statutis canonicis expediri, ut plenius sacræ paginæ insistatur et discipuli Elisæi liberius juxta fluenta plenissima resideant, ut columbæ, dum in janúis scalas non invenerint, ad quas divaricare valeant pedes suos, firmiter interdicimus et districtius inhibemus ne Parisiis vel in civitatibus seu aliis locis vicinis quisquam docere vel audire jus civile præsumat; et qui contra fecerit, non solum a causarum patrociniis interim excludatur, verum etiam per episcopum loci, appellatione postposita, excommunicationis vinculo innodetur. Vos autem fratres et filii sic diligentius præscripta servetis et faciatis studiosius ab aliis observari, quod veri amici sponsi possitis merito comprobari, dum paranimphos suos erudiendos ad epitalamica carmina curaveritis promovere.

Datum Viterbii, X kalendas decembris, pontificatus nostri anno quarto.

LIV

Ad universos Antiocheni patriarchatus archiepiscopos, episcopos, cæterosque præsules (1).

22 nov. 1219.

[Raynaldi, Annal. Ecclesiast. ad annum 1219, § 21.]

Cum summa reverentia custodiri debet sanctissima Eucharistia.

Honorius, etc.

Cum olim vas aureum manna plenum, Christi corpus deitatem continens præfigurans, in arca fœderis auro tecta infra sancta sanctorum fuerit collocatum, ut munde in loco venerabili servaretur, dolemus plurimum, et tristamur, quod in plerisque provinciis sacerdotes sanctiones canonicas, imo divinum judicium contemnentes, sacram Eucharistiam incaute custodiunt, et immunde, ac indevote contrectant, quasi nec creatorem timeant, vel recreatorem diligant, aut judicem omnium expavescant. Quanquam Apostolus terribiliter comminetur deteriora illum mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, vel sanguinem testamenti pollutum duxerit, aut spiritui gratiæ contumeliam fecerit, quam transgressorem legis Mosaicæ, qui mortis sententia plectebatur.

Ne igitur de cætero propter incuriam sacerdotum in indevotos divina indignatio gravius exardescat, districte præcipiendo mandamus quatenus a sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo etiam, et signato semper honorifice collocata, devote, ac fideliter conservetur. Sacerdos vero quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione missarum elevatur hostia salutaris, quilibet reverenter inclinet, idem faciens, cum ipsam portat presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu superposito mundo velamine ferat, et referat manifeste, ac honorifice ante pectus, cum omni reverentia, et timore, semper tamen lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides, et devotio augeatur. Prælati autem hujus mandati graviter punire non differant trangressores, si et ipsi divinam et nostram volunt effugere ultionem, vos autem sic observari faciatis prædicta, quod non efficiamini vindictæ participes, sed coronæ. Datum Viterbii X kal. decemb., pontific. nostri anno IV.

(1) Apud Raynaldum legitur : Litteris IV kalend. novembris datis ad universos Anthiocheni patriarchatus archiepiscopos, episcopos cæterosque præsules sacra per eos theologiæ studia in regionibus illis exercenda et colenda, hæresesque arcendas curavit, denique sanctissimam Eucharistiam summa cum reverentia custodiri atque a sacerdotibus tractari jussit.

LV

Ad archiepiscopos, et episcopos, et cæteros ecclesiarum prælatos.

23 novemb. 1219.

[Liljegren, Sveaskt diplom. I, 202, n. 180. Martene. Thes. anecd. I, 878.]

Eis præcipit, ut sanctiones canonicas et statuta Concilii generalis conservent et a subditis observari faciant; atque ut sacramentum sacræ Eucharistiæ munde et reverenter pertractent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis cæteris ecclesiarum prælatis per Sueciam constitutis salutem et apostolicam benedictionem.

Expectavimus hactenus spectantes si monitis, et statutis Concilii generalis, exculta Domini Sabaoth vinea floruisset, si Aaron virga turgentibus gemmis erupisset in flores, et dilatatis foliis amigdala produxisset, si germinassent mala punica et ficus produceret grossos suos, quia ficus præcoquas anima sponsi desiderat, et sponsa diligit botros cypri. Sed ecce quod dolentes dicimus, ante messem seges effloruit, et vinea fere tota, et ficus, ac virga magis aruit; et vindemiator magnum ad carcallum non revocat; sed sic semper vindemiat, quod post vindemiatiores racemos aliquos colligere vix valemus. Nam unusquisque fere in viam suam abiit, et ad suam negotiationem revolat a regis nuptiis damnabiliter se excusans. Jam quidam ministri altaris sicut jumenta non solum in stercore computrescunt; sed peccatum suum velut Sodoma prædicant, nec abscondunt, facti ruina, et laqueus populorum. Quidam etiam ecclesiarum prælati, qui gladios ancipites in suis manibus acceperunt, ad faciendam vindictam et increpationes in populis errantes non corrigunt, membra putrida non excidunt, a caulis oves contagiosas, et morbidas non excludunt,

At deest epistola in qua commendantur sacræ theologiæ studia ; e contra integra legitur in eodem loco epistola de sanctissima Eucharistia, attamen nulla de ea mentio fit in opere cui titulus : *Regesta pontificum romanorum*, edit. Potthast, Berlin, 1874; neque inter litteras datas 29 octobris, neque 22 novemb. hac die data est epistola de Eucharistia (Regest. Vat., lib. IV, epist. 612).

vulnus, livorem, et plagam tumentum non ligant, nec curant, neque fovent oleo, vel amplastro, propter quod quia cicatrix populi non obducitur, in Galaad non censetur esse medicus vel resina. Proinde in consilium subditorum venire anima prælatorum convincitur, dum iidem proximorum vitiis non resistunt; sicque manus mulierum misericordium parvulos suos coquunt : hi etiam bona sibi commissa dissipant, et consumunt; dispergunt sanctuarii lapides in capite omnium platearum, indignos promovent, perniciosis stipendia ecclesiastica largiuntur, in suis ecclesiis conventicula de sanguinibus congregantes. Tales equidem non attendunt, quod Heli filios suos palpans, de sella retrorsum cecidit; et principes populorum, quia non cohibebant Hebræos initiantes Beelphegor, et cum Madianitis in eorum oculis coeuntes, præcepto Domini suspensi sunt in patibulo contra Salem : quia cum de manibus prælatorum negligentium sanguis requiratur pereuntium subditorum, dum fortioribus instat fortior cruciatus, sit durum judicium his qui præsunt. Claustrales autem plurimi qui fregerunt jugum, ruperunt vincula; qui etiam sicut stercus terræ jam contemptibiles sunt effecti, se non corrigunt; subditos non castigant. Capitula, juxta Concilii generalis statutum, non celebrant, ne in lucem prodeant opera tenebrarum et a lumine arguantur; propter hoc siquidem hæreses invalescunt; quia cum perpauci hodie murus æneus vel columna ferrea sint prælati, vix est qui se opponat murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso; eo quod conscientia remordente, dum canes muti projectum in terra ranunculum in os habent, et sint quasi baculus arundineus jam confractus : nec latratu nec baculo arcent lupos dilacerantes Ecclesiam et in ipsam ululatus validos emittentes. Cum igitur dissimulare non possimus de cætero vel conniventibus oculis pertransire tantum cleri contagium et populi christiani discrimen quod procedit et proficit ex negligentia prælatorum evacuantium per incuriam et torporem sanctiones canonicas et statuta salubria Concilii generalis, increpationis securim comminantem excidium nunc radicibus infructuosæ arboris applicamus, confossæ ficulneæ cophinum stercoris apponentes, antequam maledictionis gladio feriatur, et areat, si fructum non fecerit in futurum jam diutius expectatum. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus præteritam negligentiam novo studio redimentes, per sollicitudinem geminatam sic præfati statuta Concilii et illa præsertim quæ salutem respiciunt animarum, deinceps conservetis ac faciatis a vestris subditis inviolabiliter observari, quod possitis exinde laudem consequi et æterna præmia promereri; nec quemquam vestrum pœnam oporteat formidare, ad quam ex nunc potenter accingimur contra desides et remissos. Invigiletis autem propensius ad hæreticam pravitatem e vestris finibus, si forsan irrepserit, penitus extirpandam : quia serpit ut cancer, capita ut hydra multiplicat, et ut draco de cœlo stellas detrahit, et mulieri tendit insidias, cupiens filium quem concipit devorare. Ponat etiam unusquisque gladium super femur per medium castrorum transiens de porta in portam, nec parcat fratri, proximo vel amico, qui, statutis Concilii vilipensis, morum vel vitæ abjicit honestatem : vel non observat in tonsura, vestibus et aliis modestiam clericalem; præcaventes sollicite ne beneficia conferatis indignis, nec quemquam permittatis habere plures personatus vel parochiales ecclesias, habitas post Concilium generale, quibus cura sit animarum annexa, nisi forsan super hoc habeat indulgentiam Sedis Apostolicæ specialem. Abbates vero nigri ordinis celebrare hoc anno provincialia concilia non omittant, prout extitit in præscripto concilio stabilitum; et ut bonorum studium commendare possimus, et punire negligentiam perversorum super hoc ab illis certiorari volumus et mandamus. Sane cum olim vas aureum manna plenum, Christi corpus deitatem continens præfigurans, in arca fœderis auro tecta, infra sancta sanctorum fuerit collocatum, ut munde in loco venerabili servaretur, dolemus plurimum et tristamur, quod in plerisque provinciis sacerdotes sanctiones canonicas, immo divinum judicium contemnentes, sacram Eucharisticam incaute custodiunt, et immunde ac indevote contrectant, quasi nec Creatorem timeant vel recreatorem diligant aut judicem omnium expavescant, quamquam Apostolus terribiliter comminetur deteriora illum mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, vel sanguinem Testamenti pollutum du-

xerit, aut spiritui gratiæ contumeliam fecerit, quam transgressorem legis Mosaicæ, qui mortis sententia plectebatur.

Ne igitur de cætero per incuriam sacerdotum in indevotos divina indignatio gravius exardescat, districte præcipiendo mandamus, quatenus a sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo etiam et signato semper honorifice collocata, devote ac fideliter conservetur. Sacerdos vero quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione missarum elevatur hostia salutaris, quilibet reverenter se inclinet, idem faciens, cum ipsam portat presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu superposito mundo velamine ferat, et referat manifeste, ac honorifice ante pectus cum omni reverentia et timore, semper tamen lumine procedente, cum sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides et devotio augeatur. Prælati autem hujus mandati graviter punire non differant transgressores, si et ipsi divinam et nostram volunt effugere ultionem. Attendat igitur unusquisque, ut sic mandatum nostrum juxta susceptum officium exsequatur, quod nemo coronam ejus accipiat, vel de suo loco ejus candelabrum amoveri contingat, sed potius mereatur coronari gloria et honore.

Datum Virterbii, IX kalendas decembris, pontificatus nostri anno quarto.

LVI

Ad abbates Sancti Joannis de Vallis Secretæ et decanum Suessionensem.

28 nov. 1219.

[Bibl. nat., Mss. 5993 A. Liber pontificum.]

Ut hæredes coadjutorum Erardi de Brena compellantur satisfacere comitissæ Campaniæ filioque ejus.

Honorius, etc., dilectis filiis Sancti Joannis in Vineis Suessionensis et Vallis Secretæ Suessionensis diœcesis abbatibus et decano Suessionensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecta in Christo filia nobilis mulier B. comitissa et Th. natus ejus, comes Campaniæ nobis conquerendo monstrarunt, quod cum quidam fautores nobilis viri Erardi de Brena et Philippæ uxoris suæ pro eis, auctoritate nostra vinculo interdicti et excommunicationis adstricti, agerent in extremis, quidam Triumfontium et de Exquinei monachi Cisterciensis ordinis illos absolvere et decedentes ecclesiasticæ sepulturæ tradere præsumpserunt, nulla satisfactione de damnis illicitis impensa comitissæ ac comiti supradictis. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sub pœna excommunicationis inhibentes monachis antedictis, ne talia præsumant de cætero attentare, prædictorum defunctorum hæredes ut infra certum et competentem terminum jam dictis comitissæ ac comiti satisfaciant super his pro quibus ipsi defuncti tenebantur sententiis supradictis, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Viterbii, III kal. decembris, pontificatus nostri anno quarto.

LVII

Ad decanum Trecensem et magistrum Gerardum Parisiensem.

2 decemb. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 618. Mss. La Porte du Theil.]

De electione Hugonis archidiaconi et Aymonis thesaurarii in ecclesia Lingonensi celebrata.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano Trecen. et mag. Gerardo Parisien. canonico salutem, etc.

Cum causa electionum celebratarum in Lingonen. ecclesia, de dilectis filiis Hugone archid. et Aymone thesaurario Lingonen., venerabili fratri nostro... episcopo Trecen. ac nobis sub certa forma fuisset ab Apostolica Sede commissa, quia propter absentiam ejusdem episcopi, qui ad præsentiam nostram accesserat, non habebatur in ipsa causa processus; nos nolentes ejusdem ecclesiæ provisionem dispendiose differri, venerabilem fratrem nostrum... Autissiodoren. episcopum præfato Trecen. duximus in executione dicti negotii subrogandum. Verum nuntius ipsius thesaurarii e vestigio superveniens proposuit coram nobis, quod cum dudum procuratores partium in præsentia quorumdam fratrum nostrorum de mandato nostro tractarent de judicibus eligendis, præfatus Autissiodoren. nominatus a parte ipsius archid. non fuit propter quasdam causas suspicionis admissus, sed dictus Trecen. episcopus receptus fuit pro tertio judice ut cum altero vestrum procederet in negotio,

si non omnes possetis forsitan interesse, quod ipsi fratres nostri concorditer fatebantur, unde petiit nuntius supradictus, ut cum ipse Trecen. qui credebatur facturus apud Sedem Apostolicam longam moram jam regressus ad propria, dicto negotio valeat interesse per vos, et ipsum in eodem procedi negotio mandaremus. Cum igitur intentionis nostræ non fuerit suspectum judicem subrogare, cum per hoc impediri possit ipsum negotium quod volebamus per subrogationem hujusmodi citius expediri, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si de consensu partium jam est per vos et dictum Autissiodoren. in ipsa causa processum, vel adhuc partes consenserint, ut per vos et eumdem Autissiodoren. episcopum procedatur, vos una cum eo mandatum nostrum exsequi procuretis. Alioquin eo in quo per ipsum Autissiodoren. processum est in suo robore permanente super aliis una cum ipso Trecen. episcopo in eodem negotio juxta priorum continentiam litterarum procedere non tardetis, salvo eo quod terminum quo causa debet ad nos instructa remitti usque ad primam Dominicam quadragesimæ, re ita exigente, duximus prorogandum. Datum Viterbii, quarto nonas decembris, anno quarto.

LVIII

Ad abbatem Cisterciensem et universos coabbates.

2 decemb. 1219.

[Spicilegium Liberianum de Liverani, p. 730, n. 28.]

Inhibet ne legati Sedis Apostolicæ sine speciali mandato papæ in eos excommunicationis vel suspensionis et in eorum monasteria interdicti sententias promulgent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Cisterciensi et universis coabbatibus ejus et fratribus sub eodem ordine Deo servientibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ordinis vestri generosa plantatio multos religionis et honestatis flores et fructus protulerit, effuso longe lateque laudabilis conservationis odore, Apostolicæ Sedis auctoritas considerans pro Marthæ sollicitudine providendum esse Mariæ quieti, ut orantis Mariæ suffragiis satagentibus Marthæ sollicitudo ministerii juvaretur, ne alieni temeritatis incursus reæ conservationis otium perturbaret, ordinem ipsum et privilegiis et nonnullis indulgentiis specialis gratiæ prærogativa munivit; nos autem qui salutifera commoda vestra benigno favore prosequimur, tranquillitati vestræ libenter, prout possumus, providemus auctoritate præsentium inhibendo, ne legati Sedis Apostolicæ sine speciali mandato nostro in vos excommunicationis vel suspensionis, et in monasteria vestra interdicti sententias promulgent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario, etc.

Datum Viterbii, quarto nonas decembris, pontificatus nostri anno quarto.

LIX

Ad decanum et capitulum Parisienses.

4 decemb. 1219.

[Notices et Extraits, XXI, II, 186.]

Philippum de Greve, Parisiensem cancellarium, nullo Romæ contra eum accusatore comparente, cum gratia remittit.

Honorius decano et capitulo Parisiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ad aures nostras de dilecto filio Ph..., cancellario vestro, quædam gravia provenissent, et ob hoc eum ad nostram præsentiam vocassemus, quia, ipso coram nobis postmodum comparente, nullus contra eumdem comparuit accusator, nos, in hoc et aliis vos honorare volentes, quos nobis novimus et Apostolicæ Sedi devotos, et qui ex affectu sinceritatis, quem ad Romanam habetis Ecclesiam, dari nuper ecclesiæ vestræ dilectum filium nostrum A..., S. Susannæ presbyterum cardinalem, in episcopum postulastis, cancellarium ipsum ad vos cum gratia nostra duximus remittendum. Datum Viterbii, II nonas decembris, anno quarto.

LX

Ad ecclesiam Antiochenam.

7 decemb. 1219.

[Raynald, Annales ecclesiast. ad annum 1219, § 21.]

Ecclesiæ Antiochenæ præficit in patriarcham Rainerium, S. Romanæ Ecclesiæ vicecancellarium.

« Cum dilectum nostrum magistrum P... Capuanum, quem deputaveramus ad regimen ecclesiæ memoratæ, circa nos certa de causa providerimus retinendum, eumdem in fratrum nostrorum collegium assumendo, tandem ad multam instantiam di-

lectorum filiorum Anselmi, Ulrici, et Oprandi, canonicorum ipsius ecclesiæ, qui sicut viri providi et fideles, pro ea sollicite ac fideliter laborarunt, illum nobis pro vestra, et ecclesiæ vestræ utilitate subtraximus, per cujus industriam labores nostri relevabantur præcipue, et de cujus prudentia solatium potissimum habebamus, videlicet carissimum nobis R... sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarium, virum scientia, vita, et fama præclarum, et elegantia morum ac conversationis dulcedine gratiosum, ipsumque vestræ præficientes ecclesiæ, ac in patriarcham propriis manibus consecrantes, pallium sibi tradidimus, plenitudinis videlicet officii pontificalis insigne, ut ab Apostolica Sede tanquam sponsus de thalamo suo ad vos in ornatu patriarchali procedat, etc.» Præcipit ut patriarcham debito honore prosequantur illiusque monitis obtemperent. Datum Viterbii VII idus decembris pontificatus nostri anno quarto.

LXI

Ad Pandulphum, Norwicensem electum.

7 decemb. 1219.

[Theiner, Monum. Hiberniæ, 13, n. 29.]

Ut per commissarios Scotos iniqua episcopi Glasguensis acta examinari faciat, et de his referat.

Honorius episcopus, dilecto filio Pandulfo Norwicensi electo, camerario nostro, Apostolicæ Sedis legato, salutem.

Cum hi, qui ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei, quemadmodum et deberent esse, creduntur, suum ministerium inhonorant, illud pravis actibus deformando, dolore in occulto confodimur et rubore confundimur in aperto, quia et delinquere alios, et nomen suum faciunt in populis blasphemari : unde nos, qui tenemur universalis Ecclesiæ curam gerere generalem, libenter his remedium, quod possumus, adhibemus, vel corrigibiles in mansuetudine corrigendo, vel castigando pœna debita pertinaces. Sane dilectus filius magister Willelmus de gremio Glasguensis ecclesiæ clericus sua nobis insinuatione monstravit, quod venerabilis frater noster Glasguensis episcopus non attendens, quod, secundum Apostolum, nemo sibi debet honorem assumere, nisi vocatus a Domino tanquam Aaron, cum esset claræ memoriæ regis Scotiæ capellanus, dedit Philippo de Valone, dicti regis camerario, centum marcas, et longe majorem summam reginæ promisit, ut procurarent, quod rex episcopatum Glasguensem daret eidem, sicque factum est, ut, nulla electione interveniente canonica, in episcopum est promotus. Præterea olim apud Sedem Apostolicam constitutus tempore Concilii generalis dedit quadraginta marcas magistro Radulpho Malovicino canonico Glasguensi, ut præbendam suam resignaret eidem, quam suo conferens capellano, ab eo statim post institutionem decem marcas extorsit. Ad hæc visitando diœcesim, his, quæ ad episcopale officium pertinent, fere omnino neglectis, procurationes superfluas et indebitas exigit et extorquet, et alias torquet subditos exactionibus insuetis. De singulis autem ecclesiis nomine synodalium, quatuor solidos recepit contra canonica instituta, et clericos et laicos delinquentes, non ut errata corrigat, sed ut suæ satisfaciat avaritiæ, pecuniaria pœna mulctat, appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis non solum deferre contemnens, verum etiam involvens excommunicationis vinculo appellantes. Decedentibus quoque canonicis in ecclesia cathedrali, nepotes et consanguineos suos illiteratos et minus idoneos substituit contra canonicas sanctiones. Alios autem pupillos et minores in parochialibus ecclesiis instituere non veretur. Quosdam vero familiares suos uxores aliorum publice detinere non sine scandalo sustinet, et, cum possit, negligit castigare. Alias etiam circa curam pastoralis regiminis se gerit usque adeo negligenter, quod Glasguensis ecclesia, quæ olim gaudebat copia peritorum, et possessionibus et redditibus abundabat, nunc consilio et viribus destituta, succumbit insurgentibus ex adverso, ipso minime resistente, qui divitiis affluentibus cor opponens, negligit famam suam, propter quod fit populo in derisum, non sine gravi Glasguensis ecclesiæ detrimento. Cum igitur hæc nos non deceat relinquere indiscussa, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus causam ipsam juxta præscriptam formam aliquibus viris discretis in Scotia, quia prudentum virorum illius provinciæ notitiam non habemus, nec indulgentiæ, quam carissimus in Christo filius noster, rex Scotiæ illustris, habere dignoscitur, ne quis extra regnum Scotiæ vocetur in causam, volumus

derogari, auctoritate nostra committas, qui vocatis, quos viderint evocandos, inquirant super his omnibus, appellatione remota, diligentius veritatem, et quæ invenerint, fideliter nobis rescribant, ut ex eorum relatione sufficienter instructi procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum. Datum Viterbii, VII idus decembris, pontificatus nostri anno quarto.

LXII

Ad capitulum Parisiense.

7 dec. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 634. Mss. La Porte du Theil.]

Cum Parisiensis ecclesia pastore vacaret, injungit eis ut infra duos menses ad electionem personæ idoneæ procedant.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Parisien., salutem, etc.

Honorem ecclesiæ vestræ, quam aliarum ecclesiarum speculum reputamus sincero zelantes affectu, ne quod absit ei præficiatur indignus libentissime præcavemus cum melius sit in tempore occurrere, quam post exitum remedium mendicare. Ideoque universitatem vestram rogandam duximus et monendam per Apostolica scripta mandantes, quatenus infra duos menses post susceptionem præsentium, juxta tenorem aliarum litterarum nostrarum, per electionem canonicam et concordem provideatis vobis et ecclesiæ de persona idonea in pastorem. Alioquin ne per improbæ ambitionis astutiam aliquis vobis ingeratur indignus, nos ex tunc provisionem ipsius ecclesiæ nobis duximus reservandam, decernentes irritum et inane, si quid contra mandatum nostrum exinde fuerit attentatum. Volumus etiam et mandamus, ut ex tunc aliquos ex vobis ad nostram præsentiam destinetis, eum quem vobis providerimus humiliter suscepturi. Datum Viterbii, septimo idus decembris, pontificatus nostri anno quarto.

LXIII

Ad Johannem S. Victoris Parisiensis et Robertum Hermerarium et cancellarium Parisiensem.

8 dec. 1219.

[Teulet, Layettes, I, 493, n. 1374.]

Eis mandat ut, Meriaci forteritia integre remanente, ad componendum inter partes vel ad cavendum alias indemnitati ecclesiæ procedant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Sancti Victoris Parisiensis et Hermeriarum, Præmonstratensis ordinis, Parisiensis diœcesis, abbatibus, et cancellario Parisiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Nuper vobis dedisse meminimus in mandatis ut cum causa, quæ inter venerabilem fratrem nostrum Trecensem episcopum, ex parte una, et dilectam in Christo filiam, nobilem mulierem B. comitissam ac Theobaldum natum ejus, comitem Campaniæ, ex altera, super forteritia Meriaci vertitur, vobis sit ab Apostolica Sede commissa, inter eos amicabiliter, si fieri posset, componere aut super hoc providere indemnitati Trecensis ecclesiæ curaretis... Cum igitur nostræ intentionis non fuit quod forteritia (sic) debeat destrui memorata, per Apostolica vobis scripta mandamus quatenus, eadem forteritia integre remanente, ad componendum inter partes, vel ad cavendum alias indemnitati ejusdem ecclesiæ, appellatione postposita, procedatis... Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Viterbii, VI idus decembris, pontificatus nostri anno quarto.

LXIV

Ad episcopum, decanum et cantorem Autissiodoren.

9 decemb. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 640. Mss. La Porte du Theil.]

Ut audiant causam, quæ inter episcopum Cabilonensem et Burgundiæ ducissam vertebatur, et interea sententiam excommunicationis, in præfatam ducissam hac occasione latam, sub certis conditionibus relaxent.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo et dilectis filiis... decano et... cantori Autissiodoren., salutem, etc.

Constitutis in præsentia nostra dil. fil. Gilone vener. fratris nostri... Cabilonen. episcopi, ac magistro Stephano, dilectæ in Christo filiæ Alaidis ducissæ Burgundiæ, procuratoribus, venerabilem fratrem nostrum... Portuen. episcopum dedimus auditorem, coram quo dicti episcopi proposuit procurator, quod memorata ducissa quasdam catenas ferreas, quas idem episcopus in civitate Cabilonen. habuerat per multa tempora, in quiete fecit violenter excidi, alias eidem episcopo injuriosa existens plurimum et molesta; super quo, quia monita

diligenter satisfacere non curavit, episcopus supradictus terram, quam præscripta ducissa in sua et Eduen. diœcesi cujus curam venerabilis frater noster... Eduen. episcopus, antequam iter arriperet eundi in subsidium Terræ Sanctæ, commisit eidem, obtinere dignoscitur, sententiæ supposuit interdicti; quam sententiam petebat idem procurator Apostolico munimine roborari. Procurator autem ducissæ proposuit ex adverso sententiam ipsam fuisse a prædicto episcopo, post appellationem ad nos legitime interpositam, promulgatam et alia plura damna et gravamina sibi ab eodem episcopo irrogata, quare petebat eamdem nullam esse penitus nuntiari, vel saltem relaxari eam, antequam de principali negotio cognoscatur ab ipsa de stando juri præstita cautione. Licet autem super his coram auditore præfato fuisset a jamdictis procuratoribus aliquandiu disceptatum, quia tamen per ea, quæ fuere proposita coram ipso, constare nobis non potuit de præmissis, causam ipsam de utriusque procuratoris assensu vobis duximus committendam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus a sæpefata ducissa de stando juri sufficienti cautione recepta, nominatam sententiam in terra ipsius in præfatis Lingonen. et Lugdunen. diœc. constituta occasione hujusmodi promulgatam, ante litis ingressum relaxare curetis in causa ipsa ratione prævia, sublato appellationis obstaculo, processuri, facientes, quod decreveritis, etc..., ita tamen quod si aliqua offensa apparuerit manifesta, præscriptam ducissam ut infra mensem post relaxationem sententiæ memoratæ super illa satisfaciat episcopo supradicto, per censuram eamdem, appellatione remota, cogatis. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc. Dat. Viterbii, tertio idus decembris, pontificatus nostri anno quarto.

LXV

Ad moniales et abbatissam monasterii Sanctæ Mariæ Florent. diœcesi.

9 decemb. 1219.

[Lami, Sanctæ Ecclesiæ Florentinæ, t. III, p. 1385.]

Statuta, quæ eis Hugo Ostiensis episcopus dederat, confirmat, tenore eorumdem inserto.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus, abbatissæ ac monialibus monasterii Sanctæ Mariæ ad sanctum sepulcrum de Monticello, Florentinæ diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Sane cum venerabilis frater noster H. Ostiensis episcopus, dum in partibus vestris legationis officio fungeretur, ab Advegnente moniali monasterii vestri, antequam se ad religionem transferret, fundum quemdam, quem habebat in loco, qui sanctum sepulcrum de Monticello dicitur, cum omnibus pertinentiis, et beneficiis suis, in jus et proprietatem Ecclesiæ Romanæ, prout mandaverat eidem, vestro nomine recepisset; et in monasterio vestro ibi constructo quædam, in vestræ religionis augumentum et favorem vestri ordinis, duxerit statuenda; nos vestris justis postulationibus annuentes, quod ab eodem episcopo factum est, ratum habentes, et gratum, facta obtentu religionis vestræ ab episcopo præfata statuta, sicut in ipsius privilegio continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem ejusdem privilegii ad majorem vestram et monasterii memorati cautelam, præsentibus litteris de verbo ad verbum duximus inserendum. Qui talis est :

« Hugo divina miseratione Ostiensis, et Velletrensis episcopus, Apostolicæ Sedis legatus, dilectis in Christo filiabus, abbatissæ monasterii Sanctæ Mariæ ad sanctum sepulcrum de Monticello, Florentinæ diœcesis, Advegnenti, ejusque sororibus, tam præsentibus, quam futuris, religiosam vitam professis in perpetuum. Prudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis, accensis lampadibus, per opera sanctitatis se præparant obviam ire sponso, et ad ejus cœlestes nuptias introire, nostrum debemus præsidium impertiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eas a pio proposito revocet, aut, quod absit, robur sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecta in Domino filia Advegnens, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, fundum, quem habebas ad S. sepulcrum in Monticello in diœcesi Florentina cum omnibus ædificiis et pertinentiis, suis, nobis nomine Ecclesiæ Romanæ, a te pia liberalitate collatum, in quo monasterio ad hono-

rem Dei, et Virginis gloriosæ Genitricis ejusdem, desideras dedicare, ut te ipsum ibi Domino offeras holocaustum, et alias exemplo tuo ad divinum obsequium provoces, in jus et proprietatem beati Petri et Ecclesiæ Romanæ suscepimus. Verum quia petiisti a nobis, ut locum ipsum ac personas in eo Domino famulantes contra malignorum incursus, protectionis Sedis Apostolicæ privilegio muniremus, nos tuis justis precibus inclinati, dictum monasterium Virginis gloriosæ, quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, in quo divino estis obsequio mancipatæ, cum personis, et omnibus rebus suis sub beati Petri protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, et beati Benedicti regulam, quam prosequimini, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur, observantias nihilominus regulares, quas juxta ordinem Dominarum, S. Mariæ et S. Damiano de Assisio præter generalem Sancti Benedicti regulam vobis voluntarie indixistis, ratas habemus, et eas perpetuis temporibus manere decernimus illibatas. Præterea locum vestrum, et ea, quæ in ipsius circuitu juste ac canonice possidetis, vobis, et per vos iis, quæ vobis canonice successerint, confirmamus. A præstatione vero decimarum clausuræ vestræ, et de hortorum fructibus et pomorum vos esse decernimus, auctoritate paginæ præsentis, immunes. Pro iis autem et aliis, in quibus ecclesia vestra lege diœcesana forsan Florentinæ ecclesiæ teneretur unam libram ceræ tantum, et non aliud in festo Sancti Zenobii Florentinæ ecclesiæ annis singulis persolvetis. Liceat quoque vobis mulieres liberas et absolutas e sæculo fugientes ad conversionem in ecclesia vestra recipere, et eas sine contradictione cujuslibet retinere. »

« Prohibemus etiam, ac nulli sororum vestrarum, post factam in ecclesia vestra professionem, fas sit de eodem loco discedere, seu claustrum vestrum exire. Discedentem vero, absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Aliisque personis nequaquam liceat ingredi claustrum vestrum, nisi eis, de quibus licentiam habueritis specialem. Dedicationes vero ecclesiarum vestrarum, consecrationes altarium, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano postuletis episcopo, si ea gratis et sine pravitate aliqua vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui vobis auctoritate Sedis Apostolicæ, quod postulatur, impendat. Sacerdos siquidem annuus, vel perpetuus, in ecclesia vestra, cum conscientia diœcesani episcopi assumatur, et sacerdotis ejusdem correctionem canonicam Florentino episc. reservamus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbatissa, vel tuarum sororum tibi qualibet successura, nulla ibi cujuslibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quam sorores communi consensu vel sororum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, et beati Benedicti regulam, providerint eligendam. Electionem quoque Romano Pontifici vel legato ab ejus latere destinato, aut ei, cui Pontifex Romanus injunxerit, repræsentent, a quo electæ confirmationis et benedictionis gratia impendatur. Correctiones insuper tam capitis, quam membrorum, super omnibus, quæ in ecclesia fuerint corrigenda, soli Romano Pontifici, vel ei, quem ipse ad hoc deputaverit, reservamus. Prohibemus igitur ne quis episcopus, vel quælibet alia ecclesiastica sæcularisve persona, libertates vestras infringere aut obtentu cujuslibet consuetudinis, vel alio modo aliquid a vobis audeat extorquere, seu in vos, vel ecclesiam vestram, interdicti vel excommunicationis sententias promulgare præsumat. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis vel interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare, specialiter inhibentes ne usurarios et excommunicatos aut hæreticos, vel de hæresi infamatos, et nominatim a Florentina ecclesia interdictos, præsumatis in vita vel in morte quomodolibet recipere ad divina. Nec vobis liceat sepulturam habere nisi pro vobis et personis aliis, quæ ad vestrum fuerint servitium deputatæ. Ad indicium hujus a Sede Apostolica perceptæ libertatis aureum unum persolvetis Romano Pontifici annuatim. »

« Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium perturbare, aut ejus possessiones auferre,

ablatas retinere, minuere, seu aliquibus molestationibus fatigare, sed omnia integre serventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, et a sacratissimo corpore et sanguine Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. »

« Datum Perusii apud monasterium Sancti Petri, sexto kalendas augusti, anno Domini MCCXIX, indictione septima, pontificatus D. Honorii papæ III quarto. »

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, se noverit incursurum. Datum Viterbii, quinto idus decemb., pontific. nostri anno IV.

LXVI

Ad episcopum Lismorensem et capitulum.

9 decemb. 1219.

[Theiner, Monum. Hiberniæ, 13, n. 30.]

Confirmatur sententia ab Innocentio III in favorem ecclesiæ Lismorensis lata.

Honorius episcopus, venerabili fratri R. episcopo et dilectis filiis, capitulo Lismorensibus, salutem.

Ea quæ judicio sunt Sedis Apostolicæ terminata, obtinere debent robur perpetuæ firmitatis, ne si, quod absit, ea recidivis quæstionibus contingeret impugnari, dubitari de judicio videretur. Sane cum olim tempore Concilii generalis inter bonæ memoriæ T. Lismorensem electum et venerabilem fratrem nostrum R. Waterfordensem episcopum, coram felicis memoriæ I. papa, prædecessore nostro, quæstio mota fuisset super eo, quod idem Waterfordensis dicebat non esse Lismorensem ecclesiam cathedralem, tandem prædictus prædecessor noster a vicinis archiepiscopis et episcopis, tunc apud Sedem Apostolicam constitutis, inquirens super hoc diligentius veritatem, ex testificationibus eorum instructus, quod cathedralis esset, sicut ab antiquo fuisse constabat, sententialiter definivit, faciens eumdem electum in urbe a venerabili fratre nostro D. Cassellensi archiepiscopo metropolitano vestro in episcopum consecrari, quod quidam etiam de fratribus nostris se testantur memoriter retinere. Quare nos humiliter supplicastis, ut latam super hoc ab eodem prædecessore nostro sententiam ratam habentes, Apostolico dignaremur munimine roborare. Vestris igitur justis precibus inclinati, sententiam ipsam ratam habentes, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Viterbii V idus decembris, pontificatus nostri anno quarto.

LXVII

Ad B. sacristam Nemausensem.

10 dec. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 636. Mss. La Porte du Theil.]

Institutionem ipsius auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., dilecto filio B. sacristæ Nemausen., salutem, etc.

Justis petentium desideriis, etc. Eapropter, etc., usque impartientes assensum, institutionem a dilecto filio nostro B. tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbytero cardinali, Apostolicæ Sedis legato, in sacristiam Nemausen. ecclesiæ de te factam auctoritate Apostolica roborantes, sacristiam ipsam cum pertinentiis suis, sicut eam juste possides et quiete, tibi auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis infringere... Si quis autem, etc. Datum Viterbii, IV idus decemb., anno quarto.

LXVIII

Ad abbates de Claro Marisco Cistercien., et S. Augustini Præmonstratensis ordinis, et... præpositum Wacinen., Morinensis diœcesis.

11 decemb. 1219.

[Regest., lib. IV, epist. 642. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut in causa inter episcopum Ambianensem et abbatem et conventum S. Richarii super jurisdictione quadam, episcopum ipsum ad expensarum restitutionem cogant, et partes aliunde ad Sedem Apostolicam remittant.

Honorius, etc., dilectis filiis... de Claro

Marisco, Cistercien. ordinis, et... Sancti Augustini Præmonstraten. ordinis abbatibus et... præposito Wacinen., salutem, etc.

Quum felicis memoriæ Innocentius papa, prædecessor noster, ortam dudum quæstionem inter ven. fratrem nostrum... episcopum Ambianen. ex parte una, et dilectos filios... abbatem, et conventum Sancti Richarii in Pontivo Ambianen. diœcesis ex altera, super subjectione, quam ab eis idem episcopus exigebat, bonæ memoriæ Suessionen. episcopo et ejus conjudicibus commisisset, et iidem causam ipsam ad eum remisissent de partium voluntate, ipse, partibus in ejus præsentia constitutis, auditorem dedit ven. fratrem nostrum P. episcopum Albanen., coram quo, cum præfatus episcopus possessorium intentando professionem a quibusdam abbatibus dicti monasterii Ambianen. episcopo factam, et benedictionem illis ab episcopo ipso impensam, procurationem eidem tanquam loci diœcesano exhibitam, sessionem in synodo cum cappa serica, et baculo pastorali, consecrationem altarium et ordinationem monachorum dicti monasterii, tonsurationem clericorum in ipso monasterio et prædicationem in paraviso factam legitime probavisset; parte altera respondente quod, etsi aliquando Ambianen. episcopus prædicta in eodem monasterio per quorumdam abbatum incuriam indebite usurpaverat, id tamen ipsi nocere monasterio non debebat, cum esset omnino exemptum et contra hujusmodi exactiones vallatum privilegiis, et indulgentiis pontificum Romanorum, idem prædecessor noster, his et aliis, quæ coram auditore ipso fuere proposita, plenius intellectis, præfato episcopo qui possessorium intentarat possessionem adjudicavit omnium prædictorum, ita tamen quod, nisi usque ad duos annos super petitorio suam posset intentionem fundare, monasterium ipsum ex tunc esset ab eorum præstatione penitus absolutum, perpetuo silentio super his imposito episcopo memorato, cum per privilegia et indulgentias Apostolicæ Sedis exhibitas in judicio liquido appareret illud esse liberum et exemptum; unde... abbati sancti Auberti et... archidiacono et... thesaurario Cameracen. suis dedit litteris in mandatis, ut quod ab eo fuerat sententialiter diffinitum executioni mandantes reciperent super petitorio probationes ipsius episcopi ac defensiones monasterii memorati, ipsamque causam, si de partium consensu procederet, concordia vel judicio terminarent. Alioquin eamdem ad Apostolicum examen remitterent sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum competentem, quo venirent sententiam recepturæ.

Nuper autem procuratores ipsius monasterii ad nostram præsentiam accedentes proposuerunt, quod idem episcopus, post dictam prædecessoris nostri sententiam, accedens ad monasterium memoratum procurationem sibi cum processione petiit exhiberi : abbas vero et conventus processionem, cum non esset de articulis probatis et comprehensis, in sententia memorata denegantes eidem procurationem ei curaverunt humiliter exhibere, quam episcopus ipse recipiens asseruit quod non acceptabat eamdem, eo quod processionaliter receptus non fuerat cum ea vice primum post consecrationem suam ad prædictum monasterium accessisset. Procuratoribus igitur partium propter hoc in executorum præsentia constitutis de ipsorum procuratorum assensu ordinatum extitit et condictum, ut ipsum episcopum cum processione ad procurationem reciperent iterato, quod nihilominus humiliter compleverunt, receptis ab ipso episcopo litteris, quod caritative procurationem aliam recepisset; episcopus vero procurationem eamdem cum processione recipiens se nec illam acceptare nihilominus affirmavit eo quod non exercebat visitationis officium in monasterio sæpedicto, abbate et conventu eum, sicut iidem procuratores confessi sunt, nequaquam ad hujusmodi officium admittentibus, eo quod visitatio non erat de probatis articulis, et in prædicta sententia comprehensis. Denique iidem abbas et conventus præfatum episcopum, quantum in ipsis fuit, restituerunt ad omnes articulos expressos, in sententia sæpedicta, et sic pluribus terminis ad procedendum in causa proprietatis episcopo assignatis, ad quos pars monasterii veniens frustra labores subiit, et expensas, ipsis judicibus suam statutis terminis præsentiam non curantibus exhibere. Demum cum et judices suam tandem exhibuissent præsentiam, et procurator episcopi processurus super petitorio crederetur cum ad hoc fuisset ei terminus assignatus, idem procurator proposuit coram judicibus ipsis quod nolebat in causa proprietatis procedere, donec episcopus restitutus esset ad

procurationem anni proximi a tempore sententiæ promulgatæ, asserens quod idem episcopus in petitione, quam fecerat de articulis executioni mandandis memor procurationis non fuerat antedictæ, et adjiciens nihilominus quod ante litis ingressum restitui volebat episcopum ad procurationem, quam postmodum cum processione receperat, dicens quod non fuerat exhibita ut debebat eo quod sequenti die familiæ ipsius episcopi fuerat comestio denegata, monachis, sicut iidem procuratores de plano confessi sunt id merito facientibus cum præcedenti die procurationem solemnem idem episcopus recepisset. Procuratore igitur ipsius episcopi hujusmodi dilationibus insistente, abbas et conventus prædicti considerantes per dilationes ipsas sibi præjudicium generari, cum a tempore latæ sententiæ non solum biennium, verum etiam fere quadriennium effluxisset, et episcopus iterum commoda possessionis percipiens curaret proprietatis judicium inchoare, utpote cui expediret semper stare in possessione prædicta, et eos tenere quodam modo in servitute, si posset, timentes etiam ne judices, quorum absentias suspicabantur fuisse malitiose a parte episcopi procuratas, adhuc in favorem ejusdem episcopi negotium diutius protrahant, Sedem Apostolicam appellarunt, et ad præsentiam nostram procuratores curaverunt transmittere supradictos. Cumque nullus pro parte altera compareret, nisi quidam, qui ad impetrandum et contradicendum duntaxat fuerat destinatus, dicti procuratores humiliter postularunt, ut cum præfatus episcopus infra tempus in sententia supradicta statutum in causa proprietatis procedere non curavit, abbate et conventu semper paratis procedere in eadem, monasterium ipsum pronuntiaremus liberum et exemptum super procuratione ac aliis supradictis perpetuum ipsi episcopo silentium imponentes, juxta tenorem sententiæ sæpedictæ. Licet igitur de rigore possemus contra ipsum episcopum severius processisse, cum tempus culpa sua effluxisse inutile videatur, ut tamen occasionem non habeat murmurandi spatium sex mensium inchoandorum in kalendis martii proximis ei ad probandam intentionem suam super petitorio, cessantibus excessionibus supradictis, quas frivolas reputamus, duximus indulgendum, eumdem in expensis, quas monasterium pro hac causa fecit a tempore appellationis ad Apostolicam Sedem emisse, ipsi monasterio condemnantes ac decernentes irritum, si quid post appellationem eamdem super hoc factum fuit per judices supradictos.

Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum episcopum ad restitutionem expensarum ipsarum per districtionem canonicam, appellatione remota, cogentes, ac nuntiantes irritum, si quid post appellationem prædictam per præfatos judices extitit attentatum, probationes, quas idem episcopus infra præscriptum tempus super petitorio duxerit inducendas, ac defensiones monasterii memorati recipere procuretis, et injungatis partibus, ut in fine termini prætaxati in proximi septembris kalendis, videlicet cum probationibus et defensionibus suis, apostolico se conspectui repræsentent, sententiam recepturæ, denuntiantes eidem episcopo, quod si jam dicto termino neglexerit in nostra præsentia per se vel procuratorem idoneum comparere, nos nihilominus in negotio ipso, quantum suadebit ratio, procedemus. Testes autem qui fuerint evocandi, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Nullis litteris obstantibus harum tenore tacito a Sede Apostolica impetratis, nec obstante, quod fuerit in litteris jamdicti nostri prædecessoris expressum, ut litteræ impetratæ absque consensu partium non valerent. Quod si non omnes, etc. Datum Viterbii, tertio idus decembris, pontificatus nostri anno quarto.

LXIX

Ad Volmarum plebanum de Kilcheim et Burchardum fratrem suum.

12 decemb. 1219.

[Schæpflin, Hist. zar. Badens, IV, 149.]

Compositionem de jure patronatus trium ecclesiarum, mediante Constantiensi episcopo factam, confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis Volmaro plebano de Kilcheim, et Burchardo fratri suo, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus

grato concurrentes assensu, compositionem inter vos ex parte una et Algottum ac quosdam alios Constantiensis diœcesis ex altera, super jure patronatus de Kilcheim de Matera et Emmuetingen ecclesiarum mediante venerabili fratre nostro Constantiensi episcopo amicabiliter initam, sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta et in instrumento ejusdem episcopi confecto exinde continetur, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis, etc. Datum Viterbii, II idus decembris, pontificatus nostri anno quarto.

LXX

Ad Conradum episcopum Portuensem.

13 decemb. 1219.

[Martene, Thes. Anecd., I, 899.]

Ipsi concedit potestatem, ut eos in terra legationis suæ, qni solo nomine regulares sua perversitate ecclesias, in quibus consistunt, fere penitus collabi fecerint, collocet in aliis locis, ad pœnitentiam peragendam.

Honorius, etc., venerabili fratri C. episcopo Portuensi, Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum in terra legationis tuæ multi sint, sicut accepimus, solo nomine regulares, per quorum perversitatem ecclesiæ in quibus consistunt fere penitus in spiritualibus et temporalibus sunt collapsæ, collocandi eos in aliis locis ad pœnitentiam peragendam, ac ordinandi easdem ecclesias de personis regularibus, seu etiam sæcularibus, prout pensatis locorum et temporum circumstantiis videris expedire, liberam tibi concedimus auctoritate præsentium potestatem. Datum Viterbii, id. decembris, pontificatus nostri anno quarto.

LXXI

Ad abbatem Columbæ.

28 dec. 1219.

[Manrique, Ann. Cistercien., t. IV, p. 166, fragm.]

Ei injungit ut tribuat Placentino episcopo licentiam alienandi usque ad quantitatem mille librarum de possessionibus ipsius episcopi.

Ut Placentino episcopo sub immenso ære alieno, et redditibus ejus succumbenti, si viderit expedire, licentiam tribuat alienandi usque ad quantitatem mille librarum de possessionibus ipsius episcopi, quas minus utiles esse judicaverit. Dat. Viterbii, quinto kal. januarii, pontific. Honorii anno quarto.

LXXII

Ad abbatem Reddageshusen et majorem Hildensemensem et de Embike, scolaticos Maguntinensis et Halverstadensis diœcesum.

31 dec. 1219.

[Lappenberg, Hamb. UB. I, 380, n. 436.]

Eis mandat ut investigent num fuerit canonica a Bremensibus canonicis facta electio Gerardi præpositi Palbornensis in Bremensem archiepiscopum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, abbati de Reddageshusen et majori Hildensemensem et de Embike scolasticis, Moguntinensis et Halverstadensis diœcesum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exhibitæ nobis dilectorum filiorum, præpositi decani ac capituli Hamemburgensis, litteræ continebant, quod quum eorum ecclesia, quæ metropolico, sicut in apostolis privilegiis contineri asserunt, honore fulgebat, et Bremensis, quæ dignitatem inferiorem habebat, fuissent auctoritate Sedis Apostolicæ unitæ, tali prærogativa eidem Hamemburgensi ecclesiæ reservata, ut pro eo, quod fuerat dignitate superior, ipsius canonici Bremensibus in pontificis electione præcederent, et idem pontifex ab Hamemburgensi ecclesia archiepiscopus diceretur, ex tunc Hamemburgenses canonici simul cum Bremensibus sibi pontificem elegerunt. Nuper vero bonæ memoriæ G., ipsorum archiepiscopo, rebus humanis exempto, cum præfati Bremenses canonici, eis irrequisitis et præposito prædicto erat excluso, ad electionem archiepiscopi procedere niterentur, idem præpositus pro se ac ejus ecclesia Sedem Apostolicam appellavit. Sed iidem Bremenses appellationem contempserunt, G. Palbornensem præpositum in Bremensem archiepiscopum eligentes. Unde prædicti Hamemburgenses canonici postularunt a nobis, ut et ipsorum privilegia, quæ præfati Bremenses detinent, sibi reddi, et eis jure eligendi, quo se injuste spoliatos asserunt, restituto, in irritum revocari quidquid super hoc, post appellationem ad nos legitime interpositam, contra eos attentatum extitit, mandaremus, causam super iis aliquibus committendo. Nos igitur de discretionis vestræ prudentia confidentes, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evo-

candi et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, etc. Nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus a Sede Apostolica impetratis... Quod si non omnes iis exsequendis, etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum II kalendas januarii, pontificatus nostri anno quarto.

LXXIII

Ad universos episcopos per Turonensem provinciam constitutos.

..... 1219.

[Martene, Ampliss. Collect., V, 1480.]

Rogat ut ad subventionem exercitus christiani in Terra Sancta intendant, factasque a principio indulgentias innovat.

Honorius, etc., universis episcopis fidelibus per Turonensem provinciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exultet in Domino suorum turba fidelium et eis vocem benedictionis, gratiarum et laudis lætabunda prorumpens, cum apostolo dicat : *Benedictus Deus*, etc., *qui nos in omni tribulatione consolatur*. Nimis quidem natus est sibi soli, nimis intentus est propriis, nimis negligit communem causam populi christiani, qui diebus nostris in mentis augustia et tribulatione non fuit, cum sciret christianum exercitum civitatem Damiatæ magnam et munitissimam obsedisse, in ipso quasi medio paganismi, ubi a fidelibus aliis tanto terrarum et maris intervallo divisus, et ab infidelibus ex omni fere parte circumdatus, non tam obsidens dici poterat quam obsessus. Cujus vestrum animus ad dubium non pendebat et pavebat eventum, non tam pro singulorum salute sollicitus, quam pro universo exercitu, spe ac timore alternante, suspensus? Immo quis ipsius non obliviscebatur exercitus? Quis ejus recordabatur periculi, pensans sub quanto staret discrimine, quamve tenui filo penderet honor totius populi christiani? Profecto in eo erat statu res posita, ut idem exercitus de viribus suis jam omnino diffideret, et memor magnalium quæ divina potentia pro fidelibus suis facere consuevit, de ipsius sola miseratione speraret. Unde ipse qui de sua sperantes misericordia non relinquit, qui prope est omnibus invocantibus in veritate nomen ejus, qui suos tribulatione dilatat, ut cum se consumptos putaverint, velut Lucifer oriantur. Ecce in eorum manibus tam mirabiliter quam misericorditer antedictam tradidit civitatem, non solis thesauris, sed etiam victualibus, longe plus spe ac opinione repletam. Et ut hujus rei gloriam evidenter nomini suo daret, nullus christianorum in ejus captione interiit, aut etiam lethale vulnus excepit, sicut venerabilium fratrum nostrorum P. Albanensis episcopi Apostolicæ Sedis legati, cujus ministerio Deus potissimum uti voluit in hoc facto, necnon patriarchæ Jerosolymitani et regis et fratrum hospitalis et templi, ac domus Teutonicorum, Jerosolymis litteræ nobis missæ liquido manifestant, ut manifeste divini favoris lætarentur et confortarentur indicio, quum timerent ne ipsis civitatem intrantibus, circumstans Sarracenorum exercitus castra invaderet eorumdem, flumen divino nutu adeo inundavit subito ut inaccessibilia reddiderit castra ipsa : et manifeste patuit quod pro Christicolis contra insensatos ipsa elementa pugnarent, pluribus miraculis aliis ibi factis, quæ longum esset per singula enarrare. Psallite ergo Deo nostro, psallite : psallite quidem, sed utique sapienter, non elatione tumidi, sed humilitate devoti, recognoscentes prudenter et humiliter confitentes, quod non manus humana, sed Dominus fecit hæc omnia, ut qui gloriatur, in Domino glorietur, eique laudes et gratias, factis per singula opportuna loca processionibus, solemniter exsolventes. Porro cum Dominus fecerit nobiscum signum in bonum, cum tantum nobis ostium aperuit, numquid deerimus gratiæ suam nobis dexteram porrigentis, qui memor est improperiorum suorum, quæ sunt a Sarracenis insipientibus tota die, exsurgens judicare cœpit causam suam et inimicos suos terribiliter dissipare? Nunc certe, nunc tempus est de somno torporis exsurgere, nunc necesse est athletis nostris existentibus ibi succurrere festinanter, et idololatris a Dei facie fugientibus, toto conatu, totis viribus, toto posse rerum et personarum instare, dum recenti adhuc vulnere trepidant, dum ex captione civitatis prædictæ, quæ caput et robur Ægypti fuerat, consternati, nullum locum sibi contra Christianorum, immo contra Christi potentiam tutum putant. Denique numquam subventione amplius indi-

guit exercitus Christianus, quum nequaquam sufficiant ad prædictam incolere civitatem, et procedere ad alias impugnandas sine quibus cum illa teneri a Christianis non possit, non restat nisi aut eam cum tanta gloria conquisitam ignominiose deserere, aut circumstantes expugnare viriliter, et Christiano nomini præeunte judicio feliciter subjugare. Nos quidem futuris præterita coaptantes, illa videmur tempora intueri quibus Machabæi sancta sua, profligatis gentibus, cum magna populi sui lætitia restaurarunt, et de divinæ pietatis abundantia confidentes, speramus quod modernis temporibus hæc in populo Christiano debeat lætitia innovari. Monemus igitur universitatem vestram, rogamus et obsecramus per aspersionem sanguinis Jesu Christi, quatenus accensi hujus lætitiæ desiderio, ad subventionem exercitus sæpedicti, renovatis animis et viribus, in tantæ opportunitatis articulo intendatis. Nos autem factas a principio indulgentias innovantes, omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint, et expensis, ac eis nihilominus, qui non in propriis personis accesserint, sed in expensis suis juxta facultates suas viros idoneos destinaverint, necnon et aliis qui, licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum peccatorum, de quibus fuerint et corde contriti, ex ore confessi, veniam indulgemus, et in retributione justorum æterni præmii pollicemur augmentum. Hujus quoque remissionis volumus et concedimus esse participes juxta quantitatem subsidii et devotionis affectum, omnes qui ad subventionem prædicti negotii de bonis suis congrue ministrabunt, aut impendent consilium vel auxilium opportunum.

LXXIV

Ad Saviniacensem et Vadacensem abbates et magistrum scholarum Andegaven.

28 januar. 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 692; Regest., lib. IV, epist. 646.]

Notum eis facit se concordiam pro bono pacis inter Stephanum Nannetensem episcopum ac Petrum comitem Britanniæ initam confirmavisse, eisque mandat, ut, cura ipsorum, hæc compositio, cujus tenor insertus est, per censuram ecclesiasticam firmiter observetur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de Saviniaco Cisterciensis ordinis et Vadacensi abbatibus, Abrincensis et Cenomanensis diœcesium, et magistro scholarum Andegavensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Accedens olim ad præsentiam nostram venerabilis frater noster Nannetensis episcopus (Stephanus) postulavit excommunicationis et interdicti sententias, quas in nobilem virum comitem Britanniæ ac terram suam pro violentia libertatum, ac multis et gravibus damnis et injuriis ab ipso comite atque suis, sibi et ecclesiæ suæ ac ejus subditis irrogatis, fractis etiam quibusdam compositionibus inter eos initis, intulerat, et metropolitanus postmodum confirmarat, necnon illas quas idem metropolitanus in provinciali concilio promulgaverat in eumdem, Apostolico munimine roborari. Nos autem dilectis filiis cantori et magistris Juello et Raetio, canonicis Cenomanensibus, dedimus in mandatis, ut, si comes prædictus præstaret de damnis et injuriis tam circa libertates quam alia manifestis emendam, ac deinde sufficientem, quod staret juri super dubiis, cautionem, relaxarent sententias memoratas; alioquin ipsas, sicut rationabiliter essent latæ, auctoritate Apostolica facerent usque ad satisfactionem congruam inviolabiliter observari.

Quumque super iis jamdicti judices processissent, parte comitis appellante, memoratus episcopus et procuratores comitis, videlicet Oliverius miles, qui ad litigandum et comprehendum, et Rotonensis abbas, qui ad componendum speciale mandatum habebant, in nostra comparuerunt præsentia: quibus dilectum filium nostrum Th. tituli Sanctæ Sabinæ presbyterum cardinalem concessimus auditorem, quo mediante, amicabiliter provenit compositio inter eos, cujus tenorem de verbo ad verbum præsentibus jussimus annotari, qui talis est:

In hanc formam compositionis tam episcopus Nannetensis, quam procuratores comitis, convenerunt:

1. Comes Britanniæ restituet episcopo et capitulo terram suam, et redditus inde perceptos tam per se quam per suos, tam in decimis quam in aliis, tallias, fumagium et exactiones alias, quocumque modo, tam per se quam per suos, extortas; et quitabit coram judicibus homagia et sacramenta, si qua habuit ab hominibus episcopi in præjudicium ipsius episcopi.

2. Revocabit in irritum banna quæ fecit contra libertates et antiquas ecclesiæ Nannetensis consuetudines, de lignis non vendendis, nisi de foresta sua; de pane non faciendo, nisi de farina sua; de sale non vendendo, nisi de suo; et assisias, et malam tostam, et si qua alia fecit contra libertates et consuetudines ecclesiæ Nannetensis; et sicuti fecit clamari sine consensu episcopi, faciet declamari supradicta, et in aliis libertatibus conservabit ecclesiam in eo statu in quo erat, quando primo venit ad comitatum, salvo jure proprietatis utrique parti in foro competenti.

3. Præterea promittet fideliter coram judicibus, quod defendet ecclesiam bona fide, secundum quod tenetur, et quod de cætero non spoliabit episcopum, nec ecclesiam, neque suos, et sasinis suis et libertatibus, quamdiu voluerint parere juri, ubi debuerint. Restituet autem damna comes ad sacramentum eorum qui damna passi sunt, cum taxatione judicum, vel eorum qui loco judicum recipient sacramenta; et si episcopus, vel sui, dubitaverint aliquos de hominibus comitis quod de suo aliquid habeant, comes coget eos per sacramentum dicere veritatem, et ablata restituere.

4. Habebit autem episcopus pro debito undecim millium solidorum, exceptis solutis, quos debebat ei comes pro aliis damnis, et pro quibus redditus suos de Gerrandia ei obligaverat, redditus quos inde habuit comes a tempore quo de terra illa spoliatus fuit episcopus, et ad sacramentum illorum qui receperunt, ita quod comes compellat eos dicere veritatem; et, nisi de redditibus inde habitis plenaria facta fuerit solutio, quod episcopus habeat redditus, donec solutio fiat, et sacramentum ballivorum de solutione fideliter facienda, sicut ante de mandato comitis habebat.

5. Præterea habebit episcopus a comite pro damnis sibi datis, antequam comes absolvatur, quingentas libras bonæ monetæ currentis in pecunia numerata; et pro residuo aliorum damnorum, et pro ducentis viginti libris probatis, quas debebat comes pro eleemosyna Danielis Avis episcopo et suis, et pro rebus habitis a tempore quo spoliatus fuit episcopus de redditibus comitis de Gerrandia, ei pro undecim millibus solidis assignatis dabit comes competentia pignora auri et argenti in manu judicum, secundum quantitatem rei quam extimaverunt episcopus et sui posse probari; et judices, facta probatione ab episcopo et suis, ut prædictum est, reddent pignora episcopo sine contradictione et dilatione aliqua, tam de ducentis et viginti libris prædictis et probatis, quam de aliis quæ probaverint, secundum quantitatem ab eis probatam.

6. Et similiter reddent pignora [judices] episcopo, habito sacramento de ballivis comitis de rebus habitis, de redditibus comitis episcopo assignatis in Gerrandia a tempore quo spoliatus fuit, secundum quantitatem quam se juraverint recepisse, et secundum quod successive probabitur ab episcopo et a suis, dentur (*a*) pignora episcopo successive a judicibus. Episcopus vero data sibi pignora a judicibus tenebitur servare usque ad quatuor menses; quibus transactis, vel ea recipiet in solutum, vel vendet.

7. Promittet etiam comes coram judicibus bona fide, quod non impediet per se, vel per suos, homines episcopi, quominus veniant probaturi damna sua. Si autem comes nollet interesse terminis assignatis a judicibus per se, vel per alium, ad audienda sacramenta hominum, nihilominus per judices, vel per eos qui essent loco judicum, probationes episcopi et suorum audirentur, et episcopo redderentur pignora, sicut superius est notatum.

Pro factis Alani dabuntur pignora episcopo ab abbate Rothonensi de novem millibus solidis quæ servabit episcopus usque ad quatuor menses, quibus transactis, vel vendet, vel recipiet in solutum; pro domibus vero reædificandis in tam bono statu, vel meliori, quando combustæ fuerunt, et infra Nativitatem Domini proxime venturam tradentur pignora ab abbate prædicto.

8. Promittet etiam comes coram judicibus, quod bona fide coget Alanum et suos complices ad pœnitentiam corporalem, secundum quod eis a judicibus injungetur, vel, si noluerint, eliminabit eos de toto comitatu suo. Hæc autem debent præcedere, antequam sententiæ relaxentur, scilicet restitutio terræ episcopi et capituli; quitatio homagiorum et sacramentorum extortorum in præjudicium episcopi; revocatio et declaratio bannorum supradictorum et assisiarum et malætostæ; promissio

(*a*) *Lege* : reddentur.

coram judicibus, quod comes conservet ecclesiam, et quod de cætero non spoliet eam, sicut supra dictum est; et solutio quingentarum librarum pro damnis episcopo datis, et datio pignorum pro residuo aliorum damnorum, et pro ducentis et viginti libris, et pro redditibus Gerrandiæ habitis, episcopo, ut dictum est, assignatis; et promissio coram judicibus, quod non impediet per se, vel per suos, homines, quominus veniant probaturi damna sua; datio pignorum novem millium solidorum ab abbate prædicto, pro factis Alani et pro reædificatione domorum episcopi, et promissio coram judicibus, quod compellat Alanum ad corporalem pœnitentiam, ut dictum est, vel eliminet de terra sua. Quibus peractis, comes absolvatur, et interdicti sententia relaxetur ab illis quibus dominus Papa scripserit super compositione servanda.

9. De combustione burgi de Marchileo, et de destructione domorum propter fossata in terra episcopi facta, et occupatione terræ, et de redemptione Brittonis Hosin, de quibus erat contentio inter episcopum et comitem, ponit, sicut alia vice, pro bono pacis episcopus in respectu.

Nos igitur, compositionem ipsam ratam et gratam habentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus faciatis eamdem, auctoritate nostra, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, firmiter observari; ad absolutionem comitis et ad relaxationem interdicti, non nisi observata forma compositionis hujusmodi, processuri, nullis litteris obstantibus, præter assensum partium a Sede Apostolica impetratis (1). Quod si non omnes, etc.

Datum Viterbii, V kal. februarii, pontificatus nostri anno quarto.

(1) Anno 1221, Petrus, dux Britanniæ, cum Nannetensi ecclesia conciliatus, libertates ejus et jura rata fecit, et illata eidem damna plurima resarcivit decreto quod exstat apud Moricium, t. I, Hist. Britan. probat. col. 846 :

« Universis, etc., Petrus, dux Britanniæ, comes Richemundiæ, cum inter me et Nannetensem ecclesiam controversia extitisset super quibusdam libertatibus et sesinis, tandem devenimus ad hanc pacem, quod ego bona fide volo et concedo quod ecclesia beati Petri Nannetensis et sui omnes libertates suas et sesinas in bona pace teneant in eo statu quo exstiterant quando veni ad comitatum Britanniæ, revocando in irritum banna facta contra libertates et consuetudines et sesinas ecclesiæ Nannetensis. Post compositionem factam inter nos coram judicibus a Sede Apostolica delegatis, et ecclesiam Nannetensem in suis libertatibus, etc... bona protegam ; damna vero quæ episcopo Nannetensi et suis a me et meis facta fuerunt, restituam ad juramentum Jocelini, archidiaconi, Thomæ, thesaurarii, et R. de Spina, decani Volo etiam et concedo, quod episcopus in Judæis in suo feodo manentibus eamdem jurisdictionem obtineat, quam antecessores sui habuerunt in eis, vel ipsi a feodo episcopi abeant et recedant, etc. »

« Actum Nannetis, in crastino cathedræ beati Petri, anno Domini MCCXXI, [1222, die 18 januarii]. » (Bouquet.)

LXXV

Ad abbates Præmonstratensem, Laudunensem, Sancti Vedasti Atrebatensis, et Sancti Eligii Noviomensis.

30 januar. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 648. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam ad monasterium Sancti Medardi Suessionensis accedendi, et de Rod. de Brana, ejusdem monasterii monachi, in ejusdem monasterii abbatem electione inquirendi, et, si canonica visa fuerit, illam confirmandi.

Honorius, etc., dilectis filiis... Præmonstraten. Laudunen. diœc. et... Sancti Vedasti Atrebaten. et... Sancti Eligii Noviomen. abbatibus, salutem, etc.

Ex litteris dilectorum filiorum... prioris et conventus monasterii Sancti Medardi Suessionen. intelleximus, quod bonæ memoriæ Milone abbate ipsorum viam universæ carnis ingresso, ipsi dilectum filium Rod. de Brana, ejusdem monasterii monachum, quem de moribus, vitæ honestate, ac religione commendant, in abbatem sibi canonice, et concorditer elegerunt, ipsius electionem confirmari per nos, dilectis filiis C. et J. monachis ipsius monasterii ad nostram propter hoc transmissis, præsentiam humiliter postulantes. Nos autem eorum quam hujusmodi negotium desiderat certitudinem non habéntes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de modo electionis, studiis eligentium et electi meritis inquirentes prudenter et sollicite veritatem, si electionem eamdem canonice celebratam [fuisse] constiterit, eam, appellatione cessante, auctoritate Apostolica confirmetis, venerabili fratri nostro... Noviomen. episcopo injungentes, ut eidem R. vice nostra munus benedictionis impendat. Alioquin ea cassata, eidem monasterio auctoritate nostra de persona faciatis idonea

per electionem canonicam, sublato appellationis obstaculo, provideri. Quod si non omnes, etc. Datum Viterbii, tertio kalend. februarii, pontificatus nostri anno quarto.

LXXVI

Ad decanum et capitulum Sancti Petri Castletensis, Morinensis diœcesis.

31 januar. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 650. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget eis ut præbendam unam præposituræ ipsorum ecclesiæ adjungere possent.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano, et capitulo Sancti Petri Castleten., Morinen. diœcesis, salutem, etc.

Exhibita nobis ex parte vestra petitio continebat, quod... cum præpositus vester ex eo quod ratione præposituræ suæ animarum curam obtinet, deberet in vestra ecclesia residere, ipse nequiens ex ejusdem præposituræ redditibus, quos nimis tenues esse dicitis, sustentari, non solum in ea non residet, verum etiam extra ipsam pro majore parte temporis commoratur, ex cujus absentia gravia sæpe proveniunt eidem ecclesiæ detrimenta. Unde cum, sicut asseritis, ecclesia ipsa viginti præbendas habeat, quarum unam si de nostra vobis permissione liceat annectere præposituræ ipsi velletis, ut ex necessariorum defectu se absentare a præfata ecclesia vester præpositus non cogatur, nobis humiliter supplicastis, ut id per vos fieri pateremur. Nos ergo cupientes ecclesiæ prædictæ profectum, ejus libenter dispendiis occurrimus, et utilitatibus providemus, ratum quod super hoc cum diœcesani vestri assensu provide et utiliter statuendum duxeritis habituri. Datum Viterbii, secundo kalend. februarii, pontificatus nostri anno quarto.

LXXVII

Ad decanum et capitulum Tullenses.

2 febr. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 653. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut Johannem pauperem clericum in canonicum et fratrem recipiant.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano et capitulo Tullen., salutem, etc.

Johannes pauper clericus in nostra proposuit præsentia constitutus, quod licet ipse in Tullen. ecclesia, in qua fuit ab infantia tenera enutritus, diu servierit fideliter et devote, nondum tamen in ea beneficium aliquod est adeptus, quum obtulerit sæpius se facultas; unde postulavit a nobis humiliter dilectis filiis, magistro Guillelmo subdiacono nostro et Jorin. archidiaconis Tullen. supplicantibus pro eodem ut cum quædam præbendæ ad præsens in ecclesia ipsa vacent, in earum aliqua faceremus eidem de benignitate Sedis Apostolicæ provideri. Quum igitur pauperum clericorum provisio in se opus contineat pietatis, universitatem vestram rogandam duximus, et hortandam per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dictum J. divinæ pietatis intuitu et pro Apostolicæ Sedis et nostra reverentia in canonicum recipientes et in fratrem eidem unam ex ipsis præbendis vacantibus liberaliter conferatis. Datum Viterbii, quarto nonas februarii, pontificatus nostri anno quarto.

Scriptum est super hoc... episcopo et primicerio Virdunen., ut dictos decanum et capitulum ad id attentius moneant et inducant. Datum ut supra.

LXXVIII

Ad capitulum Pictavensem.

4 feb. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 649. Mss. La Porte du Theil.]

Illos a petitione Petri Fulcherii, qui litteris apostolicis, falsa expositione obtentis, canonicam in ipsorum ecclesia petebat, absolvit.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo ecclesiæ Sancti Hilarii Pictaven., salutem, etc.

Constitutis in præsentia nostra Petro Fulcherii clerico et Bonino procuratore vestro, dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum, diaconum cardinalem, dedimus auditorem, coram quo clericus proposuit memoratus, quod... abbas Talemun... et conjudices ejus ipsum investiverunt de canonica ecclesiæ vestræ nostri auctoritate mandati, stallum in choro assignantes eidem, et in vos, eo quod illorum facto vos temere opponebatis, excommunicationis sententiam proferentes; unde petebat, ut illorum processum Apostolico roborare munimine dignaremur. Procurator vero vester proposuit ex adverso quod litteræ nostræ, quarum auctoritate processerant judices memorati, per expressum mendacium fuerant impetratæ. Quumque id fuisset propositum coram judicibus ipsis, et eis hanc et alias exceptiones vestras legitimas admittere recusantibus, ad nos fuisset appellatum, pro vobis

ipsi tam appellatione quam exceptionibus vestris pro sua voluntate contemptis, processerunt ad omnia supradicta; quare petebat illorum processum irritum nuntiari, et absolvi vos a petitione clerici memorati. Nos igitur, iis et aliis propositis et ostensis coram auditore prædicto plenius intellectis, quia constitit præfatas litteras fuisse per falsi suggestionem obtentas, litteras ipsas, et habitum earum occasione processum decrevimus non valere, vos ab impetitione præfati clerici absolventes. Datum Viterbii, secundo nonas februarii, pontificatus nostri anno quarto.

LXXIX

Ad priorem et conventum Sancti Medardi Suessionensis.

10 feb. 1220.

[Regest., lib. IV, ep. 657. Mss. La Porte du Theil.]

Statutum quoddam, pro monachorum sustentatione provide factum, auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis... priori et conventui monasterii Sancti Medardi Suessionen., salutem, etc.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium desideriis favorem benevolum impertiri. Eapropter, dilecti filii, vestris precibus annuentes, personas vestras, et monasterium in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus. Quum autem, sicut vobis referentibus intelleximus exigente utilitate, honestate, ac necessitate monasterii vestri, de vestri abbatis assensu, duxeritis statuendum, ut pro vestibus et aliis honestis, et necessariis usibus vestris annuatim certi ejusdem monasterii redditus deputentur, et quod tam prædicti quam quidam alii redditus quos emistis, nec non quarumdam vinearum, et aliarum possessionum proventus collati, vobis, pietatis intuitu, pro vestri refectione ac aliis necessariis deputati, in nullos usus alios transferantur, nos statutum hujusmodi, sicut provide ac utiliter factum est, et in confectis exinde litteris continetur, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Viterbii, quarto idus februarii, pontificatus nostri anno quarto.

LXXX

Ad clerum tam civitatis quam diœcesis Argentinensis.

13 feb. 1220.

[Wurtwein, Nova Subsidia dipl., XIII, 243.]

Ipsis remittit vicesimam a Concilio generali pro Terræ Sanctæ subsidio impositam.

Honorius, etc., dilectis filiis R. majori præposito, et A. majoris ecclesiæ canonico et B. Sancti Petri custodi, Argent., salutem et apostolicam benedictionem.

Exhibitæ nobis ex parte venerabilis fratris nostri Argentinensis episcopi et dilectorum filiorum cleri atque tam civitatis, quam diœcesis Argentinensis, litteræ continebant, quod eo suggerente, qui bonis consuevit actibus invidere, a tempore Concilii generalis guerris continuis regionis afflicti graviter et oppressi, ac alias rapinis et incendiis multipliciter lacessiti, tantam sterilitatem in anno sustinere præsenti, quod vitam inopem deducentes vix possint de tot calamitatibus respirare. Unde nobis ex parte memorati cleri per vos dilectos filios A. majoris ecclesiæ canonicum, et B. Sancti Petri custodem Argentinensem, ad hoc specialiter destinatos fuit humiliter supplicatum, ut cum propter præmissa et alia impedimenta juxta præfati statuta Concilii vicesimam non persolverint, ac velint in recompensationem ipsius certam solvere pecuniæ quantitatem, scilicet ducentas marcas argenti, secundum mandatum nostrum pro subsidio Terræ Sanctæ, ne sententia excommunicationis in detentores ipsius vicesimæ promulgata ligentur, providere de benignitate Sedis Apostolicæ dignaremur. Nos igitur ipsius cleri miseriam misericorditer miserantes, et paupertati compatientes, ipsius oblatam per vos A. et B. nuncios pecuniam acceptavimus, eidem episcopo nostris dantes litteris in præceptis, ut viros idoneos et honestos de civitate ac diœcesi supradictis eligere studeat sine mora, qui facultatibus et aliis circumstantiis ipsius clerici diligentius indagatis taxare studeant, quid de solutione ipsius pecuniæ contingat quemlibet eorumdem. Idemque ipsos infra quindecim dies post receptionem præsentium, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obsta-

culo, ad id per censuram ecclesiasticam compellere non omittat. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si dictus episcopus præceptum nostrum neglexerit adimplere, vos si qui clericorum ipsorum ultra prædictum tempus solvere distulerint, de memorata pecunia partem suam præter excommunicationis sententiam quam incurrent, ex tunc eos ad integram solutionem vicesimæ, per censuram ecclesiasticam, compellatis. Quod si, etc.

Datum Viterbii, idus februarii, pontificatus nostri anno quarto.

LXXXI

Ad universos archiepiscopos, et episcopos per Teutoniam constitutos.

16 feb. 1220.

[Scheid, Origg. Guelf. III, 878.]

Conradum, postea Hildesheimensem episcopum, Germaniæ præsulibus commendat.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, archipresbyteris, archidiaconis, præpositis et aliis ecclesiarum prælatis per Teutoniam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi ejus exemplo, cui sumus licet immeriti vicarii constituti, quod uni ex minimis nostris fit, nobis fieri reputantes, nostros quoslibet velimus honorari ministros, illis tamen honorem exhibitum amplius acceptamus, quibus majora secundum propriam gratiam committentes, honores decernimus digniores, quod facile cognoscitur ex ipsa ministerii qualitate. Hinc est quod dilectum filium magistrum Conradum, capellanum et pœnitentiarium nostrum, scholasticum Maguntinum, virum utique potentem in opere et fervore, quem ad evangelizandum verbum crucis in partibus Teutoniæ providimus destinandum, vobis propensius commendamus, universitati vestræ per Apostolica scripta mandantes, quatenus eidem in necessariis et securo ducatu liberaliter providere curetis, ita ut cum, qui recipit prophetam, in nomine prophetæ, mercedem prophetæ recipere mereatur, Deum propitium et nos vobis exinde reddatis favorabiles et benignos.

Datum Viterbii, XIV kal. martii, pontificatus nostri anno quarto.

LXXXII

Ad universos Christi fideles.

17 februar. 1220.

[Rymer, Fœd. I, I, 85, etc.]

Hugo Lincolnien. episcopus sanctorum catalogo adscribitur; cum decreto, ut die depositionis ipsius, ejusdem festivitas annis singulis celebretur.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Divinæ dignatio pietatis, sanctos et electos suos in cœlestis regni felicitate locatos adhuc in terra miraculorum coruscatione clarificat, ut fidelium per hoc excitata devotio eorum suffragia digna veneratione deposcant. Quum igitur sanctæ recordationis Hugonem Lincolniensem episcopum, quem sicut nobis plenarie constat, divini muneris largitas tam in vita, quam etiam post vestem mortalitatis exutam, insignium miraculorum multitudine illustrarit, sanctorum catalogo adscripsimus; universitatem vestram monemus, exhortamur in Domino, quatenus ejus apud Deum patrocinia devote imploretis. Ad hæc statuentes, ut die depositionis ipsius ejusdem festivitas annis singulis devote de cætero celebretur. Data Viterbii, XIII kalendas martii pontificatus nostri anno quarto.

LXXXIII

Ad præpositum de Hongue.

20 feb. 1220.

[Sudendorf, Regist. II, 53, n° 35.]

Mandat ut suspensionis et excommunicationis sententias a magistro Conrado latas, inviolabiliter observari faciat.

Honorius, etc., dilectis filiis.. præposito de Hongue... custodi et magistro Salomoni canonico Herbipolensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia perversi difficile corriguntur, libenter se contra suos erigunt correctores, eligentes potius in sua computrescere corruptela quam a propria resipiscere pravitate, quasi fœdus cum morte fecerint et cum inferno inierint pactionem. Quum enim dilecto filio magistro Conrado, scolastico Maguntino, capellano et pœnitentiario nostro, nostris olim dedissemus litteris in mandatis, ut presbyteros et alios clericos in

sacris ordinibus constitutos per provinciam Maguntinam ad abjiciendas concubinas per censuram ecclesiasticam, appellatione remota compelleret juxta statuta Concilii generalis, ipso nostrum exsequi volente mandatum, quidam illorum nolentes intelligere, ut bene agerent, non solum salubria monita et mandata ipsius pertinaciter contempserunt, verum etiam ad majorem suæ iniquitatis cumulum, ipsum nisi sunt nequiter infamare, quod prædictæ litteræ a nobis non processerant, mentiendo, propter quod suspensionis et excommunicationis sententiæ, quas idem tulerat in rebelles, a quampluribus in ejus absentia, sicut dicitur, contemnuntur. Ut igitur os iniqua loquentium obstruatur et prædicti magistri veritas clarius enitescat, quem etiam pro suorum meritorum exigentia honoravimus, ipsum nostrum capellanum et pœnitentiarium assumendo, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatemus easdem sententias, appellatione remota, solemniter innovantes faciatis eas usque satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Data Viterbii X kal. martii pontificatus nostri anno quarto.

LXXXIV

Ad priorem et conventum Sancti Medardi Suessionensis.

10 febr. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 636. Mss. La Porte du Theil.]

Recipit eos sub protectione B. Petri cum enumeratione bonorum ad eos spectantium.

Honorius, etc., dilectis filiis... priori et conventui monasterii Sancti Medardi Suessionen. salutem, etc.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et monasterium in quo divino mancipati estis obsequio cum omnibus, quæ inpræsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem de cruce sancti Audoeni et de Rotundis ecclesias et Sanctæ Leocadiæ de Vico super Auxonam et de Rotundis, et Sancti Laurentii ante portam monasterii vestri capellas cum pertinentiis, et libertatibus et immunitatibus earumdem, sicut eas juste ac pacifice possidetis, vobis, et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Viterbii quarto idus februarii pontificatus nostri anno quarto.

LXXXV

Ad archidiaconos Sancti Andreæ et Dunkeldensem.

22 febr. 1220.

[Theiner, Monum. Hibern., p. 14, n. 32.]

Judicibus, ut causam inter quemdam militem et conventum S. Mariæ de Dumdraman ordine Cisterciensis diœcesis Candidæ Casæ vertentem canonice dirimant.

Honorius episcopus, dilectis filiis S. Andreæ et Dunkeldensi archidiaconis et magistro Johanni canonico Dunkeldensi, salutem.

Nicolao militi ac fratri E. monacho monasterii S. Mariæ de Dundraman Cisterciensis ordinis, diœcesis Candidæ Casæ, apud Sedem Apostolicam constitutis, dilectum filium nostrum S. Sancti Adriani diaconum cardinalem concessimus auditorem, in cujus præsentia miles proposuit nominatus, quod cum abbatem et conventum dicti monasterii pro eo, quod super quadam possessione ac rebus aliis injuriabantur eidem, coram abbate de Gedeworde et conjudicibus suis auctoritate Apostolica traxisset in causam, quia iidem abbas et conventus sibi respondere nolentes, sub prætextu cujusdam frivolæ appellationis in crastinum beati Andreæ apostolici interjectæ, recesserunt contumaciter a præsentia judicum prædictorum, ipsi eumdem militem causa rei servandæ in possessionem rei petitæ mittendum sententialiter decreverunt. Venerabili fratri nostro, episcopo Candidæ Casæ, ac priore de insula super hoc executoribus sibi datis, per quos cum in dicta possessione corporaliter fuisset inductus, parte altera procurante, fuit ejectus per violentiam ab eadem, alias sibi super hominibus, animalibus et aliis rebus suis, damnis plurimis irrogatis: unde cum dictus monachus super

præmissis a milite nominato coram eodem cardinali conventus fuerit, quod non nisi ad impetrandum et contradicendum procurator fuerat institutus, sicut ex litteris dictorum abbatis et conventus constitit evidenter, supplicavit humiliter idem miles, ut contra ipsos tanquam contumaces procedere deberemus, ac dure aliquibus in mandatis, qui eosdem pro eo quod, ad prosequendam appellationem emissam, procuratorem minus idoneum destinarunt, ipso eamdem personaliter prosequente, in resarciendis sibi damnis et expensis legitimis condemnantes, eo prius, sicut justum fuerit, restituto, causam audiant super his, quæ contra sæpedictos abbatem et conventum præfatus miles rationabiliter duxerit proponenda.

Ad hæc memoratus monachus proposuit ex adverso, quod cum sæpe nominatus miles coram prædictis judicibus eosdem abbatem et conventum super quadam possessione, ac rebus aliis traxisset in causam, prout superius est expressum, iidem excipiendo coram eisdem judicibus proponere curaverunt, sed ad respondendum dicto militi in eorum præsentia non teneri, tum quia ultra duas diætas ad judicium trahebantur contra instituta Concilii generalis, tum quia litteræ, per quas conveniebantur, ab excommunicato fuerant impetratæ, sed cum sæpedicti judices has legitimas exceptiones eorum admittere noluissent, dicti abbas et conventus, sentientes in his indebite se gravari, nostram andientiam appellarunt, iidemque hujusmodi eorumdem appellatione contempta processerunt in dicta causa perperam contra eos. Quapropter memoratus monachus postulavit, ut revocato in irritum quidquid, post appellationem præmissam, attentatum fuerat contra abbatem et conventum prædictos, causam eamdem delegaremus aliquibus terminandam, qui eisdem a dicto milite damna resarciri, et expensas, quas in causa eadem coacti sunt facere, propter ipsam restitui facientes, excommunicationem prolatam in ipsum usque ad satisfactionem condignam facerent inviolabiliter observari. Quia vero nobis super præmissis non potuit fieri plena fides, de assensu militis et monachi prædictorum discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si vobis constiterit dictos abbatem et conventum appellationi suæ supradictum terminum præfixisse, cum ad prosequendum eamdem sufficientem procuratorem non miserint, memorato milite ipsam personaliter prosequente, ipsos ad restituendas expensas a tempore appellationis factas eidem militi condemnantes, eodemque, sicut justum fuerit, primitus restituto, audiatis causam, et appellatione remota, fine debito terminetis, facientes, quod decreveritis, inviolabiliter observari. Testes autem, etc. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium a Sede Apostolica impetratis. Quod si non omnes, etc. Datum Viterbii, VIII Kal. Martii, pontificatus nostri anno quarto.

LXXXVI

Ad crucesignatos Damiata potitos.

24 feb. 1220.

[Raynaldi, Annal. eccl., ad ann. 1219, § 18, 19.]

De captione Damiatæ gratulatio; nova subsidia pollicetur Honorius.

Deest initium.—Etsi humanæ conditionis infirmitas non sufficiat dignas grates exsolvere Domino Deo nostro, super inenarrabili dono ejus et multitudine misericordiæ suæ, quam in captione Damiatæ fecit nobiscum, et cum aliis invocantibus nomen ejus, graves labores vestros, ac longas afflictiones, et continua pericula miseratus, receptis tamen diu desideratis hujus lætitiæ nuntiis, toto mentis annisu dignationis divinæ beneficio assurreximus, et in toto corde nostro confitentes eidem, et mirabilia ejus pro nostræ possibilitatis modulo enarrantes, et processionaliter gratias et laudes exsolvimus, et exsolvi mandavimus per omnes fere provincias christianas, insinuantes eisdem quantum nunc egeatis multitudine sociorum.

Cum vos oporteat et civitatem prædictam incolere, et convicinas, sine quibus illa retineri vix posset, Christiano nomini, si desuper datum fuerit, subjugare, fideles ad succursum vestrum per litteras nostras animare studuimus, et per viros idoneos mandavimus animari, factas propter hoc a principio indulgentias innovantes, ac mandantes, ut illi, qui jam sunt crucis caractere insigniti, cogantur ad exsequenda celeriter vota sua... Ne autem occasione terræ vobis jam datæ a Domino, vel sicut speramus, in posterum dandæ aliqua, quod absit, inter vos possit dissensio

suboriri, tam super jam acquisitis quam de cætero, dante Domino, acquirendis, plenam ipsi legato (Pelagio scilicet episcopo Albanensi, quem paulo ante ob similitudinem muneris quo in Dei exercitu Apostolicæ Sedis nomine fungebatur, Josue appellaverat), tam in temporalibus quam in spiritualibus commisimus potestatem ita ut per se, aut per alios libere illam exerceat, prout res videbitur postulare. Ideoque universitatem vestram rogamus attentius et hortamur, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus eidem in prædictis omnibus devote ac humiliter more solito intendatis. Datum Viterbii VI kalend. martii, pontificatus nostri anno IV.

LXXXVII

Ad abbatem et conventum Aquicinten.

25 feb. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 667. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne quis monachorum ipsorum monasterii sine conventus litteris pecuniam mutuo accipere possit.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui Aquicinten., salutem, etc.

Quia melius est in tempore occurrere, quam post exitum vindicare, indemnitati ecclesiæ vestræ paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate præsentium inhibemus, ne alicui monachorum monasterii vestri liceat pecuniam accipere mutuo sine conventus litteris, et assensu, et si forsan quisquam contra inhibitionem nostram acceperit, decernimus monasterium exinde minime obligari. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ inhibitionis, etc. Si quis autem, etc. Dat. Viterbii, quinto kal. martii, pontificatus nostri anno quarto.

LXXXVIII

Ad priorem et fratres conventus S. Mariæ de Vineis.

27 feb. 1220.

[Ripolli, Bull. ord. Prædic., VII, II, n° 35.]

Ipsos laudat quod fratres ordinis Prædicatorum in sacra pagina studentes apud Parisios confoveant.

Honorius, etc., dilectis filiis priori et fratribus conventus S. Mariæ de Vineis extra Portam Parisien. constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratum gerimus quod dilectos filios fratres ordinis Prædicatorum in sacra pagina studentes apud Parisios in visceribus caritatis vestræ, pietatis officiis laudabiliter confoveatis, etc. Datum... IV kal. Martii, pontificatus nostri anno quarto.

LXXXIX

Ad decanum Sancti Stephani, priorem Sancti Pauli, et cantorem Sancti Johannis Bisuntinensis.

28 feb. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 671. Mss. La Porte du Theil.]

Tutelam abbatissæ et conventus Romaricensis adversus molestantes eis commendat.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano Sancti Stephani... priori sancti Pauli et... cantori Sancti Johannis Bisuntin., salutem, etc.

Succensa, velut ignis impietas tanto contra ecclesias, et personas ecclesiasticas validius inflammatur, quanto rariores qui eas eruant invenit objectores. Quare nos, qui disponente Domino, licet immeriti curam tenemur gerere generalem, ibi fortius resistere cogimur, ubi persecutorum immanitas periculosius excandescit et objectus debilior invenitur. Cum igitur sicut dilectæ in Christo filiæ... abbatissa et conventus Romaricen. nobis feliciter intimarunt, flante turbine aquilonis persecutionum fornax adversus eas et earum ecclesiam septuplum quam succendi soleat succendatur et jugiter invalescat, cum ex sexus fragilitate imbecillior sit eis potentia repugnandi, ne antequam ecclesiam ipsam omnino exhauriat, et exurat, ei succurrere intendentes et persecutoribus etiam consulere nihilominus arbitrantes, ne a fornacis quam succendunt voragine cum Chaldæis perpetuo succendantur, discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ecclesiam, et personas prædictas pro viribus defendentes, quotiens ab ipsis fueritis requisiti quoslibet, qui eis in personis, vel rebus præsumpserint molestias vel injurias irrogare, ut ab eorum indebita molestatione desistant, et de illatis injuriis satisfactionem eis exhibeant competentem, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota ratione prævia compellatis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Datum Viterbii, secundo kal. martii, pontificatus nostri anno quarto.

XC

Ad abbatissam et conventum Romaricensem.

2 mart. 1220.

[Regest., lib. IV, ep. 672. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget eis ut decimas et quæcumque alia bona ad ipsorum monasterium pertinentia si alienata fuissent, revocare possint.

Honorius, etc., dilectis in Christo filiabus... abbatissæ, ac conventui Romaricen., salutem, etc.

Cum monasterium vestrum, quod ad Romanam Ecclesiam nullo mediante pertinere dicitur, bonorum spiritualium et temporalium florere consueverit ubertate, nobis humiliter supplicastis, ut quum nunc propter vicinorum oppressionem nobilium, et alia manifesta gravamina quibus jugiter deprimi consuevit, adeo tenuitatem patiatur reddituum, quod ex iis vix potestis commode sustentari, revocandi ad jus, et proprietatem monasterii vestri pro sustentatione vestra, decimas ipsas, quæ sub annuo censu a vobis clericis sunt concessæ, decedentibus possessoribus eorumdem, et si qua in vestri monasterii præjudicium alienata, sive concessa sint illicite, vel distracta, vobis licentiam concedere dignaremur. Nos igitur vestris postulationibus annuentes, et ecclesiæ vestræ volentes utilitatibus providere, vobis prædicta duximus concedenda. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei., etc., *usque* incursurum. Datum Viterbii, sexto nonas martii, pontificatus nostri anno quarto.

XCI

Ad moniales ecclesiæ de Wilbodessen.

4 mart. 1220.

[Schaten, Ann. Paderborn. I, 985.]

Ipsas cum omnibus bonis tuendas suscipit.

Honorius, etc., dilectis in Christi filiabus monialibus ecclesiæ Wilbodessen. Paderbornen. diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis precibus inclinati, personas vestras cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones de Waturvelde et de Clenenberga, ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ipsi ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Viterbii IV nonas martii pontificatus nostri anno quarto.

XCII

Ad priores et fratres Sancti Bartholomæi de Trisulto.

5 mart. 1220.

[Spicilegium Liberianum, p. 722, n. 15.]

Sylvæ Eici, super qua inter illos et Collepardenses quæstio erat exorta, possessionem confirmat.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Sancti Bartholomæi de Trisulto, Cartusiensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Suborta inter vos ex parte una et Collepardenses ex altera super sylva Eici quæstione, ac diutius agitata, venerabili fratri nostro episcopo et dilecto filio Orlando capellano nostro, etc. (et prosequitur prout in superiore). Lib. II, epist. 132, tom. II, col. 625. Datum Viterbii, III nonas martii, anno pontificatus nostri quarto.

XCIII

Ad monasterium de Schwartzhah.

6 mars 1220.

[Schœpflin, Alsat. dipl., I, 343, n. 420.]

Confirmat donationem parochiæ in Stadelhoven abbatiæ Schwartzhah factam.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui monasterii in Schwartzhah salutem et apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et monasterium in quo divino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in

futurum præstante Domino justis modis poterit adipisci, sub sancti Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem ecclesiam de Stadelhoven cum capella in Schwartzhah et aliis pertinentiis suis, vobis a venerabili fratre nostro Argentinensi episcopo de capituli sui assensu provida et pia liberalitate collatam, sicut eam juste ac pacifice possidetis, et in litteris ejusdem episcopi exinde confectis plenius dicitur contineri, vobis et per vos eidem monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc.; si quis autem, etc. Datum Viterbii, II non. martii, pontificatus nostri anno quarto.

XCIV

Ad abbatem et conventum monasterii Sancti Eusebii de Salutiis.

6 mart. 1220.

[Spicil. Liber., 731, n. 29.]

Possessiones quas Manfredus marchio Salutii contra justitiam tenuerat, sed liberaliter restituerat, confirmat.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii Sancti Eusebii de Salutiis, diœcesis Taurinensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ex parte siquidem vestra fuit humiliter supplicatum, ut cum claræ memoriæ Manfredus marchio Salutii ad conscientiam rediens, prata quædam, terras et vineas ipsius monasterii, quæ cognoscebat se contra justitiam tenuisse, liberaliter restituit monasterio memorato, sicut in litteris ejusdem marchionis exinde confectis plenius continetur, eadem ipsi monasterio dignaremur auctoritate Apostolica confirmare. Nos igitur vestris justis postulationibus, grato concurrentes assensu possessiones præfatas, sicut vos juste et pacifice possidetis, vobis et per vos præfato monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Viterbii, pridie nonas martii, pontificatus nostri anno quarto.

XCV

Ad homines de Collepardo.

6 mart. 1220.

[Spicil. Liber., 721, n. 14.]

Eis inhibet ne in sylva Eici, quæ ad monasterium de Trisulto pertineat, cedendi ligna, vel pascendi animalia, vel aliud jus sibi præsumant de cætero vindicare.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis hominihus de Collepardo, salutem et apostolicam benedictionem.

Satis credimus vobis existere manifestum quantum laboraverimus pro quæstione super sylva Eici orta inter vos et monasterium de Trisulto, satagentes jus, si quod habuissetis in ipsa, vobis tamquam specialibus Ecclesiæ Romanæ filiis et fidelibus conservare : sed examinatis diligenter privilegiis et aliis ruminatis, quibus ostendere nitebamini vos in sylva jus habere prædicta, nihil invenimus per quod vestra intentio fundaretur. Demum ne hujusmodi quæstio semper indecisa maneret, venerabili fratri nostro episcopo et dilecto filio Orlando capellano nostro canonico Ferentini dedimus in mandatis, ut super recompensationem quam felicis memoriæ Innocentius papa prædecessor noster, dedisse dicebatur vobis pro jure quod in eadem sylva, sive juste, sive injuste vos habere dicebatis, inquirerent sollicite veritatem. Qui receptis super hoc testibus omni exceptione majoribus depositiones ipsorum nobis sub sigillis suis transmiserunt fideliter interclusas, ex quibus comperimus evidenter quod dictus prædecessor noster vobis pro jure ipso, sive illud injuste peteretis, sive juste, compensationem idoneam assignavit, videlicet lignagium et herbagium in monte qui Furmuli appellatur, faciens vos in illius corporalem possessionem induci, ac dilectis filiis priori et fratribus dicti monasterii concedens libere super dictam. Nos ergo pacem et quietem eorumdem prioris et fratrum propensius affectantes, quod super iis ab ipso prædecessore nostro factum existit approbamus et vobis perpetuum silentium super sylva imponentes, tandem eam prædictis priori et fratribus auctoritate Apostolica confirma-

mus, universitati vestræ districtius inhibendo, ne vos in sylva ipsa cedendi ligna, vel pascendi animalia, seu quomodolibet, jus vobis præsumatis de cætero vindicare. Ideoque præsentium vobis auctoritate firmiter et districtius præcipiendo mandamus, ne prædictos priorem et fratres seu monasterium ipsum super eadem sylva deinceps quomodolibet molestetis, sed, compensatione prædicta contenti, ea utamini libere et licite, scientes nos dilecto filio nostro et Sancti Angeli diacono, cardinali Campaniæ Maritimæque rectori firmiter injunxisse, ut non super hujusmodi permittat a vicanis temere molestari, eos a molestatione vestra, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Datum Viterbii, secundo nonis martii, pontificatus nostri anno quarto.

XCVI

Ad præcentorem majoris ecclesiæ, cantorem Sancti Pauli, et Terricum canonicum Lugdunensem.

6 mart. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 673. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut W. de Varei clericum litteris apostolicis quibus ipsi inhibitum fuerat P. de Botton canonicum Viennensem de monachatu inquirere, obedire cogant.

Honorius, etc., dilectis filiis... præcentori majoris ecclesiæ... cantori Sancti Pauli et Terrico canonico Lugdunen., salutem., etc.

Obtentis olim ad quosdam judices Bisuntin. inquisitionis litteris per W. de Varei clericum super monachatu, quem P. de Botton Viennen. canonico imponebat, partibus tandem ad Sedem Apostolicam accedentibus, dilectum filium nostrum R. Sanctæ Mariæ in Cosmedin, diaconum cardinalem concessimus auditorem. Nos autem auditis et intellectis per fidelem relationem cardinalis ejusdem quæ fuerunt proposita coram eo, prædictas litteras decrevimus non valere ac ad inquisitionem aliam obtinendam eumdem W. non duximus admittendum. Verum cum idem W., sicut accepimus, tam in judicio, quam extra judicium, tum per se, tum per alios, memorati P. opinionem super monachatu gravare multipliciter niteretur, nos ipsi W., quem per nostrum pœnitentiarium absolvi fecimus ab excommunicatione, quam pro causa simili venerabilis frater noster, archiepiscopus Lugdunen..., tulerat in eumdem ut ejus litteræ protestantur per cardinalem præfatum injungi fecimus super debito præstiti juramenti, ne super hoc ipsum de cætero aliquatenus diffamare præsumat. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus W. in hac parte mandato nostro præsumpserit, obviare temeritatem ejus, appellatione remota, pœna debita castigetis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Datum Viterbii sexto nonas martii pontificatus nostri anno quarto.

XCVII

Ad abbatem Sancti Benedicti Floriacensis, et Alardum canonicum Sancti Aniani Aurelianensis diœcesis.

7 mart. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 706. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut si Aurelianensis episcopus mandatum apostolicum de assignanda Henrico, Basilicæ principis Apostolorum canonico, nato Johannis de Sancto Eustachio, in ipsius ecclesia præbenda neglexerit, ipsi auctoritate Apostolica in canonicum recipi procurent.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati Sancti Benedicti Floriacen. Aurelianen. diœcesis, salutem, etc.

Venerabili fratri nostro... episcopo Aurelianen. olim dedisse recolimus in præceptis, ut dilecto filio Henr. Basilicæ principis apostolorum canonico, nato nobilis viri Johannis de Sancto Eustachio, qui sibi et ecclesiæ suæ potest existere fructuosus in multis, præbendam, si qua in Aurelianen. ecclesia tunc vacaret, ob reverentiam Apostolicæ Sedis et nostram conferret, et collatam liberaliter assignaret, alioquin donationem præbendæ tunc proximo in eadem ecclesia vacaturæ personæ idoneæ conferendam, nostræ donationi servantes, denuntiavimus irritum et inane, si quid contra foret quomodolibet attentatum. Cum igitur medio tempore præbenda, si qua vacasse in memorata ecclesia dignoscatur, sicut nostris auribus est relatum, prædicto episcopo nostro dedimus litteris in præceptis, ut, si est ita, nuntium ejusdem canonici de ipsa investiens vice sua, stallum in choro et locum in capitulo eidem studeat assignare. Cum igitur quod de provisione ipsius H. incœpi-

mus relinqui nolimus aliquatenus imperfectum discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus; quatenus si dictus episcopus quod mandavimus neglexerit adimplere, vos id auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, exsequi procuretis, revocato in irritum, si quid contra tenorem mandati nostri fuerit attentatum. Datum Viterbii, nonis martii, anno quarto.

XCVIII

Ad archidiaconum et cantorem S. Petri et thesaurarium S. Stephani Trecensis.

11 mart. 1220.

[Du Plessis, Hist. de Meaux, II, 110, n. 254.]

Mandat ut causam super jure benedicendi abbatissas in monasterio Jotrensi in posterum eligendas audiant et fine debito terminent.

Honorius, etc., dilectis filiis archidiacono et cantori Sancti Petri et thesaurario Sancti Stephani Trecensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte venerabilis fratris nostri Meldensis episcopi fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum abbatissa quæ Jotrensi monasterio modo præest, de speciali mandato nostro fuerit benedicta, et præjudicium sibi afferre non debebat, quod nos circa hoc fieri fecimus, super jure benedicendi abbatissas in monasterio Jotrensi in posterum eligendas, faceremus eidem justitiæ plenitudinem exhiberi. Nos igitur ejusdem episcopi postulationibus inclinati, nolentes sibi ex benedictione auctoritate nostra præstita præjudicium generari, discretioni vestræ de utriusque partis procuratorum assensu per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis causam et, appellatione remota, sine dubio terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc... duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Viterbii V Id. martii pontificatus nostri anno quarto.

XCIX

Ad abbatissam et moniales Romaricen.

12 mart. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 711. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne in conferendis beneficiis voces earum, quæ professionem nondum fecissent, admittantur.

Honorius, etc., dilectis in Christo filiabus... abbatissæ, et monialibus Romaricen. salutem, etc.

Cum sicut te, filia abbatissa, significante didicimus in vestro monasterio nobilium filiæ nutriantur, quæ, nulla ibidem professione facta, postquam ad nubiles annos perveniunt, quando volunt, a monasterio ipso recedunt, et nubunt, eædem dum sic sunt in prædicto monasterio volentes ad vacantia in eodem beneficia suos consanguineos, et amicos assumi, eos ad ipsa, tamquam si vocem in iis habeant, nominant, contentiones propter hæc et scandala suscitantes. Unde magnum frequenter eidem monasterio evenit detrimentum. Quare fuit a nobis, ut super hoc ipsi provideremus monasterio postulatum. Nos ergo ipsius monasterii super hoc dispendiis obviare volentes, admitti voces talium super dispositione rerum ejusdem monasterii auctoritate præsentium districtius inhibemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii, quarto idus martii, pontificatus nostri anno quarto.

C

Ad episcopum Morinensem.

13 mart. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 675. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut adversus clericos diœcesis Morinensis uxoratos et beneficia retinentes canonice procedat.

Honorius, etc., venerabili fratri.. episcopo Morinen. salutem, etc.

Ad nostram noveris audientiam pervenisse quod cum tibi nostris dederimus litteris in mandatis, ut contra clericos in tua diœcesi uxoratos ecclesiastica retinere beneficia non verentes, juxta canonica procederes instituta, tu, minus quam tuæ et illorum saluti expediat, hoc advertens in nostro fuisti mandato remissus, volens fortassis innuere, quod de tua sit conniventia, ut tales habeant vel potius diripiant patrimonium Jesu Christi. Quocirca fraternitati tuæ per iterata scripta præcipiendo mandamus, quatenus super hoc juxta prioris mandati nostri tenorem procedere non postponas, ut subsequens diligentia negligentiam expiet præ-

cedentem, per quod appareat talia in tua non esse diœcesi de voluntate præsumpta. Datum Viterbii, tertio idus martii, pontificatus nostri anno quarto.

CI

Ad abbatem et conventum Sancti Martini Majoris monasterii Turonensis.

14 mart. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 727. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget eis ut novalium decimas in ecclesiarum parochiis quæ illis jure patronatus contingerent, valeant percipere.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui Sancti Martini Majoris monasterii Turonen. diœcesis, salutem, etc.

Solet annuere, etc. Ea propter, etc., *usque* impartientes assensum, præsentium vobis auctoritate concedimus ut novalium decimas in ecclesiarum parochiis quæ vos patronatus jure contingunt, in quibus ad vos dignoscuntur veteres decimæ pertinere, tam in in capite, quam in membris, libere percipere valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Dat. Viterbii, secundo idus martii, pontificatus nostri anno quarto.

CII

Ad Herveum episcopum Trecensem.

17 mart. 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist. XIX, 694; Regest., lib. IV, epist. 704.]

Postulante comitissa Barri ad Sequanam, Honorius mandat ut hæredes comitis et filii ejus, in obsidenda Damiata defunctorum, cogantur eorum testamenta exsequi et eleemosynas reddere ab eis factas.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilecto filio decano, Trecensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecta in Christo filia Hel., comitissa Barri super Sequanam, nobis humiliter supplicavit, ut hæredes bonæ memoriæ M[ilon] comitis Barri, viri sui ad ipsius et G[ualcheri], nati ejus, qui defuncti sunt apud Damiatam in servitio Crucifixi, debita persolvenda et exsequenda testamenta ipsorum, et reddendas eleemosynas factas ab illis, ecclesiastica faceremus discretione compelli. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus hæredes prædictos ad hæc, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, justitia mediante, cogatis.

Datum Viterbii, XVI Kal. aprilis, anno quarto.

CIII

Ad abbatissam et moniales Romaricen.

18 mart. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 710. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne ad deserviendum in ipsarum monasterio, alii quam capellani admittantur.

Honorius, etc., dilectis in Christo filiabus... abbatissæ et monialibus Romaricen., salutem, etc.

Intelleximus quibusdam ex vobis referentibus, quod quum de monasterii vestri antiqua et hactenus observata consuetudine octo esse in eo beneficiati clerici debeant, qui hebdomadarii appellantur, et qui tenentur in eodem personaliter deservire, quidam archidiaconi et cathedralium ecclesiarum canonici, nec non parochialium ecclesiarum rectores recipi ad hujusmodi ministerium se procurant. Unde quum prædicti aliis adstricti ecclesiis personaliter in vestro monasterio deservire non possint, idem monasterium præter sinistræ suspensionis notam, qua ex talium receptione respergitur, obsequio debito defraudatur. Quare fuit a nobis, ut super hoc eidem provideremus monasterio, postulatum. Nos ergo ipsius monasterii super hoc gravamen obviari volentes, auctoritate vobis præsentium districtius inhibemus, ut de cætero ad tale ministerium alios quam capellanos honestæ conversationis, qui deservire in eo personaliter velint et valeant, admittatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Viterbii, XV kal. aprilis, anno quarto.

CIV

Ad episcopum Revallensem.

19 mart. 1220.

[Turgenevius, Historica Russiæ monumenta, t. I, p. 11, n. 9.]

Christum in Estonia prædicanti religiosos sibi adjungi permittitur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei episcopo Revallensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum zelo caritatis accensus portes coram paganis Estoniæ nomen Christi, ut faciente

illo, qui neminem vult perire, per tuæ prædicationis ministerium ad agnitionem veritatis, nos pro labori tuo volentes favorem apostolicum exhibere, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut viros religiosos tam ordinis Cisterciensis, quam aliorum, quos esse noveris ad hoc opus idoneos, cum abbatum, et præpositorum suorum licentia tecum ducere valeas, et ad prædicandum Christum dictis paganis libere destinare.

Datum Viterbii, XIV kalendas aprilis, anno quarto.

CV

Ad abbates et præpositos Cisterciensis ordinis et aliorum.

19 mart. 1220.

[Turgenevius, Historica Russiæ Monumenta, t. I, p. 11, n. 10.]

Ut episcopo Revallensi evangelium in Estonia prædicanti adjutores religiosi viri concedantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, abbatibus et præpositis tam Cisterciensis ordinis quam aliorum, præsentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum venerabilis frater noster... Revallensis episcopus zelo caritatis accensus portet coram paganis Estoniæ nomen Christi, ut, faciente illo, qui neminem vult perire, per suæ prædicationis ministerium ad agnitionem veniant veritatis. Nos pio labori ejus volentes favorem Apostolicum exhibere, devotionem vestram rogandam duximus et hortandam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus aliquos de fratribus vestris ad hoc opus idoneos, eidem cum requisierit in hujusmodi ministerium libere concedatis. Datum Viterbii, XIV kalendas aprilis, anno quarto.

CVI

Ad Fulconem cantorem Gnesnensem.

20 mart. 1220.

[Theiner, Monumenta Poloniæ, I, 10, n. 21.]

Quod factum est super nuntiatione suæ legitimationis, confirmatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Fulconi cantori Gnesnensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum olim illegitimitatis nota tibi coram nobis fuisset in modum exceptionis objecta, licet objectorem pœnituisse videretur objecti, et dicto ejus refragaretur multorum assertio, quibus fides adhibenda merito videbatur : tu tamen, nolens in te hujusmodi maculam remanere, supplicasti nobis humiliter et instanter, ut super hoc inquiri faceremus diligentius veritatem et per declarationem legitimitatis tuæ prænotatam maculam abolere. Unde nos dilectis filiis... abbati et... priori Tineiæ ac... archidiacono Cracoviensi nostris dedimus litteris in mandatis, ut reciperent testes idoneos, quos super tua legitimitate duceres producendos, et si constaret eisdem, quod de legitimo matrimonio natus esses, te legitimum auctoritate Apostolica declararent, quid inde facerent, nobis fideliter rescripturi. Quare per suas nobis litteras intimarunt, quod exsequentes mandatum Apostolicum diligenter, testes super dicto articulo receperunt, et attente sub testimonio capituli Cracoviensis, inspectis depositionibus eorumdem, invenerunt te de legitimo matrimonio, antequam pater tuus aliquos suscepisset ordines, esse natum, quare te nuntiaverunt legitimum, prout sibi a nobis fuerat demandatum. Ne igitur veritas semel super tuis declarata natalibus alicujus dubitationis scrupulo valeat in posterum offuscari, quod super hoc factum extitit ab eisdem, præsenti pagina scribi fecimus ad cautelam, et bullæ nostræ munimine roborari.

Datum Viterbii, XIII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

CVII

Ad universum populum Majorici.

20 mart. 1220.

[Ripolli, Bullar. Prædicat., I, 9, n. 12.]

Quam grata sibi sint officia pietatis a populo Madritensi fratribus ordinis Prædicatorum, quos laudat, exhibita, declarat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universo populo Majorici, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratum et acceptum nobis fuit, quod audivimus, videlicet, quod nostros dilectos filios, fratres ordinis Prædicatorum, qui habitant apud Majoricum, recepistis in visceribus caritatis et protexistis laudabiliter cum officiis pietatis, in quo intelligimus, vos gratum obsequium Deo præstare, quia inter bona opera, quibus Deo servimus, fere nullum invenitur illi gratius, quam subvenire illis, qui propter sitim quam habent salutis hominum, hauriunt in gaudio et

lætitia aquas de fontibus Salvatoris, ut eas dividant in plateis non solum ad satietatem animarum quæ sitim habent, sed etiam in salutare remedium et medicinam contra venenum ægrotantium animarum. Et ut plenius cognoscatis sincerum affectum, quem erga prædictos fratres gerimus, rogamus proinde devotionem vestram et exhortamur attente per Apostolica scripta mandantes, ut sicut laudabiliter cœpistis, ita pro nostra, et Apostolicæ Sedis reverentia, eos habeatis affectuosius commendatos, et in suis eis necessitatibus, beneficiis, et eleemosynis vestris assistatis taliter, ut Deum vobis propitium reddatis, et nos obligetis vobis esse magis favorabiles et benignos. Datum Viterbii, XIII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

In eumdem modum scriptum est :

Ad universum populum Segoviensem. Datum X kalendas aprilis, anno quarto.

Ad Willelmum de Postesla et populum Bononiensem. Datum IX kalendas aprilis, anno quarto.

CVIII

Ad Eberhardum Salzeburgensem archiepiscopum, ad episcopum Kymensem et abbatem Sanctæ Crucis, Cisterciensis ordinis, Pataviensis diœcesis.

20 mart. 1220.

[Manrique, Ann. Cisterciens., IV, 175.]

Mandat eis ut sese interponant ad compescendas discordias inter regem et barones Bohemiæ ex una parte, et Andream Pragensem episcopum ex altera, super decimis et jurisdictione ecclesiastica.

Post diutinam moram, quam venerabilis frater Pragensis episcopus apud Apostolicam Sedem traxit, pro quæstione inter ipsum pro parte una, et illustrem regem, et barones Bohemiæ ex altera, super decimis, jurisdictione ecclesiastica, ecclesiarum immunitate, ac nonnullis aliis ad ecclesiasticam pertinentibus libertatem, suborta, pro qua etiam ipse rex et barones excommunicationi, et regnum ejus subjacent interdicto : tandem procuratoribus ipsius regis, et baronum in nostra præsentia constitutis, utraque pars arbitrio nostro libere se commisit, habito igitur cum fratribus nostris, et cum ipsis partibus longo de compositione tractatu, ita quod partes ipsæ a forma sibi tractata in paucis articulis discordabant.

Ecce nobilis vir Dalchor major justitiarius, et Martinus Pincernæ ipsius regis, ac Marchucardus de Dechin et Dionysius de Prachen castellani advenerunt ex parte dicti regis, et sua, cum instantia postulantes, ut præfatum episcopum ad Viennam, civitatem nobilis viri ducis Austriæ, mitteremus, affirmantes quod rex, et barones prædicti, quos illuc venturos firmissime promittebant præsente dilecto episcopo inducerentur facile ad concordiam : et ipsi ad hoc impenderent diligens studium et operam efficacem : quod etiam firmaverunt prædicto juramento quod ipsi ad hoc directi, hoc de ipsorum, regis, et baronum mandato speciali procurabant, et quod ad pacem, et concordiam fideliter laborarent; quodque custodirent personam episcopi, sicut suas tam deducendo eum ad civitatem prædictam, quam ad nostram præsentiam reducendo, si forte non posset concordia provenire.

Nos igitur acquiescentes precibus, et instantiæ nobilium prædictorum, episcopum ipsum ad civitatem jam dictam duximus transmittendum, ut hujusmodi controversia finem, donante Domino, sortiatur, ideoque per Apostolicam vobis Sedem mandamus, quatenus ad locum ipsum, vel propius, si necesse fuerit, ad regni confinium, personaliter accedentes, et commonentes dictum regem, cui super hoc scribimus, ut et ipse juxta promissionem nobilium dictorum, cum aliquot de baronibus, a cæteris, tam baronibus, quam nobilibus Bohemiæ mandatum habentibus, ad locum accedat eumdem; interponatis prudenter, et sollicite partes vestras ad reformandam concordiam inter eos; quæ, si studio vestro mediante provenerit, eadem sufficienti, et idonea cautione firmata, præfatas excommunicationis, et interdicti sententias relaxetis; alioquin episcopum ipsum ad nos reduci, juxta promissum nobilium prædictorum, in Coloniam facientes, easdem sententias præcipiatis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Viterbii, VIII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

CIX

Ad Fridericum Romanorum regem.

20 mart. 1220.

[Raynaldi, Annal. ecclesiast. ad annum 1220, § 6-7.]

Honorius papa Friderico Romanorum regi processus terminum non sine multa querela usque ad kalendas maii proximas prorogandum concedit, hortaturque illum denuo, ut tandem se Christi athletam et Terræ Sanctæ defensorem ostendat.

Honorius episcopus servus servorum Dei Friderico, Romano regi, etc.

Sinceris, etc... Porro qui satis diligit, satis timet; unde non mirum si de retardato processu tuo in subsidium Terræ Sanctæ tibi timeamus et nobis : tibi ne per toties repetitæ dilationis instantiam, offensam, quod absit, potentissimi regis incurreris; nobis, ne facultate prorogationum hujusmodi causam illius Summi Pontificis qui pro salute populi in ara crucis se ipsum obtulit hostiam Deo Patri, videamur negligenter reliquisse. Verum adhuc instas ut adjiciatur quarta dilatio, et non intendis quod citatus tribus edictis si ad judicium venire contemnit, potest contumaciæ reprehendi. Sed scimus quod ad purgationem moræ nonnullas causas excusationis allegas; scimus etiam quod non sic eas interpretantur æmuli ut amici. Nos autem ne tam cari filii famam exponere videamur contemptui, usque ad kalendas maii proximas tui processus terminum prorogamus... Sane considera, cujus sit causa quæ geritur, quia Christi; cujus commodum, quia prosequentium ipsam; cujus gloria, quia totius populi christiani; et negligis esse prosecutor causæ Dei, procurator commodi tui, et christianitatis athleta. Et quidem ad ista te Dominus beneficiis allicit, miraculis provocat, et exemplis informat : beneficiis allicit, quia tam depressum aliquando sic tandem erexit in altum ; miraculis provocat, quia de Damiata munitissima civitate plene desiderium pusilli exercitus christiani spe jam debilitata perfecit; informat exemplis, quia non solum nobiles et potentes, sed etiam pauperes et debiles hoc salubre negotium sunt aggressi. Quapropter diligenter advertat rex tam grandis et nobilis, tam potens et fortis, quod in iis eo minus excusationis competere poterit, quo plus videtur suppetere facultatis. Exsurgat igitur excellentia regia, exsurgat princeps egregius, quoniam ut speramus paratus est Dominus grandem offerre triumphum qui multam jam attulit de paucorum labore coronam. Accingere, accingere gladio circa femur, potentissime principum terrenorum. Accingere in humilitate potens; accingere in potentia humilis, ut non in brachio tuo confisus, de manu Altissimi suscipias in tanti consummatione negotii gloriam quæ speratur.

(Notæ chronologicæ desunt. Non vero dubitandum tam ex numero epistolæ quam ex ordine rerum quin circa vicesimum martii diem reponenda sit. Adest in regestis sub n. 700 altera epistola qua summus pontifex Fredericum regem, filium ejus Henricum et eorum terras in sua speciali protectione denuo recipit. Datum Viterbii, XVII kalendas aprilis.)

CX

Ad populum Bononiensem.

6 april. 1220.

[Bullarium Romanum, edit. Taur., III, 367.]

Abolitio quorumdam statutorum per Bononienses, contra libertatem scholarium editorum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis populo Bononiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex relatione venerabilis fratris nostri Hugolini episcopi Hostiensis devotione quam ad Romanam Ecclesiam geritis intellecta, tanto ad ea, quæ vestram salutem respiciunt, et honorem, ferventius aspiramus, quanto vos tamquam obedientiæ filios ad ejusdem obediendum mandatis cognoscimus proniores, vos ab iis retrahere satagentes, quæ et famam vestram obnubilant, et afferre vobis possent incommodum, et jacturam. Sane cum ex studio litterarum præter infinita commoda, quæ sentitis, ex eo vestra civitas inter alias sit famosa, et in universo mundo nomen annuncietur ipsius, factaque sit altera Bethleem, domus videlicet panis, qui parvulis frangitur, in eadem, ex qua exeunt duces, qui regant populum Domini, quoniam in studio eruditi assumuntur ad regimen animarum, non solum debetis a scholarium gravaminibus conquiescere, verum etiam illos honoribus prævenire. Attendentes quod ipsi gratuito ad studendum vestram præelegerunt civitatem, quæ cum prius esset humilis, per

eos ibidem congregatis divitiis fere supergressa est civitates provinciæ universas. Verum vos ad hæc, sicut ex parte universitatis ipsorum fuit propositum coram nobis, debitum non habentes respectum, gratiam ipsorum in debitum, et libertatem in servitutem molientes reducere, statuistis, ut si quis inventus fuerit sectam, pactionem, vel conspirationem pro studio a civitate Bononiensi ad locum alium transferendo facere vel fecisse, et si scholaris quispiam, vel alius quemquam scholarem adstrinxerit modo quolibet, quo præcipere possit ei, ut causa studii eamdem exeat civitatem perpetuo banniatur, et omnia bona ejus, quæ Bononiæ vel in ejus districtu habuerit, publicentur, et eorum tribuatur medietas accusanti. Præterea societatem vel rectores scholares non permittantur habere, nisi hoc capitulum in eorum juramento ponatur videlicet, quod non dabunt operam, ut studium ad locum alium transferatur, nec cuiquam scholari præcipient, ut gratia studii abscedat a civitate prædicta, et nunquam hujusmodi mutabunt capitulum cum consilio, vel sine consilio eorumdem, ac si aliquis contrafecerit, modo simili banniatur, et bona publicentur ipsius. Potestas quoque infra duos menses ab ingressu sui regiminis teneatur prædictum capitulum jurari facere a rectoribus scholarium, si qui fuerint, vel infra quindecim dies, ex quo extiterint rectores electi, et in societatem scholarium scriptis poni, nec permittat Bononiensem aliquem vel extraneum, nisi primo juraverit, quod non leget alibi, extraordinariam aliquam legere lectionem. Unde ex iis dilectus filius nobilis vir Willelmus de Pesturela potestas vester occasione assumpta in eos indebitam jurisdictionem usurpans libertatem ipsorum infringere nititur, et contra eamdem prætextu ipsorum pro quorum observatione asserit se jurasse, illos in pluribus aggravare. Verum quia statuta hujusmodi procul dubio sunt iniqua, et manifeste obviant scholasticæ libertati, et juramentum super observatione ipsorum præstitum non est, utpote illicitum, observandum cum nec judicium habeat, nec justitiam eumdem Wilhelmum monendum duximus, et hortandum apostolicis sibi dantes litteris in præceptis ; ut scholares prædictos contra libertatem hactenus habitam occasione statutorum ipsorum, quæ velut iniqua duximus reprobanda, de cætero non molestet libertatem, eamdem modo quolibet infringendo, ut studium eorum impediri non possit; sed potius floreat ad Dei honorem, ac profectum studentium, necnon ad ipsius gloriam civitatis : ne si secus attentare præsumpserit, nos super hoc cogamur aliud cogitare. Quocirca universitatem vestram monemus, et exhortamur attente, quatenus, consideratis utilitatibus, et honore ex scholaribus vobis, et civitati vestræ provenientibus ipsos charitatis brachiis amplexemini, et prætextu statutorum ipsorum, quæ dicenda sunt potius destituta, contra libertatem antiquam, et habitam hactenus, ipsos nullatenus molestetis, nec faciatis per potestatem eumdem, remisso sibi juramento prædicto, de cætero molestari, permittentes eosdem solita libertate gaudere, ut quieto animo possint inhærere scholasticis disciplinis, et nos devotionem vestram possimus in Domino commendare, ne si secus egeritis, quod non credimus, contra voluntatem nostram cogamur faciem nostram vobis ostendere duriorem.

Datum Viterbii octavo idus aprilis pontificatus nostri anno quarto.

CXI

Ad decanum et capitulum Sancti Johannis Bisuntini.

8 april. 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 692. Mss. La Porte du Theil.]

Privilegium maternitatis ecclesiæ Sancti Stephani adversus ipsorum petitionem auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis decano et capitulo Sancti Johannis Bisuntini, salutem, etc.

Quum procurator vester privilegium felicis recordationis Adriani papæ prædecessoris nostri per quod dicebat jus maternitatis habere vestram ecclesiam, peteret innovari, nos ei et... procuratori ecclesiæ Sancti Stephani constituto in nostra præsentia, dilectum filium nostrum L., tituli Sanctæ Crucis in Jerusalem præsbyterum cardinalem, dedimus auditorem, coram quo idem Sancti Stephani procurator contra prædictum privilegium multa proposuit in possessione maternitatis esse suam ecclesiam asseverans. Cum autem hinc inde coram eodem cardinale fuisset diutius altercatum, et ipse

proposita coram eo nobis et fratribus nostris fideliter retulisset, nos de ipsorum fratrum consilio privilegium ipsum non obstante contradictione præfati procuratoris ecclesiæ Sancti Stephani duximus innovandum. Datum Viterbii, sexto idus aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

CXII

Ad Waldemarum capellanum.

8 aprilis 1220.

[Suhm, Hist. af Danmark, IX, 754.]

Super defectu natalium illi dispensationem concedit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Waldemaro, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum bene meritis apostolicæ gratiæ favor impenditur ad bene merendum alii provocantur; cum igitur de scientia et honestate tua laudabile testimonium receperimus tuæ merito probitatis et precibus dicti regis inducti tecum super defectu natalium quem sustines a soluto genitus et soluta misericorditer dispensamus. Nulli ergo omnino hominum, etc...

Datum Viterbii V Idus aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

CXIII

Ad Ulricum præpositum ecclesiæ Sancti Nicolai Pataviensis ejusque fratres.

9 aprilis 1220.

[Monumenta Boica, t. IV, p. 321.]

Ecclesiam Sancti Nicolai protegendam suscipit omnesque ejus bona confirmat.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Ulrico præposito ecclesiæ S. Nicolai Pataviensis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sancti Nicolai Pataviensis, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Domini, et beati Augustini regulam in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum, in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis : ecclesiam de Alburg, de Aitenbach, de Hartchirchen, de Griezchirchen, de Aluchoven, de Munichrent, et de Widenspach ecclesias cum omnibus pertinentiis suis; capellam Sanctæ Mariæ in insula, sancti Jacobi in burgo Patav., de Aunchirchen, de Euchendorf, et Sanctæ Mariæ in Anaso, capellas cum pertinentiis suis. Decimas, quas habetis in Aitenbach, in Hartchirchen, in Grieschirchen, in Munichrent, in Widemspach, in Aunchirchen, in Dornach, in Selebach, in Wachenweis, in Hutarn, in Chelichberch, in Irsheim, in Haiming, in Alburg, in Alnchoven, in Eberswanch, in Schiltarn, in Aspach, in Vehilstorf, in Rust, in Isendorf, in Hochenwarth, et in Buchrich. Præterea in suburbio civitatis Pataviæ undecim domata, fundum, quem habetis inter Danubium, et Oenum, II curtes Senftling et Neunhoven, dimidium mansum ad Tantobel, quatuor mansos Holzheim, unum mansum Hegenbach, in Probstrent, in Bachmull, in Sauming, in Hasenbuell mansos et dimidium, mansum in Putra, unam curtem in Windberh; quatuor curtes in Alburch, et in Gehin Englmarsperg, in Sprinznberg, in Pering, in Euchendorf, in Bezrechsdorf, in Dornach, in Abstorf, in Altheim, in Aunchirchen, in Loch, in Eberstorf, in Pinzheim, in Schalcheim, in Ruspach, in Chrieschirchen, in Monte, in Tegernspach, in Wasen, in Aschach, in Neumarkt, in Alnchoven, in Eusten, in Hartheim, in Busing, in Lintheim, in Mauttarn, in Raeut, in Rust, in Isendorf, in Hochenwarth, in Burgenwis, in Stregen, et in Neunburch curtes, et curias in quibus decimæ colliguntur. Tres mansos in Aveching, in Dornbach, in Schenenburg, in Ahaim, in Hukenchoven, in Hauspach, in

Walde, in Harth, in Leumpting, in Raeut, in Chaldendenbach, in Walgsing, in Buzenberg, et in Reginhalming, mansos septem in Reuth, tres mansos in Gerchweis, et tres charatas cerevisie, tres mansos in Chufarn, in Berchaim, in Leunchart, et in Reicherstorf VII mansos. Quatuor mansos in Strazz, dimidium mansum in Eichendorf, in Dornach, in Ainhartstorf, in Vilzhoven, in Winchlarn, in Stude, in Eunling, in Tunheim, in Hartheim, in Busing, in Lumptingen, in Bruhl, in Bering, in Boching, in Winchel et in Abstorf, dimid. mansos, villam in Enzenweis, in Wachenweis, in Sunnbach, in Burcharting, in Neunling, et in Munchreut villa. Pradia de Vilsa, in Rotha, in Prienbach, in Schalchheim, in Grieschirchen, in Eschetunowe, in Alnchoven, in Griendorf, in Freindorf, in Rust, et in Euching prædia molendinum in Euzenweis, in Ainhartsdorf, in Boching, in Absdorf, in Prienpach, in Chaldenbach, et Pataviens. molendina. Reditus salis in Hale, vineas in Grieschirchen, in Aschach, in Helsburch, in Wachawe, in Hunzheim, in Freindorf, in Chrems, et in Mauttarn vineas cum areis, domibus, pratis, pascuis, piscationibus, nemoribus, et omnibus aliis utilitatibus suis. Liceat quoque vobis, clericos, vel laicos, liberos et absolutos a sæculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in ecclesia vestra professionem, fas sit absque præpositi sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Illud districtius inhibentes, ne terras, seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum, liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari, absque consensu totius capituli, vel majoris, aut sanioris partis ipsius. Si quæ donationes, aut alienationes, aliter quam dictum est, factæ fuerint, eas irritas censemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci præposito, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei et sancti Augustini regulam, providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu ecclesiarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam exercere, audeat. Decernimus igitur, ut nulli omnino hominum liceat, etc.

Datum Viterbii per manum Wilh. V. S. Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, V idus aprilis, indictione VIII, Incarnat. Dominicæ anno MCCXX, pontificatus vero domini Honorii PP. tertii anno quarto.

CXIV

Ad Ulricum præpositum S. Nicolai Pataviæ.

15 april. 1220.

[Ub. ob der Enns. t. II, 614.]

Confirmat datam eis ab Altmanno Pataviensi episcopo, constitutionem.

Honorius, etc., dilectis filiis Ulrico præposito et capitulo ecclesiæ Sancti Nicolai Pataviæ, ordinis Sancti Augustini, salutem et apostolicam benedictionem.

Significasti nobis, fili præposite, in nostra præsentia constitutus quod bonæ memoriæ Altmannus Pataviensis episcopus, ecclesiæ vestræ fundator, claræ memoriæ L. marchioni de Austria et H. comiti de Vornbach advocatiam concessit ejusdem ecclesiæ certis eis redditibus deputatis, statuens, ut nec ipsi nec hæredes eorum aliis possent officium subadvocationis concedere, præposito et capitulo ipsius ecclesiæ inconsultis. Unde nobis humiliter supplicasti, ut statutum hujusmodi Apostolico dignaremur munimime roborare. Nos ergo vestris precibus inclinati, quod super hoc provide et utiliter statutum est, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Viterbii, XVII kal. maii, pontificatus nostri anno quarto.

CXV

Ad abbatem et priorem de Herverbach et decanum Sanctæ Mariæ in Campis.

16 april. 1220.

[Wurtwein, Nov. Subs., IV, p. 108.]

Super electione plebani in ecclesia Sanctæ Mariæ in Confluentia.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et priori de Herverbach, et... decano S. Mariæ in Campis, Mogunt. diœcesis, salutem, etc.

Sua nobis dilectus filius Engelbertus, presbyter canonicus S. Florini in Confluentia, insinuatione monstravit, quod cum nos dilectis filiis... Warmaciensi electo, et abbati et priori loci S. Mariæ Treverens. diœcesis dederimus in mandatis, ut si esset ad nos ordinatio ecclesiæ S. Mariæ in Confluentia, prout nobis suggestum fuerat, devoluta, eam de persona idonea ordinarent, prædicti abbas et prior, committentes illi præfato electo per proprias litteras vices suas, licet canonici S. Pastoris in Confluentia, Treveren. diœcesis, ad quos ejusdem ecclesiæ collatio non spectabat, et quibus nihilominus jus super ordinatione plebani competebat in ipsa, se super hoc per frustratoriæ appellationis objectum opponere niterentur, præfatum presbyterum cum eis prædictæ ordinationem ecclesiæ ad nos spectare legitime constitisset, præfecerunt ordinatione nostra eidem ecclesiæ in plebanum, qui nobis humiliter supplicavit, ut non obstante appellatione hujusmodi, quam non sunt infra tempus legitimum prosecuti, quod, circa eum super hoc factum est, ratum habentes, commemorati canonici et quidam alii ejusdem diœcesis super jam dicta ecclesia molestantes, ipsum possidere illam pacifice non permittant, providere sibi super hoc misericorditer dignaremur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, canonicos antedictos et alios, ut ab indebita ipsius presbyteri super hoc molestatione cessantes, non impediant quominus ipse valeat debita et quieta ejusdem ecclesiæ possessione gaudere, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum Viterbii, XVI kalend. maii, pontificatus nostri anno quarto.

CXVI

Ad abbatem et priorem Sanctæ Genovefæ et Rad. capellanum Templi Parisiensis.

18 april. 1220

[Regest., lib. IV, epist. 714. Mss. La Porte du Theil.]

De vitiosa electione magistri Gualteri in ecclesia Parisiensi.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati, et priori Sanctæ Genovefæ et Rad., capellano Templi Parisiensis, salutem, etc.

Cum electionem de dilecto filio magistro Gualtero in Parisiensi ecclesia celebratam et confirmationem ejusdem ob vitiosum utriusque processum de fratrum nostrorum consilio cassaverimus, justitia exigente, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si quæ suspensionis, vel excommunicationis sententiæ occasione electionis, seu confirmationis hujusmodi sunt in aliquos de Parisien. capitulo, seu quoslibet alios promulgatæ, aut omnino aliquid immutatum auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, penitus revocetis. Quod si non omnes, etc. Datum Viterbii, decimo quarto kalendas maii, pontificatus nostri anno quarto.

CXVII

Ad priorem Sancti Petri ad vincula Pisarum.

18 april. 1220.

[Mittarelli, Ann. Camald. IV, app. 395.]

De possessionibus monasterii Sancti Savini ordinis Camaldusensis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio... priori Sancti Petri ad vincula Pisarum, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum monasterium Sancti Savini, ordinis Camaldusensis, sicut ex parte abbatis et conventus ejusdem fuit propositum coram nobis, in civitate Pisana et aliis locis Tusciæ consueverit multas terras et possessiones habere, quarum notitiam nullam habent, et Hugo de Titignano, G. de Strata et quidam alii tam civitatum, quam Pisan., Lucan. et Vulteran. diœcesum, quos ipsi vobis expriment nominatim, illas scire credantur, discretioni tuæ, per Apostolica scripta, mandamus quatenus illos moneas ex parte nostra prudenter, ut ipsi Deum habentes præ oculis, gratia quoque ac timore postpositis, studeant indicare, ne pro defectu eorum a monas-

terio ipso fiant penitus alienæ. Datum Viterbii, XIV kal. maii, pontificatus nostri anno quarto.

CXVIII

Ad omnes ordines religiosos universi orbis.

18 april. 1220.

[Bullar. Romanum, edit Taur., III, 369, n. 44.]

Exhortatur omnes ordines religiosos ut pro salute populorum Livoniæ, ad catholicam fidem noviter conversorum, fratres suos eo destinare procurent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus, præpositis, prioribus tam Cistercien., quam aliorum ordinum, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi non sit nostrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater in sua posuit potestate, verisimiliter tamen a multis conjicitur,quod ecce nunc, tempus acceptabile ut ostio magno aperto in Domino, ad Christi fidem intret gentium plenitudo, dum ad summi patrisfamilias cœnam post cæcos et claudos, pagani, velut de infidelitatis sæpibus compelluntur intrare, ac oves, quæ nondum de Christi ovili fuerunt, adducuntur ab ipso, ut sit unum ovile, sicut unus est pastor. Unde qui Christi est, gaudere, ac cooperari debet, ut augeatur numero, et merito populus christianus, et ad convertendas ei barbaras nationes, et conversas in ejus fide servandas modis omnibus, quibus debet impendere semetipsum, ut animas Domino lucrifaciens animæ suæ, lucretur gloriam sempiternam. Sane cum, sicut venerabiles fratres nostri Livoniensis, Seloniensis, et Lealenensis episcopi nostris auribus intimarunt, in partibus Livoniæ duritia cordium paganorum, tamquam terra vastæ solitudinis imbre gratiæ divinæ compluta, et ex parte vomere sanctæ prædicationis exculta, in eis semen verbi Dei feliciter in segetem pullulet, quin etiam albæ sint jam regiones ad messem, quæ quidem Domino dante benignitatem, multa est, operarii vero pauci, expedit, ut alii mittantur illuc metere, quod alii seminarunt, quatenus secundum evangelicam veritatem, qui seminant simul gaudeant, et qui metunt. Cum igitur per Dei gratiam in ordine vestro, sint multi ad hujusmodi opus idonei, charitatem vestram rogamus attentius, et hortamur per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus monachos, et conversos, quos prædicti episcopi, vel missi ab eis a vobis duxerint postulandos, illuc ad opus ministerii hujus non solum permittatis accedere, verum etiam transmittatis, ut et ipsi, erudientes plurimos ad salutem, mereantur tamquam stellæ in perpetua æternitate lucere, ac vos retributionis eorum, quam sine vobis nequeunt promereri, participium promerentes, possitis apud Deum et homines commendari.

Datum Viterbii, quarto decimo kal. maii, pontificatus nostri anno quarto.

CXIX

Ad universos Christi fideles, de Hugone Lincolniensi episcopo.

19 april. 1220.

[Raynaldi, Ann. Eccles. XIX ad ann. 1220, § 47]

Statuit diem festivitatis ejus, singulis annis celebrandæ.

Honorius episcopus, etc.

Cum sanctæ recordationis Hugonem Lincolniensem episcopum, quem, sicut nobis plenarie constat, divini muneris largitas tam in vita, quam etiam post vestem mortalitatis exutam insignium miraculorum multitudine illustravit, sanctorum catalogo adscripsimus, universitatem vestram monemus, et exhortamur in Domino, quatenus ejus apud Deum patrocinio devote imploretis : ad hæc statuentes, ut die depositionis ipsius, ejusdem festivitas annis singulis devote de cætero celebretur. Datum Viterbii, XIII kal. maii, pontificatus nostri anno quarto.

CXX

Ad præpositum et capitulum Loenses.

20 april. 1220.

[Van Hollebeke, Cart. de l'abb. de Saint-Pierre de Loo, 42, n. 37.]

Ipsis decimam Loensis parochiæ confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis præposito et capitulo Loensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, decimam Loensis parochiæ, sicut eam juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos, Loensi ecclesiæ, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Viterbii, XII kal. maii, pontificatus nostri anno quarto.

CXXI

Ad Philippum Francorum regem.

27 april. 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 695; Regest. lib. IV, epist. 713.]

A Philippo commendata Gualteri Cornuti ad Parisiensem episcopatum electione, rogat Honorius ut rex minus ægre ferat, quod Gualterus non admissus fuerit; cujus in locum se auctoritate sua præfecisse significat Guillelmum de Signiliaco, Autissiodorensem episcopum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Eam novimus regiæ circumspectionis modestiam, ut sciamus, quod æquanimiter sustines, si quando preces tuas, justitia refragante, non possumus exaudire, cum scias, quod, ubi res deducitur in judicium, haberi debet præ oculis solus Deus, et cessare acceptio personarum, eo quod exhibitioni gratiæ via præcluditur, ubi justitiæ debitum postulatur. Licet igitur precibus tuis semper, quantum salva conscientia possumus, condescendere, tuæ sublimitatis mansuetudine id promerente, velimus, in negotio tamen dilecti filii magistri Gualteri, ubi debitum quærebatur justitiæ, gratiam non potuimus exhibere; quia, licet idem magister et scientiæ polleat eminentia et aliis clareat titulis gratiarum, electionis tamen et confirmationis processus fuit multipliciter vitiatus.

Cum igitur electionem celebratam de ipso, de nostrorum fratrum consilio, cassaverimus, justitia exigente, ac ne Parisiensis ecclesia diu remaneret pastoris solatio destituta, venerabilem fratrem nostrum Autissiodorensem episcopum, virum præclaræ famæ, notæ virtutis, et in multis manifeste probatum, a cura et sollicitudine Autissiodorensis ecclesiæ absolventes, Parisiensi præfecerimus in pastorem; serenitatem tuam rogamus attente et hortamur, quatenus eumdem episcopum, quem ipsi ecclesiæ præficiendum duximus, specialiter hac de causa, quod privatam personam dicto magistro noluimus anteferre, juxta innatam tibi clementiam ita favore regio prosequaris, quod et ipse celsitudini tuæ merito debeat devotus et obsequiosus existere, nosque devotionem regiam digne possimus in Domino commendare (1). Datum Viterbii, V kalendas maii, pontificatus nostri anno quarto.

(1) Quæ omnia Philippo regi minime placuerunt, inquit Guillelmus Brito, *in additionibus ad ejus historiam*. (Bouquet.)

CXXII

Ad capitulum Parisiensis ecclesiæ.

28 april. 1220.

[Bouquet, ibid, p. 694; Regest., lib. IV, epist. 712.]

Irrita Gualteri Cornuti ad Parisiensem episcopatum electione facta, significat Honorius eidem Ecclesiæ se præfecisse Guillelmum de Signiliaco, Autissiodorensem episcopum.

Honorius episcopus... dilectis filiis capitulo Parisiensi, salutem.

Sicut ecclesiæ vestræ requirebat utilitas, et sincerus, quem gerimus ad eamdem, nobis suggerebat affectus, his qui pro electione celebrata in ipsa ecclesia de dilecto filio magistro Gualtero (2), ad nostram venere præsentiam, audientiam tribuimus facilem et benignam, aliis interim supersedendo negotiis, quæ nobis multa et ardua imminebant. Auditis igitur et plenius intellectis, quæ super electione ipsa et processu confirmationis ejusdem, ab electoribus et procuratore ipsius magistri ex parte una, et dilecto filio cantore Parisiensi ac aliis contradicentibus ejusdem magistri ex altera, fuerunt proposita coram nobis; licet idem magister et scientiæ polleat eminentia et aliis clareat titulis gratiarum, propter inordinatum tamen ipsarum electionis et confirmationis processum, de fratrum nostrorum consilio electionem cassavimus memoratam, confirmationem irritam nuntiantes. Cæterum, ne tanta et talis ecclesia diu remaneat pastoris solatio destituta, venerabilem fratrem nostrum Autissiodorensem episcopum (3), virum præclaræ famæ, notæ virtutis, et in multis manifeste probatum, a cura et sollicitudine Autissiodorensis ecclesiæ absolventes, ecclesiæ vestræ præfecimus in pastorem. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus et in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus eumdem episcopum, tamquam patrem et pastorem vestrum, ut decet, solem-

(2) Cornuto.
(3) Guillelmum de Signiliaco.

niter requirentes et recipientes, hilariter intendatis eidem humiliter et devote. Datum Viterbii, XIV kalendas maii, anno quarto.

In eumdem modum scriptum est Autissiodorensi episcopo : Sicut ecclesiæ Parisiensis requirebat utilitas, etc., usque : destituta. Deinde subjicitur : Te, de cujus meritis obtinemus fiduciam pleniorem, a cura et sollicitudine Autissiodorensis ecclesiæ absolventes, ecclesiæ Parisiensis præfecimus in pastorem, ut tuarum lucerna virtutum, quæ hactenus fulsit in Autissiodorensi, magna et honorabili quidem ecclesia, eo splendidius luceat, quo in celebriori loco fuerit collocata. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus et in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus, sine moræ dispendio ad ecclesiam transiens memoratam, curam et sollicitudinem ejus, juxta spem et exspectationem nostram, studeas gerere sollicite ac prudenter. Datum Viterbii, XIV kal. maii, anno quarto.

CXXIII

Ad abbates et conventus Cisterciensis ordinis per Hispaniam constitutos.

29 april. 1220.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, p. 185.]

Mandat eis ut non observent sententias interdicti vel excommunicationis in illos promulgatas a collectoribus vicesimæ, et denuo Cisterc. monasteria a præstatione vicesimæ exempta declarat.

Cum sicut accepimus Hugutio subdiaconus, et capellanus noster, et Cynthius basilicæ principis Apostolorum canonicus, in quosdam ex vobis excommunicationis et ex monasteriis vestris, interdicti sententias, occasione vicesimæ, a nobis super hoc auctoritate non habita, promulgaverint : universitati vestræ præsentium auctoritate mandamus, quatenus sententias ipsas nullatenus observetis : cæterum, ne occasione hujusmodi vos, vel monasteria vestra de cætero molestari contingat, vos a præstatione prædictæ vicesimæ duximus eximendos. Datum Viterbii, III kal. maii, pontif. nostri anno quarto.

CXXIV

Ad Conradum scholasticum Moguntinen.

Ineunte mense maio 1220.

[Wurdtwein, Nova subsidia, IV, p. 106.]

Mandat ut hortetur crucesignatos Teutoniæ ut votum suum in instanti passagio exsequantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro Conrado scolastico Moguntinensi capellano et pœnitentiario nostro, salutem et apostolicam benedictionem.

Experti tuæ probitatis industriam et fidei puritatem ac per hoc indubitatam de te fiduciam obtinentes, te ad partes Teutoniæ duximus destinandum ut Terræ Sanctæ succursum, secundum datam tibi a Deo prudentiam studeas, efficaciter procurare. Tuam ergo sollicitamus prudentiam, auctoritate tibi præsentium injungentes, quatenus litteras generales, quas pro eodem negotio destinamus, exponens per totam Teutoniam Christi fidelibus diligenter ipsos ad celerem dictæ terræ succursum sedulo exhorteris et auctoritate nostra injungas eis, per quos nuper, in partibus illis, prædicari mandavimus verbum Crucis, ac aliis, prout videris expedire, ut id ipsum sollicite ac fideliter exsequantur, cum velimus, ut tibi tam a prædicatoribus ipsis, quam aliis in omnibus quæ hoc contingunt negotium, intendatur humiliter ac devote. Illos vero qui jam sunt crucis caractere insigniti, ut votum suum in instanti passagio exsequantur, monens efficaciter et inducens eos qui monitis acquiescere non curaverint, et ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas, carissimum in Christo filium nostrum F. illustrem regem Siciliæ in Romanorum imperatorem electum, cui super hoc scribimus, sollicite reducendo, ut et ipse in eodem passagio juxta promissionem suam studeat transfretare. Quod si facere forte nequiverit, crucesignatos ipsos ulterius non detineat, sed data eis licentia reddendi Domino vota sua in exercitus Christiani succursum libere permittat. Illud autem sollicite caveas, ne quis quantumlibet pauper a voto crucis ullatenus absolvatur, cum et pauperes plurimum sint necessarii negotio Terræ Sanctæ. Datum, etc..., pontificatus nostri anno quarto.

CXXV

Ad archiepiscopum Tarraconensem.

6 maii 1220.

[Ripolli, Bull. Prædicat., I, 10, 15.]

Commendat Fratres Prædicatores.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Tarraconensi, salutem, etc.

Quoniam abundavit iniquitas, et refriguit caritas plurimorum, ordinem Fratrum Præ-

dicatorum, sicut credimus, Dominus suscitavit, qui non quæ sua sunt, sed quæ Christi quærentes, tam contra profligandas hæreses, quam contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedicarunt evangelizationi verbi Dei in abjectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum pium propositum, et necessarium ministerium favore prosequentes, fraternitatem tuam pro eis rogandam duximus, et monendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ob reverentiam divinam, et nostram eos habeas devotius commendatos, ut ad promotionem eorum ordinis taliter intendere studeas, quod apud Deum, cui est eorum grata religio, possis multipliciter promereri, et dicti fratres per cooperationem tuam, et aliorum fidelium roborati, suscepti ministerii cursum felicius consummantes, optatum reportent sui laboris fructum, et finem, salutem videlicet animarum, ac nos devotionem tuam exinde possimus in Domino commendare.

Datum Viterbii pridie nonas maii pontificatus nostri anno quarto.

CXXVI

Ad Christianum Prussiæ episcopum et omnes Christi fideles noviter baptizatos.

8 maii 1220.

[Bullar. Romanum, ed. Taur., III, 369. Raynaldi, Ann. Eccl. ad an. 1220 § 41.]

Monet pontifex fideles sacro baptismate nuper ablutos ut stent firmiter in fide, ne ærumnis frangantur; quin imo triumphent quod digni habiti sint contumelias pati pro Christo.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis universis Christi fidelibus noviter baptizatis Prussiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratias agimus largitori omnium gratiarum, qui propria gloria et virtute vos de variis errorum tenebris in admirabile lumen fidei advocavit, et in regione habitantibus aliquando umbræ mortis revelavit vobis per Spiritum Sanctum eum, qui est lux mundi, filium suum Dominum Jesum Christum, ut in agnitione ipsius vias vitæ certissime ambulantes, qui aliquando non populus Dei fuistis, nunc populus Dei sitis, et qui non consecuti misericordiam, nunc misericordiam consecuti, possitis in adoptione filiorum Dei merito gloriari, hæreditatem incontaminatam in cœlis et immarcessibilem adepturi. Quapropter universitatem vestram monemus in Domino, et hortamur, quatenus vos ipsos dignos divina vocatione reddentes, cum omni timore Domini stetis in fide viriliter et constanter, exercendo fidei opera in virtute, non contristati aliquibus tribulationibus, quæ ad tempus sunt, sed lætati potius, quod digni habiti estis pro nomine Jesu contumelias sustinere. Fidelis enim Deus nos patietur vos tentari, ultra quam sustinere possitis, sed faciet cum tentatione proventum; quia quod momentaneum est et leve tribulationis, immensum vobis pondus gloriæ operatur. Sic enim clarificabitur Christus in vobis, si vos irreprehensibiles conservantes, gentem vestram, secundum carnem, ad æmulationem provocaveritis veritatis, ut in eo quod nunc de vobis tanquam de malefactoribus forte detrectat, tandem ex bonis operibus vos considerans ad Dominum convertatur, et vos lucrifacientes animas multas Deo, coronam gloriæ mereamini potiorem. Nos autem, qui vos, tamquam filios benedictos a Domino, gerentes in visceribus caritatis, confidimus, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet; usque in diem Domini Jesu Christi, vobis in omnibus, quibus possumus, libentissime assistemus, omne vobis solatium et auxilium impensuri; et cum in libertatem vocati estis adepti gratiam filiorum, vos conversos, et cæteros ad Dominum convertendos in omni conservabimus libertate, aliisque dignis favoribus prosequemur, quia non commodum rerum temporalium, quod cito periret, sed lucrum, quod erit perpetuum, in vobis quærimus animarum.

Super eo vero, quod non omnes omnino petitiones, quas nuper nobis dilectus filius Henricus frater tuus ex parte tua, venerabilis frater episcope, destinavit, potuimus exaudire, non turbetur cor vestrum, neque formidet, quia cum ad succurrendum Terræ Sanctæ de necessitate totaliter nunc intendere compellamur, non expedit, ut crucesignatorum auxilium dividatur, ne divisum inveniretur inutile, quod speratur efficacissimum, auctore Domino, adunatum; sed quia sicut in Domino confidimus, negotium Terræ Sanctæ in proximo finem accipiet gloriosum, tunc tota virtute in vestrum adjutorium intendemus, et vobis, et pro vobis

militabit Ecclesia generalis. Ne igitur ii, qui nondum ad agnitionem veræ fidei pervenerunt, alicujus dubietatis scrupulo retardentur, pro minus ad agnoscendam veri luminis claritatem corde pariter et animo convertantur, devotionem vestram rogandam duximus et monendam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus universis hominibus vestræ gentis qui vobis consanguinitate, vel quacumque notitia sunt conjuncti, et etiam omnibus tam longe, quam prope positis, prout vobis possibilitas aderit, intimetis, nos firmum habere propositum, tam conversos, quam etiam favente Domino convertendos in omni libertate fovere, et ab injuriis omnium molestias eisdem inferentium, vel gravamen, quantum gratia divina permittet, protectionis Apostolicæ munimine defensare, et quod eos, quantum in nobis est, numquam alicujus gravari dominio vel jugo patiemur subjici servitutis.

Datum Viterbii, octavo idus maii, pontificatus nostri anno quarto.

CXXVII

Ad magistrum Rocabertum Sancti Victoris et alios monachos.

12 maii 1220.

[Ripolli, Bullar. Prædicatorum, I, 10, n. 16.]

Mandat eis omnibus ut proficiscantur cum fratre Dominico priore ordinis Prædicatorum ad prædicandum verbum Dei quibus expedire viderit.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis, magistro Rocaberto Sancti Victoris, Vincentio de Sillia, Castorgio de Mansu, Josepho de Flore, Jacobo Vallis Umbrosæ, et Dominico de Aquilari, monasteriorum monachis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia qui seminant super aquas, et qui frumentum abscondunt, in populo maledicuntur, consulte agitis, si talentum vobis a Deo creditum in sudario non ligatis, quum a nemine accendatur lucerna et ponatur sub modio, sed super candelabrum, ut cunctis qui in domo sunt luceat, statuatur. Quum ergo dilectus frater Dominicus prior ordinis Prædicatorum magnum credat animarum provenire fructum, si quam recepistis a Domino prædicationis gratiam, juxta suam erogetis providentiam utilitatibus proximorum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus pro illius amore, qui propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, de secreto Patris ad publicum humanæ conditionis exivit, proficiscamini cum ipso fratre Dominico ad proponendum, quibus expedire viderit, verbum Dei, quo lumine veritatis ostenso, errantes ad viam veritatis revertantur, scientes quod vos concessimus fratri prædicto, ut eidem in ministerio verbi Dei cooperari teneamini, proprium semper habitum deferendo.

Datum Viterbii, IV idus maii, pontificatus nostri anno quarto.

CXXVIII

Ad episcopum et abbatem Sanctæ Mariæ Wratislaviensis.

13 maii 1220.

[Theiner, Monumenta Poloniæ, I, II, n. 22.]

Mandat eis ut convocent capitulum Gneznense ad eligendum episcopum.

Honorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri... episcopo et dilecto filio... abbati Sanctæ Mariæ Wratislaviensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Vacante Gneznensi ecclesia, venerabili fratri nostro... Cracoviensi episcopo notæ probitatis, et claræ famæ viro, duximus injungendum, ut assumeret onus regiminis ecclesiæ memoratæ. Verum quia idem episcopus postulavit instanter, ne id oneris imponeremus eidem, nos provisioni ejusdem ecclesiæ tanto studiosius intendentes, quanto ex defectu pastoris majoribus dispendiis dicitur subjacere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, ejusdem capitulum auctoritate nostra convocantes ad locum competentem et tutum, injungatis eisdem, ut de persona, quæ hujusmodi congruat oneri et honori, sibi provideat infra quadraginta dies, postquam a vobis commoniti fuerint, canonice in pastorem. Quod si forte non fecerint, vos ex tunc, ne sæpedicta ecclesia diutius viduitatis incommoda patiatur, personam tanto congruentem officio auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, præficiatis eidem, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non ambo, alter vestrum, etc... Datum Viterbii, III idus maii, pontificatus nostri anno quarto.

CXXIX

Ad Obizzonem episcopum Parmensem, archidiaconum et archipresbyterum Reginenses.

13 maii 1220.

[Savioli, Ann. Bologn., II, II, 428.]

Mandat ut Bononiensis ad abroganda statuta contra libertatem scholarium hactenus habitam ab ipsis edita compellant.

Statutis civitatis Bononiensis factis contra scholares olim nobis exhibitis, potestati et populo ejusdem dedimus in præceptis, ne scholares prædictos contra libertatem hactenus habitam occasione statutorum ipsorum, quæ velut iniqua duximus reprobanda, de cætero non molestarent, libertatem eorum quomodolibet infringendo, universitatem eorum nihilominus exhortantes ut, consideratis utilitatibus et honoribus provenientibus eidem ex scholaribus ipsis, per statuta hujusmodi non molestarent eosdem, nec facerent de cætero molestari, super eorum observatione præstitum, cum illicitum fuerit, remittendo quod ipsis facere differentibus, dilecti filii R. doctor decretorum et O. de Tonnengo viri litterati, providi et fideles pro universitate ipsorum scholarium nostram præsentiam adierunt, super iis Apostolicæ provisionis remedium implorantes. Porro dilecti filii Hugo legum doctor, et Fridericus viri providi et fideles perversitatem hujusmodi statutorum conati multipliciter palliare, tandem duo ex statutis ipsis, videlicet de rectoribus et lectoribus extraordinariis, in nostræ dispositionis beneplacito libere posuerunt, supplicantes, ut super aliis providere paterna sollicitudine dignaremur. Quia igitur statuta omnia quæ in litteris nostris prius ad ipsos, hac de causa directis, plenius continentur, merito reprobavimus, quare eis non decet illis de cætero inhærere, devotionem eorum monendam duximus et hortandam, per Apostolica eis scripta mandantes, quatenus attendentes quod scholares ipsos benignitate retinere possunt, melius quam duritie, quæ facit ut multi etiam naturalem soli dulcedinem derelinquant, statuta ipsa de eorum capitulario penitus deleant, ac juramentum super illorum observatione præstitum dictæ potestati, cum ad observationem ejus tanquam illiciti, minime teneatur, remittentes omnino per statuta eadem vel similia, studium, quo in civitate eadem florente, civitas ipsa floret, non turbent de cætero, nec turbare aliquatenus faciant, sed scholares ipsos honorificentiis consuetis et bonis conditionibus (quæ via erit tutior et potentior) curent ad terræ suæ gloriam et commodum retinere. Quocirca mandamus, quatenus si quod mandamus de stat. ipsis delendis adimplere distulerint ultra mensem, vel ipsorum scholarium de cætero infringent libertatem, vos eosdem tam ad statuta delenda quam ad libertatem eorumdem scholarium conservandam, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellantur. Quod si non omnes his exsequendis poteritis interesse duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Viterbii, III idus maii, pontificatus nostri anno quarto.

CXXX

Ad abbatem et conventum Sancti Thomæ in Scotia.

13 maii 1220.

[Theiner, Mon. Hungariæ et Scot., 15, n. 38.]

Conventus S. Thomæ martyris in Scotia una cum possessionibus suis sub protectione Apostolicæ Sedis recipitur.

Honorius episcopus, dilectis filiis abbati et conventui S. Thomæ martyris in Scotia, salutem.

Cum a nobis petitur, etc.; eapropter, etc., *usque* concurrentes assensu. Monasterium S. Thomæ martyris, et personas inibi Domino famulantes cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de Turfred et de Inverhugim, de Alberkerdover, de Havetvisel, de Munifoth, de Aberruthi, de Stratitteen, de Morians et de Kerimur ecclesias et Glaskelem et de Kendeldures terras, terram inter Heikar et Kaledove, terram de Ballisac, totum nemus de Trostauch, unam annuam marcam argenti nobis a claræ memoriæ Fergen comite de Bukam pia liberalitate concessam, et unam annuam et dimidiam marcham argenti in piscaria de Hur, necnon homines, terras, pascua, possessiones, libertates et immunitates et alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, et in authenticis episcoporum diœcesanorum, regum, co-

mitum et aliorum patronorum vestrorum plenius dicitur contineri, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus et confirmamus. Nulli ergo, etc., nostræ protectionis et confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii, III idus maii, pontificatus nostri anno quarto.

CXXXI

Ad abbatem et conventum Sancti Thomæ martyris Aberbrothoc in Scotia.

18 maii 1220.

[Liber S. Thomæ de Aberbrothoc, 159, n. 225.]

Eisdem inhibet ne quis infra metas parochiarum monasterii, absque diœcesani conventusque assensu, præsumant construere oratorium vel capellam.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Sancti Thomæ martyris de Aberbrothoc, salutem et apostoticam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate præsentium inhibemus, ne quis infra metas parochiarum vestrarum absque diœcesani et vestro assensu præsumat construere oratorium vel capellam, salvis tamen privilegium pontificum Romanorum. Nulli igitur, etc. Si quis autem, etc. Datum Viterbii, XV kalendas junii, pontificatus nostri anno quarto.

CXXXII

Ad abbatem de Kotwico, Sancti Hippolyti et Sancti Andreæ præpositos, Patavien. diœcesis.

19 maii 1220.

[Archiv. f. Kunde oster Gesch. Quellen, IX, 284.]

Ipsis terminandam committit causam præpositi ecclesiæ S. Georgii.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati de Kotwico et... Sancti Hippolyti et... Sancti Andreæ præpositis, Pataviensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Significavit nobis præpositus ecclesiæ Sancti Georgii quod cum plebanus et homines in Treisinmure Pataviensis diœcesis in quibusdam solemnitatibus processionaliter cum cruce accedere ad dictam ecclesiam teneantur, iidem id efficere contradicunt, alias injuriosi eidem plurimum existentes. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, partibus convocatis, audiatis causam, et, appellatione remota, fine debito terminetis. Facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium præbere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum nihilominus exsequantur. Datum Viterbii, XIII kal. junii, pontificatus nostri anno quarto.

CXXXIII

Ad abbatem et conventum Sancti Martini Turonensis.

20 maii 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 730. Mss. La Porte du Theil.]

Prohibet ne homines aliquid a conventu possidentes abbatis jurisdictione subtrahere se præsumant.

Honorius, etc., salutem.

Significastis nobis quod multi hominum vestrorum terras, prata, vineas, domos et possessiones alias a monasterio vestro, et ecclesiis subjectis sibi tenentes, et personas suas eidem monasterio, et ipsis ecclesiis subtrahunt subjicientes se dominiis aliorum, et quæ tenent a vobis per sæcularem nitantur potentiam possidere. Unde provideri super hoc ne, illis hujusmodi bona intervertentibus transire ipsa contingat ad alios supplicastis. Nos autem vestris justis precibus inclinati, ne id fiat auctoritate præsentium districtius inhibemus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, etc.; si quis autem, etc. Datum Viterbii, XIII kal. junii anno quarto.

CXXXIV

Ad monasterium Sancti Floriani.

22 maii 1220.

[Ub. ob der Enns, II, 616.]

Illud monasterium cum omnibus bonis suis tuendum suscipit.

Honorius, etc., præposito et capitulo ecclesiæ Sancti Floriani, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos

et humiles filios, ex assuetæ pietatis officio, propensius diligere consuevit et, ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tanquam pia mater, suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas et ecclesiam vestram cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum possidetis aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de Waltchirchen, de Wachan et de Veklabruche possessiones cum pertinentiis suis ac alia bona ecclesiæ vestræ pia fidelium liberalitate collata, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et ecclesiæ præfatæ per vos auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc.; si quis autem, etc. Datum Viterbii, XI kal. junii, pontificatus nostri anno quarto.

CXXXV

Ad capitulum Narniensen.

23 maii 1220.

[Ughelli, Italia Sacra, t. 1016.]

Electionem magistri Joannis in episcopum confirmat, et ab impetitione quorumdam canonicorum absolvit eos, qui hanc electionem fecerant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, capitulo Narniensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Gerardus clericus, procurator ecclesiarum S. Mariæ Majoris, et S. Mariæ in insula Narniensis procuratore, et concanonico vestro, in nostra præsentia constituto, electionem a vobis de dilecto filio magistro Joanne in vestra ecclesia celebratam cassari postulavit instanter, proponens eamdem post legitimam eorum appellationem præsumptam, cum pars eorum ad Sedem Apostolicam appellasset, ne ad electionem præsumeretis procedere sine ipsis, qui volebant, ac debebant, secundum loci consuetudinem, interesse. Nos autem auditis, et intellectis, quæ ab utriusque partis procuratoribus fuere proposita coram nobis, vos ab impetitione ipsorum, de fratrum nostrorum consilio, duximus absolvendos. Nulli ergo, etc., nostræ definitionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Viterbii, X kal. junii, pontificatus nostri anno quarto.

CXXXVI

Ad præpositum S. Georgii H. archidiaconum et custodem Augustenses.

23 maii 1220.

[Leutner, Hist. Wessofont., I, 238.]

Ut causam vertentem inter conventum Wessinsbrunnensis nonasterii et G. militem de Dilingen fine debito terminent.

Honorius, etc., dilectis filiis præposito, S. Georgii et H. archidiacono et custodi Augustensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii abbas et conventus Wessinsbrunnensis nobis conquerendo monstraverunt quod G., miles de Dilingen., Augustanæ diœcesis, in quasdam possessiones eorum hostiliter irruens, eis damna et injurias irrogavit. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, partibus convocatis, audiatis causam, et, appellatione remota, fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eamdem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum nihilominus exsequantur. Datum Viterbii, X kal. junii, pontificatus nostri anno quarto.

CXXXVII

Ad Sancti Pauli et Sanctorum Geminorum priores, Bisuntinæ et Lingonensis diœcesum.

25 maii 1220.

[Gallia Christ., XV, instr. 63.]

Scribit se archiepiscopi Bisuntini senio confecti cessionem admisisse, et mandat ut infra 15 dies per electionem canonicam provideant sibi in pontificem de persona idonea.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis S. Pauli et SS. Geminorum prioribus, Bisuntinæ et Lingonensis diœcesum, salutem et apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster archiepiscopus Bisuntinus, fatiscentis ætatis molestiis, angustiis et infirmitatis corporeæ conquassatus, cupiens reliquum vitæ suæ spirituali dicare quieti, nobis pontificalis officii petiit cessionem. Nos igitur ejus infirmitati debito compatientes affectu, et ipsius desiderio

annuentes cessionem ejus, de fratrum nostrorum consilio, duximus admittendam. Cæterum ne Bisuntina sedes, pastoris officio diutius destituta, dispendium patiatur, vobis per Apostolica scripta mandamus quatenus iis, quorum interest eligere, infra quindecim dies post susceptionem præsentium denuntiare curetis, ut, infra mensem post denuntiationem factam eisdem, sibi per electionem canonicam de persona idonea, quæ tanto congruat oneri et honori, provide procurent in pontificem et pastorem. Alioquin volumus et districte præcipiendo mandamus, ut ex tunc quatuor ex illorum numero quorum videritis interesse, viris providis et discretis, qui vobis ad hoc magis idonei videbuntur, auctoritate nostra injungere procuretis, ut usque ad festum Sancti Michaelis proximo venturi nostro conspectui se præsentent, illum quem sibi, auctore Domino, duxerimus conferendum devote, sicut decet, ac humiliter recepturi. Quod si non ambo iis exsequendis interesse potueritis, etc.... Datum Viterbii, VIII kal. junii, pontificatus nostri anno quarto.

CXXXVIII

Ad episc. Lingonensem et Suessionensem.

25 maii 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 777. Mss. La Porte du Theil.]

Facit eis potestatem episcopatum Belvacensem administrandi, quamdiu Belvacensis electus ad subsidium Terræ Sanctæ peregrinaretur.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus... Lingonen. et Suessionen. episcopis, salutem, etc.

Quum olim dilectus filius... Belvacen. electus in Terræ Sanctæ subsidium profecturus tibi, frater Lingonen., tunc cantori, et bonæ memoriæ B. archidiacono Belvacen. liberam et generalem administrationem ecclesiæ suæ in præbendis, et aliis beneficiis conferendis, ac aliis duxerit committendam substituens te, frater Suessionensis, tunc thesaurarium et quondam G. canonicum Suessionen., si te dictæ Lingonen., aut præfatum archidiaconum mori contingeret, vel ad pontificale officium promoveri, nos, ne idem electus suo desiderio defraudetur, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus taliter exerceatis administrationem hujusmodi, quod juxta fiduciam, quam præfatus electus de vobis habuit per vestram sollicitudinem ecclesiæ suæ utilitas procuretur, ita quod a Deo meritum, et ab Apostolica Sede gratiam consequi valeatis. Datum Viterbii, octavo idus junii, pontificatus nostri anno quarto.

CXXXIX

Ad episcopum et capitulum Laudunensis diœcesis.

27 maii 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 780. Mss. La Porte du Theil.]

Injungit ut Raymundo subdiacono et notario papæ fructum præbendæ ipsi in eorum ecclesia assignatæ percipere permittant, quamvis residentiæ legem observare non potuisset.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo et capitulo Laudunen., salutem, etc.

Dilectus filius Raimundus, nepos dilecti filii magistri Obitionis subdiac. et not. nostri, sua nobis petitione monstravit, quod fructus præbendæ quam in eclesia vestra sibi contulimus primo anno, id exigente ipsius ecclesiæ consuetudine, non percepit. Circa finem vero ejusdem anni de quorumdam vestrum consilio non sine gravibus expensis, et interruptione studii ad ipsam accessit ecclesiam de more facturus residentiam in eadem, ac anni sequentis fructus instantes videlicet percepturus. Cumque fere per septem septimanas, resedisset ibidem, asseruistis quod residentia sua sibi fructuosa non erat, nec etiam secundo anno fructus perciperet, quia erant solutioni debitorum ejus qui eamdem præbendam obtinuerat per concessionem tuam, frater episcope, sibi factam dum viveret deputati. Et quidem si hujusmodi concessio libere fieri potuisset, æquius tamen fuerat id intelligi de fructibus primi anni, præsertim cum onus hujusmodi commodius ferri potuerit a pluribus quam ab uno, nec sic absurdum fuerit fructus tunc proximo colligendos concedere, quam concessionem hujusmodi anno interjecto per saltum extendere ad futuros. Nolentes igitur eumdem R. effectu gratiæ nostræ taliter defraudari, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus consuetudine de facienda residentia, cum per eum non steterit, non obstante, præsentis anni fructus integre ministretis eidem ita hilariter, et libenter, quod præfatus notarius quem pro vestris, et ecclesiæ vestræ negotiis sollicitum, et diligentem, cum res exposcit, esse comperimus, ad obsequia vestra merito fortius astringatur. Alioquin

damus dilecto filio... abbati Sancti Johannis in Vineis Suessionen. in mandatis, ut eosdem fructus sibi faciat cum integritate debita exhiberi. Contradictores si qui fuerint, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescens. Datum Viterbii XVI kal. junii pontificatus nostri anno quarto.

Scriptum est super hoc eidem.

CXL

Ad Pandulphum Norwicensem electum, camerarium, A. S. legatum.

28 maii 1220.

[Rymer, Fœdera, I, I, 84.]

Mandat ut neminem de regno Angliæ plus quam duo de castris regiis in sua tenere custodia patiatur.

Honorius, etc., dilecto filio Pandulpho Norwicensi electo, camerario nostro, Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus neminem de regno Angliæ, quantumcumque fidelis aut familiaris existat carissimo in Christo filio nostro Henrico, regi Anglorum illustri, plus quam duo de castris regiis in sua tenere custodia patiaris, cum id credamus regis ejusdem utilitatibus expedire, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Viterbii, V kal. junii, pontificatus nostri anno quarto.

CXLI

Ad episcopum et clerum diœcesis Tarvisini.

28 maii 1220.

[Ughelli, Italia sacra, t. V, p. 372.]

Post recensionem facinorum adversus episcopos et ecclesiam a populo civitatis, et districtus Tarvisini, Honorius mandat episcopo et clero si universitas civium Tarvisinorum non juraverint in manibus episcopi Paduani infra mensem se mandatis apostolicis tam super damnis quam super injuriis quas irrogaverant episcopo Bellunensi ac Feltrensi, ut ex diœcesi exeant, illuc nimine reversuri sine licentia Apostolicæ Sedis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, etc., episcopo et clero tam civitatis quam diœcesis et districtus Tarvisini.

Iniquitates, quibus cives Tarvisini contra se, Deum et homines jam de consuetudine provocant, non possumus vel ad modicum oblivisci, quia sic incessanter vestem suorum texuerunt peccatorum, ut sanguis sanguinem semper tangat, et ex novorum inculcatis clamoribus veterum nobis memoria continue ingeratur. Longa quidem retro series si ea, quæ in vicinas ipsi ecclesiæ, Dei timore posthabito, attentarunt, velimus per ordinem recensere; sed ut destructionem, Ceneten. Feltren., Bellunen. episcopatuum per ipsos olim impie factam silentio transeamus; id nec silere possumus, nec sine mentis amaritudine recitare quod bonæ memoriæ Bellunensem ac Feltrensem episcopum post facta de ipso ludibria, tandem populo, more judaico, acclamante, *moriatur, moriatur*, immaniter occiderunt in Apostolicæ Sedis contemptum, et ignominiam totius ordinis clericalis. Et quidem ex tunc meruerat illorum impietatis immanitas, ut pœna respondente peccato, civitas Tarvisina episcopali dignitate perpetuo privaretur; sed dum Apostolicæ Sedis benignitas nimium eis parcit, exspectans, ut ejus patientia ipsos ad pœnitentiam revocet, omnino contrarium experitur, ipsis ex iniquitate tanti flagitii assumentibus audaciam, in ecclesias, et viros ecclesiasticos debacchandi; ecce enim precibus, commotionibus, et cominationibus nostris, et jure humano ac divino, et ipso Deo contemptis, Feltrensis, et Bellunensis ecclesiarum terras hostiliter invadentes magnam partem earum, aut destruxerunt inique, aut sibi indebite subjugarunt, ac insuper in venerabilem fratrem nostrum Feltrensem et Bellunensem episcopum sacrilegas manus extendere non verentes, ipsum personaliter capere præsumpserunt, et quod de ipsius prædecessores fecerant, ut creditur, et de ipso [fecissent] nisi nostri præsidio evasisset. Licet igitur per hæc, et lenitate monitionis Apostolicæ reddiderint se indignos, et usque adeo contra Deum obfirmaverint facies, et obduraverint corda sua, ut verbum salutis ad ea posse ingredi non speretur, ne tamen relinquamus ipsis materiam murmurandi, aut eorum, quæ ad circumspectionem Apostolicam pertinet aliquid omittamus, ecce universitatem eorum adhuc quoque rogavimus, monuimus, et obsecravimus in Domino, cujus vel sapientiam fallere, vel omnipotentiam effugere, nequaquam possint, ut tandem memores suæ salutis, cujus curam videntur penitus abjecisse, per dignæ

satisfactionis viam redeant ad Dominum Deum suum, a quo per diutinæ offensionis vitia recesserunt, et Apostolicam Sedem, quam superbia sua graviter offenderunt, humilitate placantes infra mensem, post susceptionem litterarum nostrarum, quas eis super hoc dirigimus, jurent in manibus venerabilis fratris nostri Paduani episcopi præcise obedire mandatis nostris, tam super damnis, quam super injuriis, quas irrogarunt episcopo memorato, interim ab ejus et ecclesiæ suæ molestia penitus quiescentes; ideoque universitati vestræ in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus, nisi cives prædicti mandatum nostrum infra præsens ipsum tempus curaverint adimplere, vos ex tunc supradictas sententias publicantes eorum civitatem, et diœcesim, ac districtum, dilatione postposita, exeatis, illuc sine Apostolicæ Sedis licentia minime reversuri. Quod inde feceritis fideliter rescribentes, ut de aliis pœnis, quæ in litteris nostris ad ipsos directis plenius continentur, sicut res postulaverit, cogitemus si, præ missione vestrum, qui inveniantur mandati apostolici contemptores, et canonicam nolunt effugere ultionem.

Datum Viterbii, V kalendas junii, pontificatus nostri anno quarto.

CXLII

Ad potestatem et populum Tarvisinos.

28 maii 1220.

[Ughelli, loco citato.]

Significat Tarvisinis nisi ad pœnitentiam redeant civitatem illorum pontificali privandam esse dignitate, et eos habendos esse ut hæreticos.

Honorius episcopus servus servorum Dei potestati et populo Tarvisino, spiritum consilii sanioris.

Iniquitatum vestrarum, etc., ut in alia supra, *usque* quiescentes. Alioquin noveritis vos præter excommunicationis, et interdicti sententias in vos, et terram vestram a venerabili fratre nostro patriarcha Gradensi, hac de causa prolatas, quas auctoritate Apostolica roboramus, inhibuisse nobili viro duci, et populo Venetiarum, ac aliis civitatibus convicinis ne ullum vobiscum in hujusmodi molestia perdurantibus præsumat habere colloquium, aut celebrare contractum; quod si pœnas hujusmodi solita pertinacia contempseritis, civitatem vestram pontificali privabimus dignitate, et diœcesim vestram per vicinos episcopos dividemus, ac insuper mercatores vestros ubicumque reperti fuerint capi faciemus per principes sæculares, et publicatis bonis eorum personas sub arcta custodia retineri. Si vero nec sic ad percutientem vos redieritis, et attriti nolueritis accipere disciplinam, ecce prædicimus vobis, contra vos tanquam contra hæreticos, cum vos tales opera demonstrent, spiritualiter, et temporaliter procedemus, fideles ad exterminium vestrum per Apostolicas indulgentias provocando, cum magis abominanda sit vestra, quam Saracenorum impietas, nec tam detestabile sit in illis viam non agnoscere veritatis, quam vobis post agnitam retroire, nec blandiamini vobis, quod comminationes similes aliquando vobis factas, pœna non fuerit hactenus subsecuta, quasi subsecutura non sit, etiam ista vice, frequenter enim, quæ non nocerent singula, multa nocentia, et quanto major fuerit erga vos longanimitas Apostolica, tanto si vos ad pœnitentiam non adduxerit, erit justior pœna vestra; fugiatis igitur a facie arcus extenti, et pœniteatis, dum locus est pœnitentiæ, ne sit sera pœnitentia post ruinam. Datum Viterbii, V kal. julii, pontificat. nostri anno quarto.

CXLIII

Ad Engolismensem et Petragoricensem episcopos.

28 maii 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 695; Regest., lib. IV, epist. 767.]

Quum W. de Partenay et W. de Mangot aliique milites Pictavenses, pecuniæ causa debitæ sibi olim a rege Joanne, Henrici, illius filii, terras in Pictavia hostiliter infestarent, mandat Honorius ut rebelles ad pacem servandam compellant episcopi.

Honorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus, Engolismensi et Petragoricensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum carissimus in Christo filius noster H. illustris rex Anglorum crucesignatus, pupillus et orphanus, sit custodiæ Sedis Apostolicæ derelictus, injurias vel molestias irrogatas eidem nobis non immerito reputantes principaliter irrogari, contra injuriatores vel molestatores ipsius potenter exsurgere volumus et debemus, tanquam prosequendo proprium interesse. Cæterum,

accepimus, sed non utique acceptamus, quod nobiles viri W. de Parthenay et W. de Mangot, et quidam alii milites Pictavienses, ligii homines regis ejusdem, occasione cujusdam pecuniæ quam claræ memoriæ J. pater regis ipsius eis promiserat, quamdiu sibi placeret de sua camera persolvendam, villas et castra regis prædicti multipliciter inquietant, pacem totius Pictaviæ perturbantes. Quia vero aliena sunt compescendi virtute, qui suo sunt vitio inquieti, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, prædictos nobiles, ut a prædicti regis super his et aliis molestatione indebita conquiescant, monitione præmissa, appellatione remota, veritate cognita, compellatis; mandatum nostrum taliter impleturi, quod diligere justitiam et servare obedientiam probemini ex affectu, et nos devotionem vestram possimus commendare. Datum Viterbii, V kalendas junii, anno quarto.

CXLIV

Ad episcopos Sarisberiensem et Eliensem.

29 maii 1220.

[Mansi, Concil. coll., XXII, 1095.]

Mandat ut de excessibus Richardi Dunelmensis episcopi informent, et quæ invenerint ad Sedem Apostolicam transmittant.

Honorius, etc., Sarisberiensi et Eliensi, etc., episcopis, etc. Ita nobis in odore bonæ opinionis fratrum et cooperatorum nostrorum convenit delectari, ut in pestilentibus vitia non palpemus: cum non deceat pro reverentia ordinis sustinere peccantes, quorum culpa tot eos dignos mortibus facit, quot ad subjectos perditionis exempla transmittunt qui sola quæ pravitatis exempla conspiciunt, imitantur. Hinc est quod cum de venerabili fratre nostro Dunelmensi episcopo sæpius nobis insinuata fuissent quæ ab episcopali honestate nimium dissonabant: tandem in conculcatis funibus clamoris (1) excitati, ut non pateremur, cum perditione multorum, quiescere amplius in suis enormitatibus episcopum memoratum; de quo insinuatio clamosa processit, quod postquam fuit ad officium pontificale promotus, reus sanguinis, simoniæ, adulterii, sacrilegii, rapinæ, perjurii, ac dilapidationis multiplicis est effectus: non formidans clericos, orphanos, ac viros religiosos opprimere, testamenta decedentium impedire, regia jura, contra scientiam (2) dilecti filii nostri Pandulphi Norwicensis electi, munire; ac excommunicatione ligatus ingerere se divinis. Item etiam appellationibus non defert ad Romanam Ecclesiam interpositis, statuta generalis Concilii non observat, nunquam proponit populo verbum Dei, lingua et exemplo vitæ pravum subditis præbet exemplum, coram multis juravit, quod pacem, ipso vivente, Dunelmensis ecclesia non habebit. Conquerente sibi monacho quodam Dunelmensi se a servientibus suis ab ecclesia quadam fuisse extractum, et usque ad sanguinis effusionem pulsatum, respondit ei quod melius factum fuisset si servientes episcopi monachum peremissent. Ipse insuper apostolicam regulam, continentem qualis debeat esse episcopus, penitus calcavit in cunctis. Nos ergo, ne alienæ culpæ simus auctores, si clausis oculis tot et tanta prædicti episcopi transeamus errata, cum ad nos clamor super his ascenderit, ut dissimulationi amplius non sit locus, dignum duximus ex officii nostri debito descendere ut hæc an ita sint, vel aliter, videamus. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super his et cognita sollicite veritate, quæ inveneritis, vestris fideliter inclusis sigillis, ad nostram præsentiam remittatis, ut auctore Deo, quod super hoc faciendum fuerit, statuamus. Datum Viterbii... [IV kal. junii] pont. nostri anno quarto.

(1) *Forte*: Inculcatis simul clamoribus.

(2) *Forte*: Sententiam.

CXLV

Ad archiepiscopos, abbates, priores et alios ecclesiarum prælatos per regnum Franciæ constitutos.

29 maii 1220.

[Wadding, Ann. Minorum, I, 360.]

Notum facit Honorius se approbare ordinem fratrum Minorum, et fratres ordinis ipsius recognoscere catholicos. Monet prælatos ut fratres tanquam vere fideles et religiosos in suis diœcesibus admittant.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prælatis, per regnum Franciæ constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Pro dilectis filiis fratribus de ordine fra-

trum Minorum direxisse vobis recolimus scripta nostra, ut eos haberetis divini amoris intuitu commendatos. Sed sicut intelleximus, quidam vestrum, quasi habeant de ipsorum ordine conscientiam scrupulosam, quum nihil in eis suspicionis dignum invenerint, sicut ab aliis intelleximus, quibus adhibere possumus plenam fidem, ipsos in suis manere diœcesibus non permittunt, licet ex eo solum quod litteras nostras eisdem concessimus, nihil de eis sinistri debuerit opinari. Unde universitati vestræ volumus esse notum, quod nos ordinem talium approbatum habemus, et fratres ordinis ipsius viros recognoscimus catholicos et devotos. Quare monendos vos duximus et hortandos, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus ipsos tanquam vere fideles et religiosos in vestris diœcesibus admittatis, habentes eosdem pro divina et nostra reverentia propensius commendatos. Datum Viterbii, IV kal. junii, pontificatus nostri anno quarto.

CXLVI

Ad abbatem et conventum Garstenses.

29 maii 1220.

[Ub. ob der Enns, II, 617.]

Ipsis ecclesiam in Garsten cum capellis auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis, abbati et conventui Garstensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam in Garsten cum capellis suis vobis a venerabili fratre nostro, Pataviensi episcopo, de capituli sui assensu pia et provida liberalitate collatam, sicut eam juste et pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Viterbii, IV kal. junii, pontificatus nostri anno quarto.

CXLVII

Ad Philippum regem Francorum.

2 junii 1220.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 696.]

Minus feliciter procedente Ludovici, regis filii, adversus Tolosanos expeditione, rogat regem Honorius, ut bellum contra eosdem instauret, et obsequatur episcopis a se delegatis ad populos, propositis novis indulgentiis, excitandos.

Honorius episcopus....... carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem, etc.

Etsi cuncti debeant dolere fideles, quod negotium fidei, pro quo in provinciæ partibus tanto tempore laboratum est, quasi jam penitus corruit, nobis tamen et tibi præ cæteris est dolendum, quia, sicut negotium ipsum specialiter per studium nostrum et vires regni tui profecerat, sic ejus ruina specialiter in opprobrium nostrum et tuum manifeste redundat : quare utrique nostrum summo est studio innitendum, ut idem negotium, divino præeunte auxilio, relevetur. Ad quos nos mente sollicita intendentes, ac volentes tam honori tuo quam regni tui utilitatibus paterna sollicitudine providere, venerab. fratribus Remensi (1), Senonensi (2), Bituricensi (3), archiepiscopis, in regno ipso legationis officium distincte commisimus, ut fideles ad subventionem ipsius negotii, secundum datam sibi a Deo prudentiam, studeant exhortari, et tam indulgentiis quam modis aliis, quibus expedire viderint, animare.

Quia igitur hujusmodi factum quasi totum ex magnificentia tua pendet, excellentiam tuam rogamus, obsecramus in Domino Jesu Christo, ac tibi in remissionem injungimus peccatorum, quatenus, non diffidens de eo quod negotium ipsum graviter cecidisse videtur, sed potius de divina virtute confidens, ad ipsius relevationem magnifice et potenter exsurgas, cum per hoc tibi temporalem honorem compares et æternum, et sic tuum speciale sit ipsum negotium, ut, etiam si nos illud relinqueremus (quod absit) tibi tamen non sit aliquatenus relinquendum. Præfatis ergo archiepiscopis, in iis quæ pro sæpedicti relevatione negotii duxerimus providenda, diligenter assistens, et acquiescens eorum salubribus monitis et consiliis, tanquam nostris, ita te habere studeas

(1) Guillelmo de Joinville. (2) Petro de Corbolio. (3) Simoni de Sulliaco.

in hoc facto, quod tibi et regno tuo cedat ad gloriam et honorem, attendens, quod ad id etiam de jure teneris, cum princeps teneatur purgare malis hominibus terram suam, secundum canonicas et legitimas sanctiones. Datum Laterani, IV nonas junii, pontificatus nostri anno quarto.

CXLVIII

Ad Amalricum de Monteforti, comitem Tolosanum.

3 junii 1220.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 696.]

Petente Amalrico de Monteforti, Honorius confirmat eidem terras omnes de hæreticis acquisitas et acquirendas, quas patri ejus Simoni concesserat Innocentius in generali Concilio Lateranensi.

Honorius episcopus... dilecto filio nobili viro Amalrico, comiti Tolosano, salutem, etc.

Justis petitionum desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Sane in regestis bonæ memoriæ Innocentii papæ, prædecessoris nostri, perspeximus contineri, quod ipse Biterrensem, Carcassonensem et Albiensem civitates, ac alias hæreticorum terras, quas Dominus tradidit in manibus inclytæ recordationis patris tui ac exercitus Christiani, eidem patri tuo, cui principes ejusdem exercitus cum consilio legatorum Apostolicæ Sedis illas regendas commiserant, necdum hæredibus ejus in fide catholica et devotione Sedis Apostolicæ permanentibus confirmavit, principalium dominorum et aliorum, si quibus forte competit, jure salvo, exceptis hæreticis, et fautoribus, credentibus, defensoribus et receptatoribus eorumdem, eodem patre tuo tres denarios per singulas domos ejusdem terræ annualiter Romanæ Ecclesiæ promittente, ad indicium quod terras ipsas in devotione Apostolicæ Sedis et sancta religione conservare de cætero disponebat : idem prædecessor noster statuit in Concilio generali, ut terra quam crucesignati obtinuerunt adversus hæreticos, credentes, fautores et receptatores eorum, cum Montealbano atque Tolosa, dimitteretur atque concederetur, salvo catholicorum per omnia jure virorum, mulierum et ecclesiarum comiti memorato, ut ab illis teneret, a quibus est de jure tenenda. Nos, tuis justis precibus inclinati, terras quas ipsi patri tuo et hæredibus ejus dictus prædecessor noster noscitur confirmasse ad ejus exemplar tibi ac hæredibus tuis auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Quod vero de aliis concedendis et dimittendis eidem patri tuo ordinavit in Concilio generali, circa te ac hæredes tuos habere decernimus robur perpetuæ firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, etc. Datum Laterani, III nonas junii, pontificatus nostri anno quarto.

CXLIX

Ad Alatrinum subdiaconum et capellanum suum.

12 junii 1220.

[Bullar. Roman., edit. Taur., III, p. 371, n. 47.]

Ei mandat ut de manibus Friderici Romanorum regis terram comitissæ Mathildis recipiat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Alatrino subdiacono, et capellano nostro, salutem et apostolicam benedictionem.

Per tuas nobis litteras intimasti carissimum in Christo filium nostrum Fridericum illustrem regem Siciliæ, in Romanorum imperatorem electum, venerabili fratri nostro Meten. episcopo, imperialis aulæ cancellario, injunxisse, ut tibi terram claræ memoriæ comitissæ Mathildis faciat resignari. Quum igitur cum ipso cancellario venias, sicut eisdem nobis litteris intimasti, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus nomine nostro recipias terram ipsam, eamque personis ecclesiasticis committas Ecclesiæ Romanæ fidelibus et devotis, Romanæ Ecclesiæ nomine conservandam, donec super dispositione ipsius mandatum nostrum receperint speciale, ac deinde ad præsentiam nostram, dilatione postposita, revertaris. Quod si forte contingeret te hujusmodi occasione moram trahere longiorem, ea quæ ante regis adventum ad notitiam nostram expedit pervenire, nobis secreto significes per præsentium portitorem. Datum apud Urbem Veterem, secundo idus junii, pontificatus nostri anno quarto.

CL

Ad magistrum hospitalis extra portam Fogiæ.

15 junii 1220.

[Strehlke, Tabulæ, p. 145, n. 148.]

Honorius papa III hospitale extra portam Fogiæ sub sua protectione suscipit.

Honorius, etc., dilectis filiis magistro et fratribus hospitalis extra portam Fogiæ in suburbio de Vassano, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur, quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas et hospitale vestrum cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere vel, etc. Si quis autem, etc. Datum apud Urbem Veterem, XVII kal. julii, pontificatus nostri anno quarto.

CLI

Ad archidiaconum Senonensem.

16 junii 1220.

[Regest., lib. IV, ep. 773. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne insolitam jurisdictionem in abbatem Sancti Petri viri (1) Senonensis affectet.

Honorius, etc., dilecto filio... archidiacono Senonen., salutem, etc.

Significavit nobis dilectus filius... abbas monasterii Sancti Petri viri Senonen. quod tu in eum insolitam jurisdictionem usurpans quam tui prædecessores in ipsum, vel ejusdem conventum non consueverunt hactenus exercere, nulla monitione præmissa, in eum de facto tulisti auctoritate propria sententiam interdicti. Cumque idem irritari coram officiali Senonensi hujusmodi sententiam postularet, teque sibi ab illo in quadam pecuniæ summa in pœnam hujus injuriæ condemnari, dictus officialis, super hoc audita querela, relaxavit eamdem sententiam ad cautelam, causam super his de consensu partium in statu, in quo tunc erat ad Sedem Apostolicam remittendo, prout in ejus litteris plenius continetur. Nolentes igitur dicti abbatis, vel conventus ipsius gravamen indebitum sustinere, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in ipsos de cætero non usurpans aliquam jurisdictionem insolitam vel exercens, his tantummodo contentus existas, quibus prædecessores tui contenti fuerunt, nec aliud exigas ab eisdem quam a dictis prædecessoribus tuis exactum extitit et perceptum; alioquin dilectis filiis... abbati Sancti Crispini majoris... decano Sanctæ Mariæ in Vineis et magistro B. de Hisdinio canonico Suessionen. nostris damus litteris in mandatis, ut te, si secus, quod non credimus, egeris, a præsumptione hujusmodi, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescant. Datum apud Urbem Veterem, XVI kal. jul., pontificatus nostri anno quarto.

CLII

Ad abbatem et conventum Sancti Remigii Senonensis.

16 junii 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 774. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne archidiaconus Senonensis novam in eos jurisdictionem exercere præsumat.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui Sancti Remigii Senonen., salutem, etc.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium desideriis favorem benevolum impertiri. Quum autem sicut vobis exponentibus intelleximus monasterium vestrum sit cum membris suis venerabili fratri nostro... archiepiscopo Senonen. subjectum, et ei ac membris suis petieritis provideri a nobis ne... archidiaconus Senonen. quidquam ab eis de novo percipere seu vindicare præsumat, sed his duntaxat contentus existat, quæ suis consueverunt prædecessoribus exhiberi : nos vestris justis precibus inclinati, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne dictus archidiaconus jurisdictionem insolitam exerceat, vel aliquid vindicet, seu percipiat in eodem monasterio et membris ipsius ultra quam sui exercuerunt et perceperunt hactenus

(1) Il s'agit sans doute du monastère de la *Pierre-qui-Vire*, dans l'arrondissement de Sens, actuellement encore habité par des bénédictins.

decessoris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Urbem Veterem, XVI kalendas julii, pontificatus nostri anno quarto.

CLIII

Ad abbatem Sancti Crispini, decanum Sanctæ Mariæ in Vineis et magistrum Berardum de Hisdinio canonicum Suessionensem.

16 junii 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 775. Mss. La Porte du Theil.]

De eodem negotio ac in epistola præcedenti.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati Sancti Crispini majoris... decano Sanctæ Mariæ in Vineis, et magistro B. de Hisdinio canonico Suessionen., salutem, etc.

Cum sicut dilectis filiis... abbate et conventu Sancti Remigii Senonen. exponentibus, intelleximus, monasterium eorum sit cum membris suis venerabili fratri nostro... archiepiscopo Senonen. subjectum, et ei ac membris suis providere a nobis ne... archidiaconus Senonen. quidquam ab eis de novo percipere seu vindicare præsumat, sed his duntaxat contentus existat quæ suis consueverunt prædecessoribus exhiberi. Nos, ipsorum justis precibus inclinati, auctoritate Apostolica districtius duxerimus inhibendum, ne dictus archidiaconus jurisdictionem insolitam exerceat, vel aliquid vindicet seu percipiat in eodem monasterio, et membris suis, ultra quod exercuerunt seu perceperunt hactenus decessores. Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus archidiaconus contra inhibitionem vestram venire præsumpserit, vos eum a præsumptione hujusmodi, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis. Quod si non omnes, etc. Datum apud Urbem Veterem, XVI kal. julii, pontificat. nostri anno quarto.

CLIV

Ad Engelhardum Novemburgensem, etc.

17 junii 1220.

[Harenberg, Hist. eccles. Gandersh., 750.]

Mandat ut possessores Assenburgi coerceant illud dimittere.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus Novemburgensi..... Mersburgensi..... et..... quondam Halberstadensis ecclesiæ episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sane dilectæ in Christo filiæ, abbatissa et conventus Gandershemensis ecclesiæ, quæ ad nos immediate pertinere dignoscitur, nobis conquerendo monstrarunt quod Guncelinus dictus dapifer, et B. de Vulferbotele, item... de Bowende ac quidam alii Hildesemensis, etc., Halberstadensis diœcesum in fundo ipsius ecclesiæ castrum quoddam, quod dicitur Assenburg erexerunt, per quod prædictæ ecclesiæ subversio imminet manifesta... fraternitati vestræ per Apostolica præcepta mandamus, quatenus, si est ita, dictum Guncelinum et alios ut castrum ipsum diruant et fundum ejusdem abbatissæ et conventui quiete dimittant, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota, compellatis. Quod si non omnes his exsequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum apud Urbem Veterem, XV kal. julii, pontificatus nostri anno quarto.

CLV

Ad Sigfridum Moguntinum archiepisc.

20 junii 1220.

[Wurdtwein, Nova subs., IV, 110.]

Mandat pontifex ut exhortetur Fridericum regem Siciliæ ad libertatem, juxta promissionem suam, restituendam comiti Raynerio.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Mogunt., salutem et apostolicam benedictionem.

Obloquentibus olim multis de eo, quod carissimus in Christo filius noster F. illustris rex Siciliæ, in Romanorum imperatorem electus, ceperat nobilem virum comitem Reynerium ad præsentiam ejus fiducialiter accedentem, ipsi regi super hoc scripta nostra direximus qualia honori ejus et famæ vidimus expedire. Ipse vero nobis humili devotione ac devota humilitate rescripsit, quod restituta sibi terra sua, quæ dicti comitis nomine tenebatur, ipsum in manibus nostris libere resignaret. Cum igitur terra eadem nuntiis dicti regis sit plenarie, sicut accepimus, restituta, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem regem ex parte nostra moneas diligenter et prudenter inducas, ut juxta promissionem suam libertati restituat co-

mitem memoratum, ut quibus captio ejus occasionem tribuit obloquendi, libera et liberalis ejusdem dimissio materiam tribuat commendandi, nosque cognoscentes devotionem regiam in effectu, dignas ei grates reddere teneamur et dictus comes ac sui, qui magni et potentes esse noscuntur, tanto fortius ad regia provocentur obsequia, quanto regalem clementiam erga se senserint proniorem. Hoc autem mandatum nostrum diligenter et sine dilatione studeas adimplere. Datum apud Urbem Veterem, XII kal. julii, pontificat. nostri anno quarto.

CLVI

Ad Laudunensem et Ambianen. episcopos, et decanum Ambianensem.

20 junii 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 790. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis, ut ad ecclesiam beati Petri juxta monasterium Sancti Vedasti Atrebatensis accedentes, abusus in ea invalescentes reforment et corrigant.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus... Laudunensi et Ambianensi episcopis, et dilecto filio... decano Ambianen., salutem, etc.

Ex parte cleri et populi Atrebaten. fuit expositum coram nobis, quod cum in ecclesia B. Petri, quæ sita est juxta monasterium Sancti Vedasti, tredecim præbendæ de suorum prædecessorum eleemosynis ab antiquo institutæ fuissent ad opus sæcularium clericorum, cui longo tempore ministrarunt ibidem... abbas, et conventus ejusdem monasterii ad quos præbendarum ipsarum donatio pertinebat, ut bona ipsius ecclesiæ in proprios usus abusive redigerent loco canonicorum pro tempore decedentium, instituebant vel potius ingerebant suos monachos in eamdem. Quod cum felicis memoriæ I. papæ prædecessori nostro fuisset expositum, idem causam super hoc venerabili fratri nostro... Tornacen. episcopo, tunc magistro scholarum, et ejus conjudicibus delegavit. Qui legitime procedentes a prædicta ecclesia monachos amoveri, et in ea institui clericos sæculares sententialiter decreverunt, in monachos illos, qui eorum sententiæ parere nolebant, excommunicationis sententiam promulgando. Postmodum vero idem prædecessor noster, ad suggestionem prædictorum abbatis et conventus, statuit ut certus ibi deputaretur numerus monachorum qui perpetuo in eadem ecclesia ministrarent. Quod licet utrumque aliquandiu observatum fuisset, nunc tamen per eorum injuriam et militum usque adeo est in temporalibus diminuta, et in spiritualibus deformata, quod tanquam abjecta supellectilibus, et aliis negotiis sæcularibus minus honestis exposita valde habetur contemptui, quæ olim cum summa reverentia colebatur. Unde memorati clerus et populus eidem ecclesiæ debito compatientes affectu, nobis humiliter supplicarunt, ut cum parati sint de bonis propriis clericis sæcularibus in ea Domino servituris competentes redditus assignari, in statum antiquum eam redigi faceremus, antequam penitus annuletur. Cum igitur instantia nostra quotidiana sit ecclesiarum omnium sollicitudo continua, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus illuc personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Deum, statuatis super hoc, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, quod eidem ecclesiæ secundum Deum melius videbitis expedire; contradictores, si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Testes autem, etc.; quod si non omnes, etc. Datum apud Urbem Veterem, XII kalendas julii, anno quarto.

CLVII

Ad Claromontensem episcopum.

24 junii 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 787. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei non obstante quodam statuto quo nullus in Claromontanen. ecclesia canonicus fieri deberet donec numerus canonicorum redactus fuisset, ut alii admittantur.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Claromontensi, salutem, etc.

Petitio tua nobis exhibita, quod olim statutum fuit in Claromontensi ecclesia, et salvo mandato Apostolico juramento firmatum, ut certus canonicorum numerus in ecclesia ipsa de cætero haberetur, nullo, donec ad ipsum numerum ventum esset ibidem in canonicum ultra jam dictum numerum assumendo, idemque statutum fuit a Sede Apostolica confirmatum. Cum autem nonnulli canonici ejusdem ecclesiæ, animabus suis providere volentes, parati sint cedere locis suis, ut alia instituantur ibidem qui grata possint ipsi ecclesiæ obsequia exhi-

bere, nobis humiliter supplicasti ut eis, non obstante quod nondum deventum est ad numerum sæpedictum, personas idoneas et ecclesiæ utiles subrogari de nostra permissione liceret. Nos igitur precibus tuis benignum impartientes assensum, præsentium tibi auctoritate concedimus ut, post spontaneam canonicorum ipsorum resignationem, liceat tibi cum capitulo tuo, vel majori et saniori parte ipsius in locis illorum, præmissis non obstantibus, alias personas idoneas, sublato appellationis obstaculo, subrogari. Datum apud Urbem Veterem, VIII kalendas julii, anno quarto.

In eumdem modum scriptum est... et capitulo Claromonten.

Petitio vestra, *usque* supplicastis, ut non obstante quod nondum est ad numerum sæpedictum, dilectum filium Hugonem de Turre clericum alicui canonicorum ejusdem ecclesiæ de nostra subrogari permissione liceret. Nos igitur precibus vestris, etc., *ut supra usque* resignationem alicujus canonicorum ipsorum liceat vobis in loco ipsius, præmissis non obstantibus, dictum Hugonem, sublato appellationis obstaculo, libere subrogari. Datum ut supra.

CLVIII

Ad episcopum Claromontensem.

26 junii 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 788. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut, non obstante canonicorum oppositione, beneficia quæ in ecclesia sua per sex menses vacare contigerit, conferre possit.

Honorius, etc., venerabili fratri.... episcopo Claromonten., salutem, etc.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod cum beneficia, quæ in ecclesia tua per sex menses vacare contingit, vis concilii Lateranen. auctoritate conferre; canonici ejusdem ecclesiæ asserentes te simul cum ipsis negligentem in collatione beneficiorum hujusmodi extitisse, eo quod de consuetudine Claromonten. episcopus canonicus (1) ecclesiæ memoratæ, impedire conantur, ne beneficia ipsa conferas auctoritate concilii memorati. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus non obstante occasione hujusmodi quam frivolam reputamus, beneficia, quæ per semestre tempus vacare contigerit in ecclesia memorata, vel aliis tibi subjectis, personis idoneis auctoritate ipsius concilii conferas libere, ac licenter. Datum apud Urbem Veterem, VI kalendas julii, pontificatus nostri anno quarto.

(1) Texte évidemment mutilé, mais conforme au manuscrit.

CLIX

Ad Petrum, Senonensem archiepiscopum.

27 junii 1220.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 698; Regest., lib. IV, ep. 783.]

Honorius, qui Gualteri Cornuti electionem ad Parisiensem episcopatum, a rege Philippo commendatam, in irritum rejecerat, rursus Guillelmum de Signiliaco Autissiodorensem episcopum, ad sedem Parisiensem promotum, regi, Senonensi archiepiscopo et Parisiensi capitulo commendat.

Honorius episcopus..., venerabili fratri archiepiscopo Senonensi (2), salutem, etc.

Ut sinceræ caritatis affectus quem ad Parisiensem ecclesiam gerimus, pateret clarius per effectum eidem pastoris solatio destitutæ, venerabilem fratrem nostrum W. (3) tunc Autissiodorensem episcopum, virum præclaræ famæ, notæ virtutis ac probitatis expertæ, illi providimus in episcopum et pastorem, ei per scripta nostra mandantes ut onus regiminis ejus susciperet, a sollicitudine Autissiodorensis ecclesiæ absolutus : qui, antequam nostræ ad eum litteræ pervenissent, iter ad Apostolicam Sedem arripiens, ut, quasi re integra, posset hujusmodi onus facilius declinare, demum in nostra et fratrum nostrorum præsentia constitutus, postulavit humiliter et instanter, ne jam dictum onus imponeremus eidem, quod nulla ratione deserere volebat Autissiodorensem ecclesiam, quæ nutriverat ipsum a puero, et promoverat primo in canonicum et deinde in decanum, et demum in episcopum sublimaverat, adjecto quod, onera officii pontificalis expertus, ad quæ portanda reputabat se insufficientem etiam in loco quem diu probaverat, et in quo noverat mores hominum et devotionis sentiebat affectum, novum sibi jugum imponi non immerito formidabat, præsertim cum frequentibus et desperatis ægritudinibus adeo fractus esset, quod in eo vigor erat virium et omnium sensuum imminutus, et minus eminentis scientiæ ac peritiæ mitteretur ad locum ubi præcipue viget scientia et abundat eminentia peritorum. Denique se ita

(2) Petro de Corbolio.
(3) Guillelm. de Signiliaco.

constantem, ne pertinacem dixerimus, exhibuit in hac parte, ut potius utroque prædictorum episcopatuum carere voluerit, quam Parisiensem habere, Autissiodorensem, dummodo liber remitteretur ad propria, paratus prompto animo resignare.

Licet igitur, his et aliis, sicut vir prudens et humilis, ad sui excusationem inductis, aliud nobis suadere studuerit, nos tamen, mutare nolentes quod in favorem Parisiensis ecclesiæ deliberato consilio feceramus, eidem in virtute obedientiæ ac sub pœna excommunicationis injunximus, ut regimen susciperet ecclesiæ sæpedictæ, sicque ad urgentem nostram et fratrum nostrorum instantiam onus diutius recusatum, non tam inductus quam compulsus, assumpsit. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, ipsum habens propensius commendatum, in suis et ecclesiæ sibi commissæ negotiis impendas ei, sicut ad te pertinet, consilium et auxilium opportunum. Datum apud Urbem Veterem, V kalendas julii, pontificatus nostri anno quarto.

In eumdem modum scriptum est capitulo Parisiensi : Ut sinceræ caritatis affectus, etc., *usque* assumpsit. *Deinde subjicitur :* Ipsum igitur ad vos cum gratiæ nostræ plenitudine transmittentes, universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus eumdem sicut patrem et pastorem vestrum suscipiatis hilariter, et, dignam ei honorificentiam exhibentes, salubribus monitis et mandatis ipsius intendatis humiliter et devote, ita quod, præter favorem suis meritis debitum, specialiter ob gratiam nostram circa se uberiorem sentiat vestræ devotionis affectum. Datum ut supra.

In eumdum modum scriptum est Ph. regi Francorum illustri, *usque* assumpsit. *Dein subjicitur :* Ideoque serenitatem tuam attente rogandam duximus et monendam, quatenus dictum episcopum, qui de tuo, ut sic dicamus, factus est magis tuus, suorum meritorum intuitu et precum nostrarum obtentu, vultu sereno recipiens, et regalia nuntiis ejus (cum ipse venire sic festinato non possit, apud nos certa de causa aliquantulam moram trahens) assignans liberaliter et libenter, ipsum ita favore regio prosequaris, quod eumdem episcopum, qui promptam et paratam habet ad tua obsequia voluntatem, tua benignitas tibi devotiorem faciat ex devoto (1); nosque, qui pro honore tuo non nisi probatum virum volumus ecclesiæ Parisiensi præficere, devotionem regiæ celsitudinis debeamus merito commendare. Datum ut supra.

In eumdem modum scriptum est capitulo Autissiodorensi, etc., *usque* assumpsit. *Dein:* Ideoque per Apostolica vobis scripta mandamus quatenus personam, quæ tanto congruat oneri et honori, provideatis vobis canonice in episcopum et pastorem. Datum ut supra.

CLX

Ad consules et populum Tolosanum.

29 junii 1220.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 700.]

Instantius Tolosanos, in spiritu clementiæ ac caritatis, urget Honorius, ut revertantur ad ecclesiæ unitatem, comminatus, alioquin se eorum urbem episcopalis dignitatis honore et diœcesis prærogativa privaturum et eorum bona his abjudicaturum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, consulibus et populo Tolosano spiritum consilii sanioris.

Expectantes exspectavimus, ut, censuram canonicam, de vestra salute solliciti, formidantes, tandem aliquando ad unitatem ecclesiasticam rediretis; ac ideo, licet vobis fuerimus comminati, quod civitatem vestram privaremus episcopalis dignitatis honore, diœcesim vestram per circumstantes episcopos divisuri, hactenus tandem suspendimus nostræ comminationis effectum, ne possitis conqueri, quod ad pœnam hujusmodi promptiores debito fuissemus : sed vos, abutentes nostræ longanimitatis patientia, et thesaurizantes vobis indignationem et iram, nec emolliri blanditiis, neque minis aut flagellis corrigi, hactenus potuistis. Licet igitur Apostolica comminatione reddideritis vos indignos, nos tamen, non quod vestra mereatur duritia, sed quod apostolicam caritatem deceat, attendentes, infra... dies humiliter redeatis ad ecclesiasticam unitatem, præcise jurando in manibus venerabilis fratris nostri C. Portuensis episcopi, A. S. legati, ac postmodo alias idoneas cautiones, quod parebitis

(1) Legendæ ea de re Honorii ad Philippum regem litteræ, supra, col. 421, lib. IV, epist. 121.

mandatis omnibus quæ nos, vel ipse legatus, vobis duxerimus facienda : scientes, etc... Alioquin pro certo noveritis, quod prædictæ dignitatis honore civitatem vestram privabimus, ejus diœcesim eum vicinis diœcesibus applicantes, ac insuper per sententiam expresse vobis abjudicabimus omnia bona vestra, quum et vestra perversitas, et statutum generalis Concilii contra hæreses et eorum auctores editum id exposcant... *Cætera desunt.*

In eumdem modum scriptum est consulibus et populo Nemausensi, consulibus et populo Avenionensi.

CLXI

Ad Raymundum filium Raymundi.

29 junii 1220.

[Bouquet, ibid., p. 701; Vaissète, Hist. du Languedoc, III, preuv. 268.]

Monet Raymundum filium pontifex ut Sedi Apostolicæ tandem obtemperet et ad sinum Ecclesiæ revertatur : alioquin ex ea terra ultra Rhodanum dejiciendus, quam, cæteris deperditis, Raymundus pater, indulgente Ecclesia Romana obtinuerat.

Honorius episcopus, etc., nobili viro R. filio R. quondam comitis Tolosani, spiritum consilii sanioris.

Cum Tolosa et alia terra quam pater tuus ultra Rhodanum obtinuit, sibi et hæredibus suis per Apostolicam Sedem fuerit abjudicata perpetuo, exigentibus culpis suis, et eadem Apostolica Sedes, sperans quod ipsius patris tui pœna te ab ejus vestigiis absterreret, in manibus suis retinuit terram illam quam citra Rhodanum idem pater tuus obtinuit, ut videlicet terra tibi provideret eadem, si te dignum de hujusmodi gratia exhiberes : tu vero, ejusmodi patris tui vestigiis deserendis inhærens, fovisti et foves hæreticos, fideles autem impugnasti et incessanter impugnas, ita ut non solum hæreticorum fautor, sed et hæreticus videaris, et tam terram ipsi patri tuo et hæredibus ejus, ut prædictum est, abjudicatam omnino, quam eam quæ fuit pro tua provisione servata, violenter invadens, et in ea favens hæreticis et receptans, excommunicationis sententiam propter hoc in te latam a multis jam annis pertinaciter contemnendo, ita exhibuisti Apostolicæ Sedis gratia te indignum, ut spe provisionis quam tibi in præfata terra citra Rhodanum reservavit, jamdudum justissime potuit te privare. Adhuc autem experiri volentes, utrum blanda monitio emollire possit cordis tui duritiam, teque ad viam rectitudinis revocare, notum tibi facimus, monemus et exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, apud te ipsum recogitans quanti periculi sit quod præcisus es ab ecclesiastica unitate, ad sinum Ecclesiæ, quæ parata est recipere redeuntes, humiliter revertaris, in manibus venerabilis fratris nostri C. Portuensis episcopi, A. S. legati, præcise jurando et præstando alias idoneas cautiones, quod parebis mandatis omnibus quæ nos et ipse tibi duxerimus facienda : sciens, quod, si, sano usus consilio, intra mensem feceris quod hortamur, nos tuorum obliviscemur excessum, et ad provisionem tuam de qua Sedes Apostolica, ut prædictum est, pie ab initio cogitavit, taliter intendemus, quod Romana Ecclesia erga te matris viscera fateberis habuisse; alioquin habeas pro constanti, quod etiam spe reservatæ provisionis te omnino privabimus, et per sententiam expresse tibi abjudicabimus etiam dictam terram citra Rhodanum existentem. Nec confidas in eo, quod nunc tibi successisse videtur, quasi contra Deum valeas prævalere; quia, si tibi abjudicari contigerit terram ipsam, numquam illam excommunicatus diu poteris retinere, cum ab ea possessione sit facile dejici, quæ sine justo titulo noscitur detineri... *Cætera desunt.*

CLXII

Ad universos Christi fideles.

29 junii 1220.

[Schröder, Papist. Meklenburg., I. 527.]

Universis Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis qui ecclesiam Zwerinensem visitaverint, indulgentias concedit.

Honorius, etc., universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius majestate sperantium tunc præcipue magno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adjuvatur. Cupientes igitur ut ecclesia Zwerinensis quæ nova plantatio extitit, sponsa et mater

in Ecclesia Dei, in qua a Christi fidelibus sacramentum Domini nostri Jesu Christi pie creditur esse reconditum, congruis honoribus frequentetur et etiam conservetur, et ut Christi fideles eo libentius causæ devotionis confluant ad eamdem et ad ejus conservationem manus promptius porrigant adjutrices, qui ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refectos et animarum commodum se speraverint adipisci, ipsamque novam sponsam Zwerinensem ecclesiam, etiam ad devotam et humilem petitionem nobilis et inclyti viri Henrici comitis Zwerinensis, dilecti nostri ac sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ strenui defensoris, donis ac dotibus spiritualibus dotare desiderantes, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam in festis, videlicet in cœna Domini et Ascensionis ejusdem Domini nostri Jesu Christi, causa devotionis accesserint manusque porrexerint adjutrices, plurimam concedimus remissionem peccatorum; qui vero in festis beati Viti, nativitatis Mariæ ac sancti Johannis evangelistæ eamdem ecclesiam, causa promerendæ gratiæ, visitaverint, tertiam partem remissionem (*sic*) peccatorum et viginti unum annos et totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus; eis vero qui in festivitatibus Nativitatis Christi, Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, Purificationis, Annunciationis Mariæ, Resurrectionis, Inventionis Sanctæ Crucis, Pentecostes, Johannis Baptistæ, Petri et Pauli, Jacobi, Laurentii, Assumptionis Mariæ, Bartholomæi, Exaltationis Sanctæ Crucis, Michaelis archangeli, Simonis et Judæ, Martini, Cæciliæ, Catharinæ, Andreæ et Thomæ apostoli quindecim annos; ipsis vero, qui singulis sextis feriis, dominicis diebus dictam ecclesiam devote visitaverint, septem annos et totidem quadragenas perpetuis temporibus de injunctis pœnitentiis misericorditer relaxamus (1). Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, III kal. julii, pontificatus nostri anno quarto.

CLXIII

Ad magistrum et fratres domus hospitalis Jerosolymitani Parisiensis.

1 julii 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 702; Regest., lib. IV, epist. 795.]

Monet ut Hospitalarii, pariter ac Templarii, operam suam pro deferenda in Terræ Sanctæ subsidium vicesima præbeant.

Honorius episcopus... dilectis filiis magistro et fratribus domus hospitalis Jerosolymitani Parisiensis, salutem, etc.

Quum dilecti filii fratres militiæ Templi jam pluries onus susceperint pro deferenda vicesima in subsidium Terræ Sanctæ, nos, nolentes vos hujus oneris relinquere inexpertes, cum id æqualiter pertineat ad utrosque, discretionem vestram monemus attente per Apostolica scripta mandantes, quatenus sex millia vel quinque millia, aut ad minus quatuor millia marcarum de vicesima quam dilectus filius P. (2) Norwicensis electus, camerarius noster, A. S. legatus, penes vos deponi mandavit; aut, si forte illa tanta non est, de alia pecunia nostra in domo vestra deposita, vel, si forsan utraque ad perficiendum aliquem de numeris prædictis non sufficit, de alia pecunia, undecumque ipsam habere potestis, quia nos vobis reddi faciemus, eamdem mittatis in proximo passagio in subsidium Terræ Sanctæ, venerabili fratri nostro Albanensi episcopo, A. S. legato, fideliter assignanda. Datum apud Urbem Veterem, kalendas julii, anno quarto.

(1) De illa Bulla hæc loquitur Potthast : *Bulla spuria, nec in Honorio III, nec in Honorio IV quadrat*. Qui nullas sui judicii rationes affert, sive historicas, sive alias. In proœmio quidem commendatur invocatio sanctorum, quod protestantismo displicere potest, non vero nobis. Illud proœmium in stylo concordat et in ipso dicendi modo cum aliis multis. Ipsa indulgentiarum concessio forsan quibusdam non arridet. Sed inter catholicos nullus dubitat quin personalis, realis et localis indulgentia legitime concedatur. Et hæc ultima datur cum obligatione ecclesiam quamdam visitandi, ibique aliquandiu orandi, cujus *forma* invaluit, ait Schram sæculo duodecimo occurente. Nam forma seu modus indulgentiarum historiam patitur. Sed ante Honorium III et nullo modo ad Leonem X, hic modus sive hæc forma indulgentiæ referenda. Indulgentiam plenariam dari aut partialem admittunt catholici omnes. Unde nulla difficultas in his verbis : *Pro tertia parte peccatorum;* [notandum : *pro tertia parte*, melius dici quam *tertiam partem remissionem*]. Indulgentia pro tertia parte erit in forma generali, dum alia pro viginti annis erit in forma partialis indulgentiæ. Ipsa verba nostræ bullæ : *pœnitentibus et confessis* non minus indicant remissionem pœnæ, non culpæ, quam illa : *Ex injunctis pœnitentiis*. Id tantum nobis quamdam obscuritatem affert, *pro tertia parte et 21 annos*, id est indulgentia quæ sit eodem tempore in forma generalis et in forma partialis indulgentiæ. Ast non magni momenti est illud.

(2) Pandulphus.

CLXIV

Ad Aymarum, thesaurarium militiæ Templi Parisiensis.

1 jul. 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 702; Regest., lib. IV, epist. 785.]

Laudato ob eximiam in procurando vicesimæ negotio diligentiam, Honorius Aymaro mandat, ut in Syriam transmittat sex millia marcarum in Anglia collectarum.

Honorius episcopus..., dilecto filio fratri Aymaro, thesaurario domus militiæ Templi Parisiensis, salutem, etc.

Discretionem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, quod eam super facto vicesimæ curasti diligentiam adhibere, ut dignum te gratia nostra reddideris et divina; quapropter, tuam gerentes in visceribus Christi personam, proponimus unde tuæ debeamus sollicitudini respondere. Cæterum, quia subventione præsertim pecuniæ indiget Terra Sancta, volumus et per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus venerabili fratri nostro P. Albanensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, sex millia marcarum argenti de Angliæ vicesima, quæ si ad hoc non sufficit, de alia quæ ad nos pertinet pecunia, per eos per quos dirigitur tuæ domus subsidium, sine mora transmittas.

Datum apud Urbem Veterem, kal. julii, anno quarto.

In eumdem modum scriptum est Pelagio, Albanensi episcopo, A. S. legato, *in epist.* 786: Fraternitati tuæ præsentibus innotescat, quod nos dilecto filio fratri Aymaro, thesaurario domus militiæ Templi Parisiensis, nostris dedimus litteris in mandatis, ut per eos per quos dirigitur domus suæ Terræ [Sanctæ] subsidium, sex millia marcarum argenti tibi sine mora transmittat.

Datum apud Urbem Veterem, kal. julii, anno quarto.

CLXV

Ad Ugrinum Colocensem archiepiscopum.

3 julii vel augusti 1220.

[Fejer, Codex diplom., Hung. III, I, 294.

Honorius juribus Hungariæ ob Andreæ regis alienationes immoderatas consulit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Colocensi archiepiscopo, et ejus suffraganeis.

(Vide *Quinta Compilatio*, lib. II, tit. XV, cap. 3; *De jurejurando*, t. I, col. 237.)

CLXVI

Ad Robertum Wesprimiensem episcopum.

6 jul. 1220.

[Fejer, Cod. dipl. III, I, 289.]

Ut super his quæ ad prorogationem passagii seu transfretationis pertinent, et quod crucesignatorum saluti et Terræ Sanctæ succursui viderit expedire statuat.

Honorius episcopus, etc., venerabili fratri... Wesprimiensi episcopo, etc.

Ex parte tua fuit nostris auribus intimatum quod olim tibi nostris dederimus litteris in mandatis, ut eos, qui crucis fuerant caractere insigniti, moneres, præcipiendo per censuras ecclesiasticas compelleres, ut exsequerentur in instanti passagio vota sua, tu eos juxta mandatum apostolicum ad id efficaciter monuisti : verum cum quidam crucem, et quamplures ex ipsis non solum crucem, sed et cum ipsa deposuissent animum transfretandi, et ad iter necessaria minime habeant nunc parata, licet crucem prosumpserint, in instanti tamen passagio nequeunt proficisci : unde a te humiliter postulabant ut pro eis nobis supplicare deberes, quod ipsorum transitus usque ad commune passagium Hungarorum, videlicet a Pascha proximo venturo in annum, de benignitate Sedis Apostolicæ differretur. Præterea nobis insinuare curasti, quod quidam crucesignati, et signandi etiam, inter cætera confitentur, se in canonem incidisse sententiæ promulgatæ, qui propter incommoda paupertatis asserunt, se duplicem non posse sustinere laborem, veniendi scilicet ad Sedem Apostolicam pro absolutionis beneficio obtinendo, et proficiscendi in subsidium Terræ Sanctæ. Adjecisti etiam, quod quum fuerit in Concilio generali statutum, ut qui in vicesima sua in Terræ Sanctæ subsidium festinanda fraudem scienter committerent, excommunicationem incurrerent eo ipso, in Hungaria multi sacerdotes parochiales ac alii, quidam per fraudem, quidam etiam per negligentiam hujusmodi sententiam incurrerunt.

Unde quum quidam ex ipsis parati solvere, quod negarant, petant beneficium absolutionis instanter, humiliter postulabas, ut super præmissis providere misericorditer dignaremur... Nos igitur de discretione tua plenam fiduciam obtinentes, vices nostras in hac parte tibi duximus committendas, fra-

ternitati tuæ per Apostolica scripta mandantes, quatenus super his, quæ ad prorogationem passagii pertinent memorati, statuas, quod crucesignatorum saluti et Terræ Sanctæ succursui videris expedire: proviso prudenter, et in præsenti negotio, sic te habeas circumspecte, quod a Deo vel hominibus propter hoc non valeas reprehendi; quin potius una cum venerabili fratre nostro..... Colocenci archiepiscopo modis, quibus poteris, studeas laborare, ut ad Pascha proxime venturum, vel ad sequens festum Nativitatis beati Joannis Baptistæ passagii terminus restringatur. Injectoribus vero violentarum manuum supradictis, nisi excessus ipsorum essent adeo difficiles et enormes, quod merito forent propter hoc ad Sedem Apostolicam destinandi, juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendas, et injungas eis, quod talibus consuevit injungi; ita tamen quod prius passis injuriam satisfaciant competenter. Detentoribus autem vicesimæ supradictæ dummodo eam cum integritate persolvant in Terræ Sanctæ subsidium destinandam, munus absolutionis impendas.

Datum apud Urbem Veterem, II nonas julii, anno quarto.

CLXVII

Ad Henricum episcopum Bononiensem, Azzonem abbatem S. Stephani et Tancredum canonicum eccles. Bononiensis.

6 jul. 1220.

[Savioli, Ann. Bologn., t. II, II, 434.]

Mandat ut inducant vel, si necesse fuerit, coerceant populum et potestatem Mantuanos, ne de cætero bona Massæ Fiscaliæ, quæ B. Petri juris sint, debacchantes aggravent.

Honorius episcopus, etc.

Miramur plurimum quod quum potestas et populus Mantuanus deberent alios a gravamine Sedis Apostolicæ coercere, non cohibeant quosdam ex civibus vestris qui admodum gravant eamdem, in bonis Massæ Fiscaliæ, quæ B. Petri juris esse dignoscitur, debacchantes, quum tamen fuerint interpellati frequenter ut eos a nostra super hoc revocarent injuria et offensa, sed forte crassantibus in jure vestro, pauci ex vobis tantæ discretionis existunt ut libenter velint omnes et singuli pœnam fortassis asperam et probrosam de illorum malitia reportare. Certe quum non dubium illos revocare eos posse facile ab errore eorum, civitas peccatis communicans alienis, adversus eos tyrannidem exercere videntur, cum negligere cum possit perturbare perverso, nihil aliud est quam... Unde nos eisdem potestati et populo dedimus firmiter in præceptis ut, cum sufficiat eis tanto tempore mandatis super hoc apostolicis illusisse, a præsumptione hujusmodi cives retraherit memoratos temporali eos districtione cogentes, ut a prædicta Massa quæ juris specialis est nostra recedant. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si potestas et populus antedicti præceptum nostrum negligerint adimplere, vos eos ad id moneatis attentius et efficaciter inducatis et si necesse fuerit, per severitatem ecclesiasticam submota appellatione coerceatis. Quod si non omnes, etc. Datum apud Urbem Veterem, II non. julii, anno quarto.

CLXVIII

Ad archiepiscopum Dublinensem.

6 julii 1220.

[Theiner, Mon. Hibern., 15, n. 34.]

Archiepiscopo Dublinensi, ne se de cætero gerat pro legato, cum sit concordia inter Anglos et Hibernos reformata.

Honorius episcopus, venerabili fratri, archiepiscopo Dublinensi, salutem.

Cum olim Angliæ ac Hiberniæ regnis turbatis pro turbatione sedanda tibi legationis officium in partibus Hiberniæ duxerimus committendum, pace nunc in regnis eisdem per Dei gratiam reformata, expedire non credimus, ut te de legationis officio intromittas, quum quod necessitas, pro remedio reperit, cessante necessitate, cessare debeat pariter quod urgebat. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus illud devote relinquens, te non geras de cætero pro legato: nos enim venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis Hiberniæ nostris dedimus litteris in mandatis, ut tibi tamquam legato amodo non intendant. Datum apud Urbem Veterem, II nonas julii, pontificatus nostri anno quarto.

CLXIX

Ad Ugrinum archiepiscopum Colocensem.

7 julii 1220.

[Pray, Hierarch., II, 53.]

Rogat et monet eum, ut una cum Roberto, episcopo Wesprimiensi, modis omnibus laboret, ut ad Pascha proxime venturum vel ad sequens festum nativitatis beati Johannis Baptistæ, transfretationis in subsidium Terræ Sanctæ terminus restringatur.

Honorius episcopus, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Colocenci salutem, etc. Fraternitatis tuæ litteras benigne recepimus, et quæ continebantur eis, notavimus diligenter, devotionem tuam dignis in Domino laudibus commendantes : ex eo quod sicut in eisdem perspeximus litteris contineri, ut alios, sicut verus Domini discipulus, ad Crucifixi servitium exemplo et opere invitares, juxta verbum evangelicum cœpisti, facere ac docere, crucem tuis humeris affigendo, ut alios ad id posses efficacius animare; propter quod in Domino exultantes tibi specialiter congaudemus, quia tu in domo Domini per ministerium manuum nostrarum plantatus, tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, uberes fructus tempore protulisti : cujus exemplo, sicut tuæ litteræ continebant..., comite Palatino et multis aliis nobilibus Hungariæ assumentibus signum Crucis, cum quidam ex eis vellent in instanti passagio, quidam vero longe postea proficisci, tu ac venerabilis frater noster R., Wesprimiensis episcopus cum aliis crucesignatis nobilibus statuistis, ut a festo Paschæ proxino venturo in annum omnes crucesignati Hungariæ unanimiter transfretarent, quod petebas per Sedem Apostolicam approbari.

Verum quoniam non possumus esse certi, qualiter crucesignatorum negotium, qui sunt in transmarinis partibus pro Jesu Christi servitio constituti, debeat terminari, approbationi termini memorati duximus supersedendum ad præsens. Quum autem Salvator humani generis incœperit in hoc facto misericordiæ suæ januam aperire populo Christiano, fraternitatem tuam rogamus, monemus, consulimus et hortamur, per Apostolica scripta mandantes, quatenus una cum episcopo memorato modis, quibus poteris, studeas laborare, ut ad Pascha proximo venturum, vel ad sequens festum nativitatis beati Johannis Baptistæ præfatus terminus restringatur. Datum apud Urbem Veterem, nonis julii, anno quarto.

CLXX

Ad Marchionem Estensem.

8 julii 1220.

[Theiner, Cod. dipl., I, 53, n. 79.]

Marchioni Estensi præcipit ut audaciam Ferrariensium in occupanda Massa Fiscaliæ reprimat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Nobili viro... Marchioni Estensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Interrogamus te, quomodo zeleris Ecclesiæ Romanæ matris honorem, cum in oculis tuis cives Ferrarienses, contra fidelitatis debitum et juramentum bis præstitum, occupaverint Massam Fiscaliæ, quæ beati Petri juris existit, et ejus præsumant homines detinere captivos. Certo dolemus, quod tanquam alienus a nobis filius de injuria nostra non curas, sed magis dolere compellimur, quod hoc erit aliis, qui minus quam tu tenentur Sedi Apostolicæ, in exemplum. Quocirca nobilitati tuæ sub debito fidelitatis districte præcipiendo mandamus, quatenus ad eorumdem captivorum liberationes, quum ad hoc tenearis, cum eo intendas affectu, quod sequens affectus nos doceat nostrum tuum reputare gravamen, et in Ecclesiæ Romanæ injuria tanquam in propria te offensum. Datum apud Urbem Veterrem, VIII [idus] julii, pontificatus nostri anno quarto.

CLXXI

Ad populum Ferrariensem.

8 julii 1220.

[Theiner, Cod. dipl. I, 53, n. 78.]

Ferrariensibus pontifex se civitatem eorum episcopali honore privaturum comminatur, nisi terram Massæ Fiscaliæ occupatam demittant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, populo Ferrariensi spiritum consilii sanioris.

A ferri forte duritia Ferrarienses gloriamini nuncupari, cum nec fidelitatis debitum, quo Apostolicæ Sedi tenemini, nec religio bis præstiti a vobis super facto Massæ Fiscaliæ juramenti, nec ecclesiasticæ districtionis severitas, nec formido tremendi judicii a nostro super eadem Massa gravamine vos potuerit hactenus cohibere : prop-

ter quod gravis quidem in vobis excessus, sed gravius est exemplum, nam [non solum] gladium in Romanam Ecclesiam matrem vestram acuitis, sed inficitis cæteros, ut eo magis ei nocere præsumant, quo minus quam vos eidem considerant se teneri. Certe jamdudum dilectis filiis hominibus ejusdem Massæ lugentibus impugnari se graviter a civitate vestra, filia Sedis Apostolicæ matris suæ, circa vos arte periti medici usi sumus, cum perfidiæ vulnus in nobis nondum incisione curare voluerimus, sed fomentis, quibus vos ad salutem speravimus revocari: sed plaga jam sua magnitudine desperata, ferrum providimus adhibendum, quia secanda sunt vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam. Dolemus ergo quod ad eam nos peccati vestri duritia necessitatem inducitis, ut vobis in jure nostro reproba temeritate crassantibus parcere non possimus, pro eo quod non est virtus, sed vitium peccatoribus ignoscere obstinatis. Porro cum Ecclesia Romana vestram ecclesiam præ cæteris specialius adoptavit in suam, multis eam bonis repleverit et dotavit, vosque pingues et incrassati ac recalcitrantes, dilecti, tantam matris aspernimini gratiam, ut tanquam filii a nobis alieni a nostris duxeritis semitis declinandum; quomodo remanebit gratia cum ingratis, quin potius cum prodigi sitis honoris, pro eo quod tam impudenter fidelitatem et jusjurandum a tergo relinquitis? quare non auferremus a vobis, nisi cito ad cor revertamini, prævaricatores, honorem, episcopalem videlicet dignitatem, cum ad vindictam hujusmodi sceleris et exempli vix pœna sufficiat ignominiosa quantumlibet et damnosa? Verum adhuc exspectare ac vos præmunire volentes, si forsan ex aliqua devotionis vel discretionis scintilla, datum sit vobis effugere a facie arcus extenti, universitati vestræ consulimus, et per Apostolica scripta sub debito fidelitatis et præstiti juramenti districte præcipiendo mandamus, quatenus non præbentes vestrum alienis honorem, prædictam Massam, quæ, beati Petri juris existit, tanquam rem, quæ in nullo ad vos pertinet, universi et singuli dimittatis, nihil vobis in ea vel in ejus habitatoribus amplius usurpantes, et de perpetrato a vobis tantæ temeritatis excessu dignæ Deo et nobis satisfacere satagentes. Alioquin, ut, quibus culpa vestra fuit in scandalum, pœna sit in exemplum, formidare potestis, ne vos episcopali dignitate privemus, dolentes si partem tam honorabilem a vestro cogamur corpore separare. Scituri nos ad præsens vicinis episcopis injunxisse, ut districte suis civibus et diœcesanis sub pœna excommunicationis inhibeant, ne vobis, donec ad mandatum nostrum redieritis, in commerciis communicare, aut in civitate vestra potestariæ, seu quodcumque aliud officium exercere præsumant, cum pro eo etiam, quod perjurii et infidelitatis improperium incurristis, eis expediat vitare. Datum apud Urbem Veterem, VIII idus julii, pontificatus nostri anno quarto.

CLXXII

Ad conventum de Raitenbuch.

8 julii. 1220.

[Monum. Boic., VIII, 20.]

Ipsum in protectionem suam suscipit et ecclesias diversas ei confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis præposito et conventui de Raitenbuch, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut per sollicitudinem officii nostri, id ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, et locum in quo divino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesias in Groffingen, in Urbach, in Mulhusen et in Unfrezhusen, et Sancti Laurentii in Schongan ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste et pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Urbem Veterem, VIII idus julii, pontificatus nostri anno quarto.

CLXXIII

Ad Guillelmum Vivariensem et Gaudfridum Tricastrensem episcopos.

10 julii 1220.

[Raynaldi, Annal. Ecclesiast. ad annum 1220, § 28.]

Mandat ut Bertrandum de Cares et ejus complices, interfectores Roberti Aniciensis episcopi ad agendam pœnitentiam præscriptam per censuram ecclesiasticam compellant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Guillelmo, salutem et apostolicam benedictionem.

Piaculare flagitium, quod Bertrandus de Cares, et ejus complices commiserunt bonæ memoriæ Aniciensem episcopum crudeliter occidendo, flere libet potius, quam referre, ipsa immanitate flagitii verba profundis intercidente suspiriis, et lacrymas invitis etiam oculis exprimente. Quem enim non moveat, quisve siccis oculis recitet, virum nobilitate spectabilem, dignitate insignem, meritis vitæ laudabilem, dominum a vassalis, pium ab impiis, patrem a filiis, pro tuenda ecclesiæ sibi commissæ justitia interemptum ! Licet autem multi adversus Deum, et adversus Christum ejus convenerint, dictus tamen Bertrandus universorum et singulorum nequitiam supergressus solus, cum ordinatum fuisset, ut dicitur, ne quis ipsum episcopum tangeret, in eum sacrilegas manus extendere ac armatus inermem, mansuetum crudelis, patrem filius, occidere non expavit.

Tanti ergo facinoris atrocitate permoti, eumdem Bertrandum et ejus in tanta impietate consortes, qui ad nostram præsentiam accesserunt, longo tempore sustinuimus ante fores palatii nostri excubare discalceatos et nudos, aures, et oculos ab eorum ejulatibus, et lacrymis avertendo, ut et ipsi per difficultatem hujusmodi enormitatem flagitii sui plenius intelligerent, et alii quoque, quibus illorum culpa fuit in scandalum, de ipsorum confusione non solum exemplum, sed etiam solatium reportarent. Porro, ipsis aures nostras clamoribus indefessis sine cessatione pulsantibus, tandem attendentes non sanis, sed male habentibus, esse opus medico, secundum evangelicam veritatem, ne illos, ulteriori difficultate adhibita, desperationis barathrum absorberet, eorumdem se ad satisfactionem omnimodam offerentium recipi, fecimus juramenta, et eisdem beneficio absolutionis impenso, talem injungi pœnitentiam sub debito præstiti juramenti, quod videlicet omnes, qui convenerunt ad insidias contra ipsum episcopum nec tamen præsciverunt eum debere interimi, nec ejus interitum procuraverunt, sine dilatione resignabunt Anicien. ecclesiæ, si quis eorum in feudum tenet aliquid ab eadem nec illud unquam de cætero repetent, nec ea de causa inquietabunt ipsam ecclesiam; nec inde movebunt ei aliquam quæstionem. Ad hæc in civitate Podien. si secure poterunt, unam facient quadragesimam ostiatim, induti saccis, vel ciliciis ac detonsis capitibus mendicantes, in pane et aqua bis in hebdomada jejunando. Quod si forte secure non poterunt esse in civitate prædicta, secundum prænotatum modum unam facient quadragesimam in aliqua de civitatibus convicinis, qua peracta, in præfata civitate Podien. vel alia ultra mare transibunt in Terræ Sanctæ servitio per biennium moraturi, ac omnes sextas ferias jejunaturi in pane, et aqua toto tempore vitæ suæ, nisi eos evidens infirmitas excusaverit vel solemnitas Nativitatis Dominicæ occurrerit eo die.

Prædictus vero Bertrandus, cujus est detestabilior culpa, resignato secundum quod supradictum est feudo, si quod ab ecclesia ipsa tenet, ac deposito cingulo militari contra Christianum nunquam de cætero arma feret. Tres quadragesimas in civitate Podii, si securus poterit ibi esse, alioquin in aliis vicinioribus faciet indutus sacco, aspersus cinere, tonso capite, discalceatus et ostiatim mendicans, ac pane solo, et aqua contentus tribus diebus qualibet septimana. Insuper per tres quadragesimas supradictas omni die dominica toti clero, et populo civitatis in qua ipsas faciet quadragesimas, nudum se offeret cum virgis, quas in manu deferet verberandum. His peractis ultra mare transibit per septennium moraturus ibidem in servitio Terræ Sanctæ, ac in suo reditu, apostolico se conspectui præsentabit cum litteris patriarchæ, ac aliarum authenticarum personarum, quæ in partibus illis tempore illo erunt; continentibus qualiter ibi per dictum septennium fuerit conversatus. Toto tempore vitæ suæ duas in anno faciet quadragesimas, et sextas ferias, ac solemnes vigilias in pane et aqua; nisi certa corporis infirmitas præpediat, vel

occurrat Dominicæ Nativitatis solemnitas jejunabit. A communione quoque corporis et sanguinis Domini abstinebit septennio, nisi fuerit in morbis articulo constitutus. Si vero post tres quadragesimas prædicto modo peractas ad Cartusien. vel Cistercien. ordinem transire legitime poterit et transierit, erit a supradicta pœnitentia excusatus. Ideoque fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eos ad agendam pœnitentiam suprascriptam monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota, si necesse fuerit, compellatis.

Datum apud Urbem Veterem, VI idus julii, pontificatus nostri anno quarto.

CLXXIV

Ad abbatem Kestedensem in Anglia.

11 julii 1220.

[Manrique, IV, n. 86, IV.]

Mandat ut procedant secundum tenorem litterarum non obstante fili detractione casu fortuito a bulla.

Honorius episcopus dilecto filio abbati Kestedensi, salutem.

Ad audientiam nostram pervenit quod cum [quidam] contra abbatem, et conventum sancti Edmundi Norvicensis diœcesis, quasdam ad vos, super capella quadam ad ecclesiam suam spectante, ac rebus aliis, apostieas litteras impetrasset : vos citatis partibus, et habito jam in parte, super commisso vobis negotio, litterarum prædictarum auctoritate processu, quia postmodum a litterum ipsarum bulla filum fuit fortuito casu detractum, ulterius in eodem procedere negotio noluistis. Quocirca discretioni vestræ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus, si est ita, casu non obstante prædicto, in negotio ipso, secundum earumdem litterarum tenorem, appellatione remota, ratione prævia, procedatis. Datum apud Urbem Veterem quinto idus julii anno quarto.

CLXXV

Ad decanum, cantorem et Jh. de Sezannia canonicum Sancti Stephani Trecensis.

11 julii 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 821. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut audiant causam quæ inter decanum de Nogento et decanum ac capitulum Lingonensem vertebatur.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano.... cantori, et Jh. de Sezannia canonico Sancti Stephani Trecen. salutem, etc.

Ex parte nobilis viri R. domini de Nongento fuit propositum coram nobis, quod cum... decanus et capitulum Lingonen. inhiberent eidem, ne cujusdam villæ suæ repararet fossata et munitionem erigeret in eadem, ipse respondit eisdem, quod hoc faciendo ipsis nullam injuriam inferebat, sed utebatur potius jure suo, paratus coram domino feodi a quo tenet villam prædictam vel alibi ubi debent super hoc justitiæ plenitudinem exhibere et ne propter hoc in ipsum vel terram suam aliquid attentarent, ad Sedem Apostolicam appellavit, octavam resurrectionis Dominicæ proximo præteritæ suæ terminum appellationis præfigens; sed ipsi legitima ejus appellatione contempta terram ejusdem supposuerunt ecclesiastico interdicto. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, juxta formam ecclesiæ ad cautelam hujusmodi sententia relaxata, si vobis præfatam villam esse de feudo constiterit alieno, Dominum feudi moneatis præcedenter, ut eisdem super hoc exhiberi faciat justitiæ complementum. Alioquin vos partibus convocatis, audiatis causam et quod justum fuerit, appellatione postposita, statuatis facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc. Datum apud urbem veterem quinto idus julii pontificatus nostri anno quarto.

CLXXVI

Ad archidiaconum, magistrum scholarum ac magistrum C. canonicum Andegavensem.

11 julii 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 822. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut ad debitum finem perducant causam vertentem inter Gumonem laicum et P. Cignart clericum.

Honorius, etc., dilectis filiis archidiacono..... magistro scolarum et magistro C. canonico Andegaven., salutem, etc.

Intelleximus P. Cignart clerico intimante, quod cum W. Gumon laicus Andegaven. diœcesis ad venerabilem fratrem nostrum... Cenomanen. episcopum et conjudices suos quosdam a nobis contra eum super quibus-

dam possessionibus et rebus aliis simplici forma litteras impetrasset, demum cum W. crimen contra eum per clausulam illam professionibus et rebus aliis intentaret et judices interloquendo decreverint, quod tenebatur ipse per eamdem clausulam super crimine respondere, idem ex hoc sentiens indebite se gravari nostram audientiam appellavit; sed dicti judices ipsi appellatione contempta excommunicationis in eum sententiam protulerunt. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictam excommunicationis sententiam nullam esse penitus nuntiantes, in causa ipsa juxta priorum continentiam litterarum, appellatione remota, ratione prævia procedatis. Alioquin partes ad priorum judicum remittatis examen, appellantes in expensis legitimis condemnantes. Quod si non omnes, etc. Datum apud Urbem Veterem, quinto idus junii, pontificatus nostri anno quarto.

CLXXVII

Ad potestatem et populum Tudertinos.

11 julii 1220.

[Theiner, Cod. diplom. I, 54, n. 80.]

Tudertinis, ut paci inter ipsos et Spoletanos, apud Mevaniam de ducatu Spoletano ad demanium Romanæ Ecclesiæ reverso, per nuntium apostolicum firmatæ acquiescant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... potestati et populo Tudertinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sit nostra sollicitudo continua diversa mundi climata speculari, et vineam Domini Sabaoth vallare aggeribus sepibusque munire, ne fructus ejus exterminet serpens aut reptile venenatum, subito a remotis oculorum vertentes aciem ad propinqua, Jeremiæ ollam conspeximus accensam in patrimonio Jesu Christi, cui universæ terræ malleus, qui semper circa conflatorium commoratur, ab aquilonis facie incendia ministrabat. Habentes igitur viscera compassionis cum Paulo, quibus infirmitati et scandalo singulorum cogimur subvenire, duplici gladio Petri nos circa femur accinximus, obviantes ollæ pestiferæ, quæ flammas ignivomas emiserat per Ecclesiæ Romanæ filios speciales, per quas in parte non modica in tantum cum draco prævaluerat devorando, ut sine difficultate maxima salutis et pacis sequi spes aliqua servaretur. Cum enim inter Spoletanos, Narnienses, Cocojonenses et adjutores eorum ex parte una, Interamnenses, Tudertinos, Fuliginates et adjutores ipsorum ex altera, in tantum inimicitiæ succrevissent, ut post multorum stragem, angustias et pressuras, damna rerum et personarum, quæ irreparabiliter passi fuerant et intulerant alternatim, multi miseri sub arctissima custodia vinculis ferreis mancipati, jam quasi de vitæ solatio desperarent. Ad liberationem ipsorum non sine compassione materna, patris animum induentes, apud Viterbium constituti, dilectum filium magistrum Pandulfum subdiaconum et notarium nostrum ad partes illas duximus destinandum, cui ad liberationem captivorum et reformationem pacis plenarie commisimus vices nostras, addentes, ut virga correctionis honestæ auctoritate nostra corriperet insolentes. Ad patris vero imperium spiritum fortitudinis assumens filius, captivos, quos apud Narniam, Sanctum Geminum, Interramnem, Spoletum, Tudertum et Cocojonem invenit, non sine magnis laboribus et expensis cum summa diligentia liberavit; Fuliginates vero, quia multos ex Cocojone captivos habebant, per quos credebant in ipso castro aliquid sibi quomodolibet vindicare. Quia tamen apud nos non est acceptio personarum, sed nobis hoc solum sufficit, ut omnia recte fiant, dicto subdiacono nostris dedimus litteris in mandatis, ut si forsan excommunicationis pœnam contemnerent rebellionis spiritum assumentes, ipsos ad liberationem captivorum compelleret saltim gladio temporali. Qui cum fideles ecclesiæ per ducatum et Tusciam constitutos juxta mandatum nostrum ad exercitum (adversus) excommunicatos et interdictos faciendum viriliter invitasset, paratus eorum superbiam in manu forti et brachio extento punire, ipsi tandem ad cor reversi, per manus prædicti subdiaconi nostris et suis precise juraverunt stare mandatis, et primo plegios quinque pro quingentis; secundo decem pro mille libris Lucensibus sine pacto et aliqua conditione dederunt, sicut in instrumentis exinde confectis vidimus contineri. Liberatis tandem ad ipsius subdiaconi mandata captivis, et post juramenta potestatis, judicum, consiliariorum omnium civitatis ejusdem ac aliorum multorum, qui in excommunica-

tionem inciderant, excommunicationis et interdicti sententiis relaxatis, et sic captivis omnibus pristinæ redditis libertati apud Mevaniam, potestatibus civitatum et castrorum fere omnium de ducatu, quos ad suam præsentiam advocaverat, sub debito fidelitatis, quo Ecclesiæ Romanæ tenentur, et pœna mille librarum injunxit, ut in octavis Apostolorum Petri et Pauli quælibet potestas cum tribus vel quatuor de communitate sua, vicem omnium habentibus, se apud Urbem veterem nostro conspectui præsentaret, ac interim pax aut firma treuga servaretur hinc inde. Quibus ad præfixum terminum in nostra præsentia constitutis, post tractatum diutinum tam super pace inter ipsos plenius reformanda, quam super ducatu retinendo ad manus nostras, quod et ipsi diligenti meditatione tractaverant cum subdiacono memorato : tandem Perusini, Alisini, Fuliginates, Nucerini et Interamnenses, juxta mandatum nostrum, munitiones, castra, regalia, sicut ea unquam habuit et possedit aliquo tempore bonæ memoriæ Conradus, in nostris manibus libere resignarunt. Spoletani autem super his, quæ de ducatus demanio tenere dicuntur, taliter responderunt, quod hoc nullatenus, quod in sui juris præjudicio resignabant, maxime cum contra eos quondam dux Conradus, si ea possedit aliquando, possessor extiterit violentus : hoc tamen promisit firmiter, quod se in nullo nostro nuntio vel rectori opponeret, qui possessionem rerum ipsarum nostra fretus auctoritate intraret. Hoc autem articulo ad honorem Romanæ Ecclesiæ ac nostrum, necnon et totius ducatus, prout decuit, expedito, ad pacem et tranquillitatem ipsorum diligenti sollicitudine ac sollicita diligentia intendentes, a Tudertinis, Fuliginatibus, et Interamnensibus pro se ac adjutoribus suis, ore proprio, non sine cautela, osculum pacis accepimus ad invicem firmius observandæ, quibus in præsentia fratrum nostrorum et de ipsorum consilio firmam pacem de cætero hinc inde injunximus observandam, et sic ducatum et omnia alia, sicut ea possedit et habuit quondam dux Conradus, ad proprietatem et domanium Romanæ Ecclesiæ reducentes, jus suum unicuique, cum locus et tempus fuerit, proponenti coram nobis duximus reservandum. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta sub debito fidelitatis et pœna mille librarum districte injungimus, quatenus supradicta omnia et vos ipsi firmiter observetis, et ab aliis ditioni vestræ subjectis, quantum in vobis fuerit, faciatis observari.

Datum apud Urbem Veterem, V idus julii, pontificatus nostri anno quarto.

In eumdem modum scriptum est potestati et populo Spoletano et omnibus per Tusciam et ducatum Spoletanum constitutis.

(1) Guillelmo de Siligniaco.

CLXXVIII

Ad Herveum, comitem Nivernensem.

12 julii 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 704; Regest., lib. IV, epist. 823.]

Cum Nivernensis comes Autissiodorensem urbem, statim atque Guillelmus episcopus Parisios inde transierat, armis occupasset, comitem litteris suis et minis deterritat a consilio Honorius, ac regem Philippum obtestatur, ut eumdem compescat.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio comiti Nivernensi, salutem et apostololicam benedictionem.

Si mente sollicita putassemus, quod ecclesia et civitas Autissiodorensis hostem haberent in januis, et hostilitatis inde timerent excidium, unde securitatis debebant subsidium exspectare, quantumcumque sollicitudo Parisiensis ecclesiæ, sponsi dudum viduatæ solatio, nos arctasset, cavissemus utique, ne illius provisio in alterius exterminium redundaret. Sed ecce (quod dolentes referimus) nimis cito inconveniens istud nobis objicere properasti, dum, venerabili fratre nostro Parisiensi episcopo (1), qui ad defensionem civitatis prædictæ a carissimo in Christo filio nostro P. (2), Constantinopolitano imperatore illustri crucesignato, sibi et nobili viro Roberto de Curteniaco fratri ejus commissæ, una cum aliis collegis suis a Sede Apostolica deputatus exstitit, pro imminenti necessitate ipsius Parisiensis ecclesiæ ab Autissiodorensis sollicitudine absoluto, et ad nostram præsentiam accedente, tu confestim, captata ejus absentia, civitatem præfatam invasisti hostiliter et per violentiam occupasti, clero et populo civitatis ejusdem graves et enormes injurias irrogando, non utique absque

(2) Petro de Curteniaco.

gravi Jesu Christi offensa, cujus ipse imperator obsequiis se devovit, meditatione sollicita non attendens, quod, cum crucesignati omnes et bona eorum sub protectione Apostolicæ Sedis et nostra consistant, æquanimiter tolerare non possumus nec debemus, quin ad tantam reprimendam et vindicandam injuriam exsurgamus, cum ad id, præter crucesignatorum privilegium, alia ratio necessaria nos compellat. Cum enim imperator prædictus de bonis omnibus quæ habuit in civitate præfata et pertinentiis ejus, paucis duntaxat exceptis, Autissiodorensis ecclesiæ vassallus fuisse noscatur, bona ipsa occupari vel detineri non possunt absque manifesta ecclesiæ memoratæ injuria et gravissimo detrimento (1).

Sperantes igitur ut, si datum fuerit desuper, tamquam vir providus, ad cor revertens, per te ipsum prudenter emendes, quod in divinæ majestatis offensam, Apostolicæ Sedis et nostram injuriam, et tuæ salutis dispendium, temerario et pernicioso usus consilio attentasti, nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per Apostolica tibi scripta sub interminatione divini judicii districte præcipiendo, mandantes, quatenus, civitatem ipsam dimittens liberam et quietam, et a molestatione ipsius de cætero penitus conquiescens, clero et populo supradictis damna restituas, et restitui facias omnia quæ per te ac tuos irrogata esse noscuntur eisdem. Alioquin noveris nos episcopo, S. Martini et S. Lupi abbatibus Trecensibus, in mandatis dedisse, ut te ad hæc, monitione præmissa, per excommunicationis in personam et in terram tuam interdicti sententias, appellatione remota, compellant. Datum apud Urbem Veterem, IV idus julii, pontificatus nostri anno quarto.

In eumdem modum scriptum est Philippo regi Francorum illustri, *usque* noscuntur. *Deinde subjungitur :* Quia igitur te non decet tantæ præsumptionis audaciam sub dissimulatione transire, serenitatem regiam rogamus attentius et monemus et obsecramus per aspersionem sanguinis Jesu Christi, quatenus, si dictus comes præceptum nostrum neglexerit adimplere, tu eum ad hæc, tradita tibi a Domino potestate, compellas. Datum ut supra.

(1) Quæ et quanta Autissiodorensibus intulisset damna Herveus, narrat anonymus scriptor historiæ episcoporum Autissiodorensium, t. XVIII, p. 738. (Bouquet.)

CLXXIX

Ad abbates Præmonstratensis ordinis.

12 julii 1220.

[Le Paige, Bibl. Præmonstrat., 652.]

Præmonstratenses canonici possunt sacris ordinibus initiari, a quolibet antistite cum Romana Ecclesia communionem habentes.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus Præmonstratensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Vestris et ordinis vestri ecclesiarum, commoditatibus providentes auctoritate vobis præsentium indulgemus ut si quem episcopum communionem et gratiam Sedis Apostolicæ habentem et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, cum non semper propriorum episcoporum copiam habeatis, liceat vobis ab eo recipere benedictionem vasorum et vestium, consecrationes altarium, et ordinationes canonicorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc... Si quis autem...

Datum apud Urbem Veterem, tertio idus julii, pontificatus nostri anno quarto.

CLXXX

Ad capitulum et clerum Spalatenses.

14 julii 1220.

[Fejer, Codex dipl. Hung. III, I, 291.]

Indulget ut nullum eis præjudicium generetur occasione collectæ cujuslibet.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo et clero Spalatensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Per vestras nobis litteras insinuastis, quod carissimo in Christo filio nostro, rege Hungariæ, dum proficisceretur in Terræ Sanctæ subsidium, per civitatem vestram transitum faciente, comes et populus civitatis ejusdem collectam facientes, pro exhibenda digna honorificentia ipsi regi, petierunt, ut tam hæreditatum vestrarum, quam ecclesiasticorum proventuum, habita ratione, contingentem tribueretis in collecta hujusmodi portionem, quorum petitioni præstitistis de hæreditate assensum. Quia vero grave vobis fieret præjudicium, si forte id ad consequentiam traheretur; sup-

licastis, ut super hoc paterna vobis providere sollicitudine dignaremur. Nos igitur, precibus vestris benignum impendentes assensum, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut ex hoc nullum vestræ libertati præjudicium generetur. Nulli ergo. Si quis autem.

Datum apud Urbem Veterem, II idus julii pontificatus nostri anno quarto.

CLXXXI

Ad B. capellanum, A. S. legatum.

18 julii 1227.

[Regest., lib. IV, epist. 832. Mss. La Porte du Theil.]

Concedit ei potestatem Doliensis episcopi cessionem accipiendi, si canonica fuerit.

Honorius, etc., dilecto filio B. capellano nostro Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster C. Dolien. episcopus suis nobis litteris intimavit, ad illum se propter infirmitates continuas et ætate in ipso jam senescente pervenisse defectum, quod nedum prædicationis verbo prodesse non possit, sed vix legere valeat, vel videre scripturas, cum linguæ sit et oculorum fere prorsus officio destitutus. Unde idem cum instantia postulavit a nobis, ut cum penitus sit inutilis ad exercendum officium pastorale absolvere ipsum a commissa sibi sollicitudine dignaremur, ne cum locum suum infructuose jam occupet, lugeat sub umbra nominis sui casum continuum ecclesiæ Dolien. et episcopalem ibi haberi contemptui dignitatem, seque urgente de orsa conditione corporea, casso labore perfringi, qui, si a fastigio pontificali descendat in quo prodesse non potest, in humiliori statu se reducturus est sibi et his, quæ propriam saltem salutem provehunt libere vacaturus. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si tibi constiterit ita esse, ac dictus episcopus hujusmodi supplicationi duxerit insistendum, tu ei cedendi licentiam auctoritate nostra concedas, et libera ejus cessione recepta capitulo ecclesiæ Dolien. injungas, ut per canonicam electionem sibi provideant de persona idonea in pastorem. Datum apud Urbem Veterem, XV kalendas augusti, pontificatus nostri anno quarto.

CLXXXII

Ad abbatem et conventum Sancti Nicasii Themensis.

19 julii 1220.

[Regest., lib. IV, epist. 826. Mss. La Porte du Theil.]

Concedit conventui decimas novalium in ipsorum parochiis.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui Sancti Nicasii Remen., salutem, etc.

Supra cathedram beati Petri licet immeriti, disponente Domino, constituti, vestras et aliorum religiosorum petitiones, quantum possumus, Apostolico favore prosequimur, cum in religiosis personis, et locis Romana semper consueverit Ecclesia delectari. Unde cum sicut proponitis in parochiis ad monasterium vestrum in temporalibus pertinentibus veteres decimæ ad vos spectent, quas vos dicitis hactenus pacifice percepisse, a nobis tam suppliciter, quam humiliter postulastis, ut concedere vobis novalium decimas in eisdem parochiis misericorditer dignaremur. Nos igitur inclinantes vestris supplicationibus aures nostras id vobis duximus concedendum. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum apud Urbem Veterem, XIV kal. augusti, anno quarto.

CLXXXIII

Ad episcopum Lemovicensem, ac abbates de Boscheto, Cistercien., et Sancti Theofredi Claromonten. et Anicien. diœcesum.

21 julii 1220.

[Regest., lib. IV, ep. 839. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut inquirant de P. in Brivaten. præpositi electione, et si inveniant non fuisse canonicam, illam irritam pronuntient.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Lemovicen., et dilectis filiis... de Boscheto, Cisterciens. ordinis, et... Sancti Theofredi abbatibus Claromonten. et Anicien. diœcesum, salutem, etc.

Dilectus filius cantor, et nonnulli alii canonici ecclesiæ Brivaten. Claromonten. diœcesis sua nobis petitione monstrarunt, quod, vacante præpositura ipsius ecclesiæ, quæ est major personatus ejusdem ipsius loci, capitulum tres de capitulo ipso concorditer assumpserunt, qui juxta formam Concilii generalis vota inquirerent singulorum

ut ille demum præpositus haberetur in quem omnes, vel pars major et sanior conveniret. Verum antequam scrutinium factum esset... abbas ejusdem loci, non requisitis voluntatibus singulorum, nec revocata potestate tribus concessa de singulorum voluntatibus inquirendis, P. nepotem suum, nondum in sacris ordinibus constitutum, cui ad dignitatem hujusmodi obtinendam nec scientia, vel alia merita suffragantur in præpositum, revelantibus id sibi carne et sanguine, temere nominavit, cum id ad ipsum nec de jure, nec de consuetudine ipsius ecclesiæ pertineret. Unde fuit a præfatis cantore, et suis ad nostram audientiam appellatum et in octavas Pentecostis terminus ipsorum appellationi præfixus. Sed dictus P. innitens nominationi hujusmodi quibusdam canonicis ipsius loci adhærentibus sibi, et, *Te Deum laudamus*, cantantibus, appellatione contempta, sedem præpositi stipatus militibus, et aliis laicis occupavit, et administrationi temere se ingessit, ne contra ipsius electionem aliquid fieret, appellando, et in octava beati Juliani appellationi suæ terminum præfigendo. Unde dictus cantor, et pars sua nobis humiliter supplicarunt, ut electionem taliter de facto præsumptam irritam nuntiantes, et revocantes quidquid post appellationem ad nos interpositam extitit attentatum, ac eos qui contra formam Concilii ad hujusmodi electionem procedere præsumpserunt, eligendi potestate hac vice, secundum ejusdem concilii statuta, privantes, ac alias punientes secundum canonicas sanctiones, aliis qui non deliquerunt ipso negotio, eligendi personam hujusmodi officio congruentem, facultatem liberam concedere dignaremur. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ de utriusque partis procuratorum assensu, per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui propter hoc fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, si vobis prædicta constiterit esse vera, electionem ipsam tanquam de facto præsumptam nuntietis irritam et inanem, revocantes in irritum quidquid post appellationem a prædictis cantore, et sociis suis ad Sedem Apostolicam interpositam inveneritis attentatum, et fructus medio tempore perceptos eidem ecclesiæ restitui facientes, ac eis qui electionem hujusmodi facere præsumpserunt, eligendi hac vice potestate privatis, faciatis ab aliis canonicis, qui circa hoc non deliquerunt, ipsi ecclesiæ de præposito per electionem canonicorum, sublato appellationis obstaculo, provideri facientes, quod decreveritis per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Dat. apud Urbem Veterem, XII kalendas augusti, pontificatus nostri anno quarto.

CLXXXIV

Ad archiepiscopos et episcopos universos.

21 julii 1220.

[Le Paige, Bibliot. Præmonst., 682.]

Ordinarii delinquentes parochos Præmonstratenses ad claustrum revocari permittant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii abbas Præmonstratensis ac alii abbates ordinis sui coram nobis exponere curaverunt, quod cum canonici ejusdem ordinis commorantes in parochialibus ecclesiis ad ipsos spectantibus, aliquo casu delinquunt, ita quod expediret eos ad claustrum suum recepturos disciplinam ordinis revocari : quidam vestrum indignum favorem impendentes eisdem, ipsos retinere conantur in locis, in quibus nequeunt absque scandalo et ecclesiarum ipsarum dispendio commorari. Ad hæc enim in eorum aliquos, propter suos excessus, excommunicationis sententiam promulgantes, relaxare non vultis eamdem, nisi pœna pecuniaria præcedente. Ideoque universitatem vestram rogandam duximus et monendam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus quum dicti abbates, tales ad claustrum propter scandalum et ecclesiarum dispendium evitandum, seu etiam pro disciplina monastica circa delinquentes hujusmodi exercenda duxerint revocandos, non obsistatis eisdem, nec illis favorem indebitum impendatis. Sed instituentes, prout ad vos pertinet, in ipsis ecclesiis alios vobis præsentatos ab ipsis, delinquentes revocari ad

claustrum libere permittatis, disciplinam ordinis recepturos, ne aliter faciendo tribuatis eisdem audaciam detrectandi obedientiæ jugum, et ipsorum abbatum potestatem quodammodo enervetis. Illud autem districtius inhibemus, ne pro relaxandis excommunicationis sententiis promulgatis in ipsos, pœnam pecuniariam exigatis, cum non habeant proprium, nec illorum culpa debeat in ecclesiæ suæ dispendium redundare. Datum apud Urbem Veterem, duodecimo kal. augusti, pontificatus nostri anno quarto.

CLXXXV

Ad capitulum Augustense.

21 julii 1220.

[Monum. Boica, XXXIII, I, 59.]

Ipsi ecclesias in Attenburen, Annenusen, Holzhaim et Lebzingen. ab H. ecclesiæ Aug. præposito eidem donatas, confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Augustensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de Attenburen, de Annenusen, de Holzhaim, et de Lebzingen ecclesias a bonæ memoriæ H. ecclesiæ vestræ præposito, ad quem ipsarum donatio pertinebat, pia vobis liberalitate concessas, diœcesani episcopi ad hoc accedente consensu, sicut eas juste ac pacifice possidetis vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Urbem Veterem, XII kal. augusti, pontificatus nostri anno quarto.

LIBER QUINTUS

DE QUINTO HONORII III PONTIFICATUS ANNO.

Quam in anno præcedenti multa de Frederici in imperatorem incoronatione dicta scriptave fuerant, ipse cum multo et nobilissimo comitatu Alpes transiens, Veronam pervenit, ibique subsistit. Litteras de novo ad Pontificem direxit in quibus suam et obedientiam et reverentiam testari voluit. Quibus perlectis, Honorius rescripsit ad episcopum Tusculanum et Alatrinum capellanum, eis mandans, ut capitularia quædam Frederico proponerentur, quæ in ipsa die incoronationis, sub nomine imperiali, in Basilica principis Apostolorum publicarentur, et simul tractaretur de necessitate crucesignatis in Oriente quamprimum subveniendi.

Promulgata igitur fuit in Basilica Vaticana *constitutio imperialis* de abrogatione et destructione omnium statutorum ac consuetudinum contra ecclesias vel ecclesiasticam libertatem, et inter missarum solemnia anathematis sententiam *tulit* Honorius adversus hæreticos omnes et hæreticorum fautores. Quod fœdus sacerdotii et imperii non semel postea Fredericus eluisse videtur. Sed hæc imperatoris coronatio quasi primum locum tenet inter alios hujus anni varios eventus.

Dum hæreticos acriter Pontifex persequebatur, temperamentum adhibuit erga Joachimum abbatem; cujus commentarium in Petrum Lombardum

damnaverat sententia Lateranensis Concilii. Ab hæreseos labe eum esse immunem declaravit, qui Ecclesiæ Romanæ judicio semet subjecerat.

Eadem temperantia in causa Judæi cujusdam, Azzachi nomine insignis usus est. Quem sub patrocinio Apostolico suscepit, rogantibus episcopis Hispanis.

Ast, ille Honorius qui sic infideli patrocinium Apostolicum concessit, in legatum etiam Apostolicæ Sedis desævire non timuit, quando Huguicio ejus subdiaconus et capellanus in Hispania multa perpetrabat, sub prætextu vicesimæ colligendæ, quæ in ipsam Ecclesiam Romanam redundarent. Hujus hominis audaciam fregit.

Lusitaniæ regem vehementer arguit eodem tempore, quem antea magnis laudibus extulerat. Sed ille in amores illicitos inciderat, et aliunde libertatem ecclesiasticam aspernabatur: Ecce homo, ait Honorius, qui sibi Deum non posuit adjutorem, sed speravit in multitudine divitiarum et in sua prævaluit vanitate. Cui significat, nisi ad meliorem revertatur vitam, episcopis mandasse, ut anathemate feriatur.

Hoc anno, in Anglia, corpus S. Thomæ translatum fuit, approbante Honorio. Is fuerat vindex ecclesiasticæ libertatis. Interea, in Hibernia, sedata rebellione, omnes, relictis Ludovici Galliarum regis primogeniti partibus, ad Henricum regem se contulerunt, quem Sancta Sedes totis viribus tuebatur.

Unde in illo quinto Honorii III pontificatus anno, res Christiana undequaque prospere se gesserat, nisi in Oriente apud Damiatam. Nam imperator Fredericus de die in diem votum differebat, et crucesignatorum exercitus in periculum veniebat, multis de partibus illis reversis ad proprias domos. Plurimi etiam dicebant nihil fructuose moliri, dum expectaretur imperator. Sicque illis in patriam redeuntibus et aliis timiditate nimia fractis, nil boni remanebat sperandum.

I

Ad episcopum, decanum et capitulum Tullensem.

24 julii 1220.

[Regest., lib. V, ep. 3. Mss. La Porte du Theil.]

Confirmat reductionem præbendarum in ipsorum ecclesia a sexagenario numero ad quinquagenarium.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo et dilectis filiis decano et capitulo Tullen.

Cum a nobis petitur, etc. Sane porrecta nobis ex parte vestra petitio continebat, quod cum in Tullen. ecclesia proventus præbendarum essent adeo tenues, et exiles, quod ex eis non possent canonici commode sustentari quare ibidem residentiam ipsis facere non valentibus, ecclesia ipsa debitis obsequiis fraudabatur, vos ipsius ecclesiæ utilitati providere volentes, communi consensu sexagenarium præbendarum numerum ad quinquagenarium redegistis, firmiter statuendo, ut proventus, ex præbendis provenientes eisdem dividantur quotidie inter canonicos residentes. Quapropter nobis humiliter supplicastis, ut statutum ipsum Apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur vestris postulationibus inclinati, statutum ipsum sicut provide in utilitatem Tullen. ecclesiæ dignoscitur esse factum, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum apud Urbem Veterem, nono kalendas augusti, pontificatus nostri anno quinto.

II

Ad abbates Sancti Mansueti Tullensis et Sancti Naborii Metensis diœcesis.

24 julii 1220.

[Regest., lib. V, epist. 3. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis Gorzien. ecclesiam visitandi curam donec a communi capitulo provinciæ de aliis visitationibus provisum fuisset.

Honorius, etc., dilectis filiis Sancti Mansueti Tullen. et Sancti Naborii Meten. diœcesis abbatibus.

Sua nobis abbas Gorzien. insinuatione monstravit, quod cum assignata esset dies, qua provinciæ Treveren. abbates ad cele-

brandum pro monastici ordinis reformatione capitulum juxta generalis statuta Concilii convenerint, abbas Sancti Eucharii cum paucis aliis provinciæ prædictæ abbatibus, ipso et uno de visitatoribus præcedentis triennii, ac nonnullis aliis abbatibus nullatenus expectatis, et celebrato infra meridiem assignatæ diei capitulo, ac in eo cunctis quæ debent in capitulo fieri prætermissis eligi se in visitatorem sequentis triennii procuravit, qui dixisse proponitur, quod eodem Gorzien. et aliis abbatibus supradictis invitis eorum existeret visitator. Unde cum sicut idem Gorzien. abbas asserit, præfatus Sancti Eucharii abbas contra ipsum et ejus ecclesiam causam habeat, et modis omnibus, quibus potest, eum et prædictam ecclesiam persequatur, ac ex eo maxime se in visitatorem eligi fecerit, ut possit ei, et ecclesiæ præfatæ nocere, nobis humiliter supplicavit, ut donec per commune capitulum de aliis provideatur visitatoribus, reformationem ipsius ecclesiæ committere aliis dignaremur. Nolentes igitur ut memoratus abbas Sancti Eucharii malignandi materiam adversus prædictum Gorzien. abbatem, et ejus ecclesiam per hujusmodi commentum assumat, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, vos eidem ecclesiæ visitationis et correctionis officium impendatis, donec a communi capitulo prædictæ provinciæ de aliis visitatoribus sit provisum. Datum apud Urbem Veterem, nono kalendas augusti, pontificatus nostri anno quinto.

III

Ad canonicos Spalatenses.

28 julii 1220.

[Fejer, Codex dip. Hung., III, I. 292.]

Honorius donationem ab Andrea rege Spalatensibus canonicis factam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis Spalatensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est facilem nos præbere assensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, terras, quas carissimus in Christo filius noster, Hungariæ rex illustris, infra muros civitatis Salonæ vobis pia liberalitate donavit, sicut eas juste et pacifice possidetis, et in ejusdem regis litteris continetur, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum apud Urbem Veterem, V kalendas augusti, pontificatus nostri anno quinto.

IV

Ad capitulum Parisiense.

29 julii 1220.

[Guérard, Cart. de l'Église Notre-Dame de Paris, II, 392.]

Laudat Parisiense capitulum, quod liberaliter fratribus ordinis Prædicatorum permiserit ut in capella S. Jacobi divina celebrent et cœmeterium habeant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, capitulo Parisiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Gaudemus in Domino et in vestris laudibus gloriamur, quod vos et ad obedientiæ bonum propter nos et ad pietatis studia promptos, sicut decet, devotos filios invenimus, per quod Deo gratos, nobis acceptos, et hominibus vos redditis merito commendandos. Cum enim vobis nuper preces direxerimus et mandata, et quibusdam vestrum, in nostra præsentia constitutis, injunxerimus viva voce, ut, dilectos filios fratres ordinis Prædicatorum habentes in visceribus caritatis, eis in capella sancti Jacobi, quam habent Parisius, celebrare divina et cœmeterium permitteretis habere, vos, sicut ex læta relatione didicimus, mandatum nostrum et eorum desiderium implestis liberaliter et libenter; ita quod ex ipso affectu videmini multum effectui gratiæ adjecisse. Super quo devotionem vestram dignis in Domino laudibus commendantes, universitatem vestram rogamus, monemus et hortatamur attente, ac per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus, continuantes vestram gratiam erga eos, ipsos favorabiliter foveatis, ab eo dignæ vicissitudinis præmia recepturi, qui, eos ad profectum Ecclesiæ generalis in ministerium evangelii segregans, quod uni ex ipsis fit, sibi reputat esse factum, ac nos, qui eosdem sincera com-

plectimur in Domino caritate, habituri magis ac magis favorabiles et benignos. Datum apud Urbem Veterem, IV kal. augusti, pontificatus nostri anno quinto.

V

Ad abbatem et canonicos Spalatenses.

29 julii 1220.

[Mon. Hung. hist., XI. 404.]

Privilegium, ab Innocentio papa eis concessum, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et canonicis Spalatensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

In litteris bonæ memoriæ Innocentii papæ prædecessoris nostri sic perspeximus contineri :

Innocentius episcopus, etc.

Quum inter bonæ memoriæ P. prædecessorem tuum, frater archiepiscope, ac tuæ civitatis clericos super variis articulis quæstio verteretur, eam felicis recordationis C. papæ prædecessoris nostri audientiæ præsentarunt, ut sub ipsius examine ventilata fine debito clauderetur. A quibus utique clericis idem tuus prædecessor petebat, ut quartam partem decimationum et oblationum de corpore civitatis sibi debitam exhiberent. Petebat etiam, ut eo tempore, quo ipse vel successores sui ad Romanam Ecclesiam accederent consecrandi, seu Romanum Pontificem, imperatorem vel regem causa visitationis adirent, clerici sibi adjutorium impenderent opportunum. Ipsi vero sibi ad hæc pariter respondebant, quod cum prædecessores ipsius quinque hebdomadarios, presbyterum scilicet, levitam, subdiaconum, acolytam et sacristam, per totam tenerentur hebdomadam procurare, et hoc eis importabile videretur; ita cum canonicis convenerunt, ut pro recompensatione procurationum supradictarum haberent ipsis quartam partem decimationum et oblationum de corpore civitatis, sicut in scriptis bonæ memoriæ Gaudii, Gerardi et Petri prædecessorum suorum continetur expressum. Petebant insuper duodecim prandia certis anni festivitatibus percipienda, potationes sabbatorum et procurationes tribus hebdomadariis, singulis diebus dominicis exhibendas. Cum igitur idem prædecessor vester multis et variis negotiis occupatus ad hæc respondere non valeret, venerabilem fratrem nostrum J. tunc Viterbiensem, nunc Albanensem episcopum, et bonæ memoriæ G. de Sancto Apostolo Sanctæ Mariæ in Porticu cardinalem concessit auditores..... Præsentia constituti, post multas disceptationes et allegationes, saniori usi consilio taliter convenerunt, quod clerici archiepiscopo quartam partem decimationum et oblationum per suum procuratorem, annuatim viginti perparos pro recompensatione supradictarum procurationum, et quod residuum esset de ipsa quarta in suum commodum converteretur et usum; præterea sex tantum prandia daret eisdem statutis festivitatibus anni, scilicet sancti Dominici, Pentecostes, in translatione beati Dominici, sancti Anastasii, sanctorum Cosmæ et Damiani, et sancti Vincentii; potationes sabbatorum et tribus hebdomadariis, singulis dominicis diebus procurationes, ab omnibus etiam aliis adjutoriis, quæ a totius civitatis clericis debito expetebat, tam pro se, quam pro successoribus suis perpetuo reddidit clericos memoratos immunes. Quam utique conventionem amicabilem de assensu et voluntate utriusque partis factam nos ratam habentes et firmam, eam ad exemplar ejusdem prædecessoris nostri auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus.

Nos ergo, quod super hoc ab eodem prædecessore nostro factum est, approbantes, illud auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum apud Urbem Veterem, IV kalendas augusti, pontificatus nostri anno quinto.

VI

Ad capitulum Spalatense.

29 julii 1220.

[Fejer, Codex dipl. Hung., III, 1, 292.]

Honorius electionem Guncelli se probasse, et consecrationem ipsius Roberto Vesprimiensi episcopo detulisse, Spalatinis significat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, capitulo Spalatensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet in dilectum filium, fratrem hospitalis S. regis Stephani de ordine Crucifero-

rum, ecclesia vestra viduata pastore, contuleritis vota vestra, et electiones fratrum hujusmodi Sedes Apostolica non admittat, ac electio facta de eodem fratre contra formam fuerit Concilii generalis attentata, quia tamen sex electis ad ipsam, nullus illorum propter nimiam paupertatem ejusdem suscipere voluit ejus curam; devotioni vestræ volumus esse notum, quod hanc electionem septimam duximus tolerandam, si industria hujus electi ecclesiæ videatur eidem, sicut intelleximus, expedire. Unde, quia venerabilem fratrem nostrum, Vesprimiensem, virum novimus circumspectum, de quo indubitatam fiduciam obtinemus, et ipse de idoneitate personæ fratris ejusdem notitiam habere poterit pleniorem; eidem episcopo dedimus in mandatis, ut injungens vobis, quod aliquos vestrum ad suam præsentiam dirigatis, qui omnium vices gerant; si viderit, solum Deum habendo præ oculis, quod per jam dictum fratrem eidem ecclesiæ utiliter consulatur, electionem factam de ipso confirmet; et ei postmodum, cum ecclesiæ vestræ velimus parcere laboribus et expensis, munus consecrationis impendat. Quod si personam ipsius minus idoneam esse constiterit, idem episcopus, ejus electione cassata, cum ipsorum, qui ad eum venerint consilio, alium ecclesiæ præfatæ præficiat, qui tanto congruat oneri et honori pastorem. Datum apud Urbem Veterem, IV kal. aug., pontificatus nostri anno quinto.

VII

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, et alios prælatos Hiberniæ.

31 julii 1220.

[Theiner, Mon. Hibern., 15, n. 35.]

Mittitur legatus Sedis Apostolicæ in Hiberniam et Scotiam, et commendatur Hibernis et regibus Scotiæ et Hiberniæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus ac aliis ecclesiarum prælatis, et omnibus Christi fidelibus per Hiberniam constitutis, salutem, etc.

Apostolatus officium, quod nos debitores constituit universis, exposcit, ut nostræ sollicitudinis aciem non solum ad prope positos, sed et ad longe positos extendamus: quare necesse est, ut imminentia nobis onera dividamus in alios, cum humana non patiatur infirmitas, ut ea portemus omnia per nos ipsos. Quia igitur in partibus vestris multa vitiorum germina pullulare dicuntur quæ falce apostolici moderaminis convenit amputari, nos dignum ducentes illuc aliquem de latere nostro mittere, qui aspera in vias planas, et pravia in directa convertat: ecce misimus ad vos dilectum filium magistrum Jacobum, capellanum et pœnitentiarium nostrum, Apostolicæ Sedis legatum, virum scientia et religione probatum, et nobis ac fratribus nostris merito suæ probitatis acceptum, concessa sibi plenaria potestate, ut evellat et destruat, ædificet atque plantet, prout quæque secundum datam sibi a Deo prudentiam evellenda viderit et plantanda. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ipsum tamquam Apostolicæ Sedis legatum recipientes hilariter et honeste tractantes, ac reverenter intendentes et obedientes eidem, ejus salubria monita et statuta recipiatis humiliter et irrefragabiliter observetis. Alioquin sententiam, quam rationabiliter tulerit in rebelles, præcipimus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum apud Urbem Veterem, II kalendas augusti, pontificatus nostri anno quinto.

In eumdem modum scriptum est regi Scotiæ *usque* viderit et plantanda. *Deinde prosequitur :* Ideoque serenitatem tuam attente rogandam duximus et hortandam, quatenus ipsum tanquam Apostolicæ Sedis legatum pro reverentia beati Petri et nostra recipiens hilariter et honorifice pertractans, ac a subditis tuis ei obedientiam et reverentiam exhiberi faciens, sicut decet, et impendens ei consilium et auxilium opportunum, sic eum favore regio prosequaris, quod commissum sibi legationis officium ad honorem et profectum tuum, et regni tui, auctore Domino, valeat laudabiliter exercere. Datum ut supra.

In eumdem modum scriptum est regibus Ultoniæ, Corcaiæ, Limrith, Connatiæ, insularum cuilibet per se.

VIII

Ad R. Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem.

3 august. 1220.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temporalis, I, 56, n. 82.]

R. Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali in temporalibus et spiritualibus rectoria ducatus Spoletani committitur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio R. Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi juxta verbum prophetæ constituti super gentes et regna universorum Christi fidelium, ex injuncto nobis officio, sollicitudinem teneamus gerere generalem, ergo hos tamen qui velut speciale beati Petri patrimonium nostræ subsunt spiritualiter et temporaliter ditioni, accuratius nos decet custodiæ studium adhibere, ut eo et in fide stabiles et in operibus devotionis seipsos exhibere satagant efficaces, quo paternæ dilectionis promptum affectum sibi cognoverint non deesse. Hinc est, quod dilectos filios fideles nostros de ducatu Spoleti velut in Apostolicæ Sedis gremio sinceritatis brachiis tenerrime amplexantes, et cupientes eosdem tam ab exterorum hostium molestiis servare securos, quam ab exosa inter se dissensione custodire quietos, te, de cujus industria spem non tam argumentis probabilibus præsagimus, quam fidem experimentis evidentibus obtinemus, eis, provida deliberatione præhabita, de consilio fratrum nostrorum, præficiendum providimus in rectorem, spe nobis indubitata proposita, quod qui amari vis amplius quam timeri, sic eisdem non tam potestate quam caritate præeminere studebis, quod et ipsi non tam pœnæ formidine, quam virtutis amore tuis beneplacitis obsequentes, a noxiis retrahentur excessibus et ad salutaria dirigentur. Ideoque discretionem tuam rogamus, monemus et hortamur attente per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus oblatam tibi vel illatam potius ducatus prædicti recipiens rectoriam, recta in eo regere ac dirigere studeas indirecta, corripiens inquietos, pusillanimos consoleris, mansuetos exaltans, deprimas pertinaces, diversis diversa rependendo stipendia meritorum, ut te rectore, te duce, terra illa tranquilla devotione lætetur, et tibi apud Deum exinde crescat cumulus meritorum, et apud homines laudis titulus augeatur, et nos tuæ sollicitudinis studium dignis prosequi debeamus actionibus gratiarum. Cæterum, ne quid tuæ videatur auctoritati deesse spiritualem et temporalem tibi concedimus potestatem, ut quamcumque sententiam rite tuleris in rebelles, ratam habentes faciamus eamdem usque ad satisfactionem condignam, auctore Domino, inviolabiliter observari.

Datum apud Urbem Veterem, III nonas augusti, pontificatus nostri anno quinto.

IX

Ad J. Sanctæ Praxedis cardinalem, Apostolicæ Sedis legatum.

3 augusti 1220.

[Regest., lib. V, fol. 8. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut de ecclesiis per Græcos tempore schismatis exemptis statuat, prout videbitur expedire, et monachos Græcos manuali promissione recipiat de redeundo ad mandatum Ecclesiæ, et absolvat, quum locorum et temporum qualitatibus consideratis, aliquid severitati detrahendum sit.

Honorius, etc., J. tituli Sanctæ Praxedis presbytero cardinali, Apostolicæ Sedis legato.

Quid statui debeat super hoc quod patriarcha et canonici Constantinopolitani quamplures ecclesias, quas patriarchæ Græci, tempore schismatis, in archiepiscoporum, et episcoporum diœcesanorum præjudicium indifferenter statuto sibi censu in ipsis annuo, eximerunt, nituntur sibi tanquam proprias vindicare; tua nos duxit discretio consulendos. Ad quod discretioni tuæ breviter respondemus ut super hoc statuas quid secundum Deum et honestatem ecclesiasticam videris expedire. Super eo vero quod monachi Græci et eremitæ, propter inobedientiam tenentia suspensionis et excommunicationis ligati, nolunt ad mandatum Ecclesiæ nisi per manualem promissionem redire; hoc tibi duximus respondendum, quod si nullatenus possunt induci ad præstandum juxta formam ecclesiæ juramentum, ipsos hac vice cum promissione poteris recipere manuali, cum interdum, consideratis locorum et temporum qualitatibus, severitati sit aliquid detrahendum. Datum apud Urbem Veterem, II idus augusti, anno quinto.

X

Ad Liceke præpositum Brandeburgen. diœcesis, et magistrum A. Sancti Sebastiani et A. de Dumensleve Sancti Nicolai canonicos Magdeburgen.

3 vel 11 august. 1220.

[Regest., lib. V, t. 1181, p. 197. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam inquirendi, de vi quam sibi illatam fuisse prætendebat Johannes, miles, ut ad subdiaconatus ordinem promoveretur, et si revera coactus fuisset, matrimonium, quod postea contraxerat, confirment.

Honorius..., præposito... Brandeburgen. diœcesis, et magistro A. Sancti Sebastiani, et A. de Dumensleve Sancti Nicolai canonicis Magdeburgen.

Joanne milite accepimus referente, quod cum in annis esset puerilibus constitutus, minis et terroribus patris, durisque magistri verberibus coactus fuit usque ad subdiacon. ordinem promoveri, sed idem nolens in sic susceptis ordinibus ministrare suspiransque ad conjugales amplexus, nacta opportunitate quamdam viduam uxorem duxit, ex qua duos filios procreavit; nunc autem, venerabilis frater noster, Brandeburgen. episcopus tertius ab illo a quo fuerat ordinatus invitus, coarctat eumdem ad exemptionem ordinum taliter suspectorum. Cum autem si legitime sit copulatus uxori, ei non liceat ab ipsa discedere nec expediat officium gerere clericatus quod scandalizet eamdem, suppliciter postulavit a nobis ut providere super hoc misericorditer dignaremur. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sollicite inquirentes cujusmodi vis ei fuerit in ordinibus prædictis illata, super hoc provide statuatis secundum Deum videritis statuendum. Quod si non omnes, etc. Datum apud Urbem Veterem, III [nonas vel idus] augusti, pontificatus nostri anno quinto.

XI

Ad episcopum Perusinum abbatem de Galliata Populiensis diœcesis.

4 augusti 1220.

[Regest., lib. V, epist. 18. Mss. La Porte du Theil.]

Compositionem factam inter episcopum Aretinum et priorem Camaldulensem auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Perusino et... abbati de Galliata Populien. diœcesis.

Olim coram bonæ memoriæ Innocentio papa, prædecessore nostro, venerabili fratre nostro... Aretin. episcopo, jus patronatus et jus diœcesani in ecclesia Camaldulen. petente, inter ipsum et... priorem Camaldulen. lis fuit in ejus præsentia contestata. Postmodum vero, tempore nostro, productis testibus, publicatis attestationibus, exhibitis privilegiis, benigne audivimus, quæ fuerunt hinc inde proposita; et tandem inter ipsos, nobis mediantibus, talis compositio intervenit, videlicet, quod Camaldulen. episcopum Aretin. habeant pro patrono, recognoscant vocentque patronum, et, ut patronum, honorent ejus memoriam tamquam specialis benefactoris in suis orationibus facientes. Ad cujus defensionem cum viderint sibi expedire recurrent quibus episcopus juxta posse opem defensionis impendat. Sane si episcopus ad evidentem necessitatem devenerit, Camaldulen. ei, et duobus suis servientibus providebunt. Ad hæc si prior et monachi ad dissipationem bonorum monasterii eorum, præcipue quæ ab Aretin. ecclesia receperunt, manus vellent extendere, maxime alienando talia inimicis et suspectis ecclesiæ Aretin., liberum sit episcopo prohibere, ac denuntiare summo pontifici, ut sic ejus auctoritate validius in talibus monasterio succurratur, electionem quoque prioris, infra duos menses postquam fuerit celebrata, Camaldulen. episcopo per nuntios, vel litteras nuntiabunt; ita tamen quod per nuntiationem hujusmodi nullum omnino præstetur impedimentum nec præjudicium generetur, quin is, qui electus fuerit in priorem, statim post electionem suam libere administret, et alias plene suum exsequatur officium sicut hactenus consuevit. Cæterum ratione juris diœcesani, si episcopus Aretinus semel in anno ire voluerit ad Camaldulen. ecclesiam honorifice ac processionaliter tamquam diœcesanus recipiatur, et procuretur ibidem cum moderato evectionum et personarum numero, contentus cibariis, quibus Camaldulen. utuntur, congregatis etiam fratribus in capitulo, liceat ei verba exhortationis, et quæ ad salutem utriusque hominis viderit pertinere, proponere, missamque in ecclesia celebrare. Porro vocati ad synodum duo ad minus mittantur ex fratribus, non tamen

episcopi statuta recipere teneantur, excepto quod excommunicatos et interdictos ab episcopo Aretin. scienter non recipient ad divina. Nos igitur compositionem prædictam gratam et ratam habentes, ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, prohibentes, ut Camaldulen. Aretin. episcopo in prædictis nihil difficultatis opponant, et episcopus Aretinus in Camaldulen. ecclesia, ultra prædicta de cætero, nil attentet salvo jure utriusque partis super quæstione membrorum. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus compositionem ipsam faciatis auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, inviolabiliter observari. Datum apud Urbem Veterem, secundo nonas augusti, pontificatus nostri anno quinto.

XII

Ad Conradum episcopum Metensem.

5 augusti 1220.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp. I, 56, 83.]

Ut Alatrino subdiacono, secundum mandatum regium, terram comitissæ Mathildis, sine mora restituat et resignet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Metensi, imperialis aulæ cancellario, salutem et apostolicam benedictionem.

Tua, sicut credimus, fraternitas recognoscit qua te prærogativa dilectionis mater tua Romana Ecclesia fuerit amplexata, qua ita tibi januam suæ bonitatis aperuit, ut quadam singulari gratia te duxerit inter cæteros honorandum : tenere insuper firmum debes, quod nos ea te caritatis abundantia prævenimus, ut de tuo simus honore solliciti et libenter de his, quæ tuum incrementum respiciunt, cogitemus. Quare de te Apostolica Sedes et nos cum ipsa confidimus, quod memorans eam, quam ab ipsa gustasti dulcedinem, et considerans rorem tibi suæ benedictionis magis ac magis, si in ejus devotione perstiteris, infundendum, gerere in pectore tuo debeas Ecclesiæ Romanæ negotia, et etiam ea nobis tacentibus procurare. Quum autem jamdudum regias acceperimus litteras continentes, quod regia auctoritate debebas terram comitissæ Mathildis dilecto filio Alatrino subdiacono et capellano nostro, nomine Sedis Apostolicæ, assignare, tuque per tuas, quas in testimonium reservamus, litteras intimasses te super hoc regium accepisse mandatum, et dictus subdiaconus idem nobis scribere procurasset, mirati sumus non modicum, quod quum te intrasse intellexerimus Lombardiam, nihil est nobis de his per te vel dictum subdiaconum nuntiatum. De ipsius ergo subdiaconi absentia dubitantes, dilectum filium Raynaldum Munaldi subdiaconum et capellanum nostrum, virum providum et discretum, nobis et fratribus nostris suæ merito probitatis acceptum, ad te duximus destinandum, fraternitatem tuam rogantes, monentes et hortantes attentius, et per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ipsum, immo potius nos in eo benigne recipiens et honeste pertractans, terram comitissæ Mathildis, secundum mandatum regium ei nomine nostro et Ecclesiæ Romanæ, omni mora et occasione postpositis, restituas et resignes, ita quod per promptum affectum de tuo regiis videaris beneplacitis adjecisse, per quod gaudeamus de gratia, quam tibi Apostolica Sedes exhibuit, cognoscentes te ipsam non in vacuum accepisse, ac ad exhibendum abundantius sinceritati tuæ commodum et honorem constituamur tibi cum Romana Ecclesia debitores. Datum apud Urbem Veterem, nonis augusti, pontificatus nostri anno quinto.

XIII

Ad Aymarum, thesaurarium Templi Parisiensis.

6 august. 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 705; Regest., epist. 19.]

Aymarum, laudibus cumulatum nunc Honorius increpat, quod Apostolica jussa prætergressus fuerit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio fratri Aymaro, thesaurario domus militiæ Templi Parisiensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Numquid non ex causa miramur, si absque mandato nostro res quæ ad nos pertinet, agatur per alium, et quod nobis duntaxat incumbit, sine nostro beneplacito disponatur? Nosti, quod nobis imminet negotium Terræ Sanctæ, nosque pro ejus liberatione per totum orbem colligi mandavimus vicesimam; passi propter hoc, non absque onere sumptuum, laborem continuum, et sollicitudinem indefessam. Tu vero, nobis inconsultis, pro sola voluntate tua

transmisisti ad partes transmarinas, per fratres militiæ Templi, tredecim millia marcarum argenti, sicut per tuas nobis litteras intimasti, quum tamen super hoc nec tibi, nec alii, aliquod demandatum fecerimus, quamquam de nostro fuerit beneplacito quod citra mare deferretur Angliæ vicesima et penes te fideliter servaretur, donec nostram tibi aperuissemus opportuno tempore voluntatem. Et quidem quum Terra prædicta competens a nobis hucusque recepisset subsidium, et pro necessitate ipsius evacuaverimus cameram nostram, suum cæteris negotiis præferentes, non expediverat vicesimam sic effundi, ne cum necessarium sit frequens auxilium ad hujusmodi negotium promovendum, non habentibus nobis unde possemus hoc facere, multi reputarent nos inconsulte plurimum hoc egisse.

Quum autem contineatur in transmissis ad nos litteris tuis, te illa tredecim millia marcarum argenti ex nostro præcepto mississe, volumus auctoritate tibi præsentium injungentes, ut litteras tale continentes præceptum ad nostram studeas præsentiam destinare. Cæterum discretioni tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus nihil transmittas de cætero de vicesima, vel de aliis ad nos spectantibus, quidquid super talibus tibi hactenus mandaverimus, nisi de novo a nobis super hoc mandatum reciperes speciale. Datum apud Urbem Veterem, VIII idus augusti, anno quinto.

XIV

Ad magistrum Jacobum capellanum.

6 august. 1220.

[Theiner, Mon. Hibern. et Scotor., p. 16.]

Sedis Apostolicæ legato, ut iniquum Anglorum statutum de non admittendis Hibernis quantumvis litteratis ad dignitates ecclesiasticas omnino irritum declaret et aboleat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro Jacobo capellano et pœnitentiario nostro, Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Pervenit ad audientiam nostram, quosdam Anglicos inauditæ temeritatis audacia statuisse, ut nullus clericus de Hibernia quantumcumque litteratus et honestus existat, ad aliquam dignitatem ecclesiasticam assumatur. Nolentes igitur tantæ temeritatis et iniquitatis abusum surdis auribus pertransire, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus statutum hujusmodi publice denuntians irritum et inane, ac inhibens ipsis Anglicis, ne vel inhærere illi, vel simile de cætero attentare præsumant. Hibernienses clericos, quibus vitæ ac scientiæ merita suffragantur, denunties ad ecclesiasticas dignitates, si electi canonice fuerint, libere admittendos.

Datum apud Urbem Veterem, VIII idus augusti, pontificatus nostri anno quinto.

XV

Ad magistrum Jacobum capellanum.

7 august. 1220.

[Theiner, Mon. Hibern. et Scotor., p. 16.]

Eidem legato, ut causam prioris et conventus Sancti Andreæ de Scotia audiat et decidat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro Jacobo, capellano et pœnitentiario nostro, Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Ex parte dilectorum filiorum... prioris et conventus Sancti Andreæ de Scotia fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum adversus... episcopum suum et quosdam clericos de S. Andrea qui Keledei vulgariter appellantur, ac magistro H. de Meleburne, Adam Ovidium et Adam de Scone ac Henricum de Weles et Roger de Huntinfeld clericos, necnon... episcopum et... archidiaconum Dumblanensem et... priorem de Man, D. de Pert militem, Hugonem de Nidin et Henricum dominum de Inchetort, et quosdam alios clericos et laicos Sancti Andreæ Aberdonensis et Dumblanensis diœcesum super ecclesiis, possessionibus, pensionibus, aliisque redditibus, libertatibus, prædiis, præbendis, terris, molendinis, jure patronatus, injectione manuum violenta in quosdam ipsorum, et rebus aliis multiplices habeant quæstiones, super quarum quibusdam licet diversæ commissionis litteræ a Sede Apostolica emanarint, propter tamen desidiam judicum, seu adversariorum versutiam jus suum hactenus assequi nequiverunt, eorum providere juri pariter et quieti, quæstiones ipsas tuo examini committendo, misericorditer dignaremur. Nos igitur tanto libentius favorem Apostolicum impendentes, priori et fratribus memoratis, quanto eorum ecclesia majori dicitur religione florere, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis supradictis et aliis, quos

duxerint nominandos, et auditis, quæ hinc inde duxerint proponenda, quod justum fuerit, appellatione remota, decernas, et facias, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Porro si alicujus prædictarum commissionum obtentu ad receptionem testium est processum, eorum depositiones tibi facias exhiberi, quantum de jure debuerint valituras. Quod si forte auctoritate commissionum ipsarum aliquæ sententiæ sunt prolatæ, ipsas confirmes vel infirmes, appellatione remota, sicut de jure fuerit faciendum. Testes autem, etc. Non obstantibus litteris impetratis hactenus, vel de cætero tacito tenore præsentium a Sede Apostolica impetrandis.

Datum apud Urbem Veterem, VII idus augusti, pontificatus nostri anno quinto.

XVI

Ad magistrum Jacobum capellanum.

8 augusti 1220.

[Theiner, Monum. Hibern. et Scotor., p. 16.]

Eidem legato, ut pravas quasdam Anglorum contra Hibernos consuetudines omnino abolendas curet, Anglosque censuris ecclesiasticis compellat, ut Hibernos iisdem juribus, quibus ipsi fruuntur, gaudere sinant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro Jacobo, capellano et pœnitentiario nostro, Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Venerabilis frater noster... Vide *Quinta Compilatio*, lib. I, t. III, *de consuetudine*, cap. 3, *Venerabilis;* t. I, col. 130 *usque* acceptio personarum.

Quod si contra prohibitionem tuam per abusionem hujusmodi aliquos præsumpserint molestare, tu præsumptionem ipsorum auctoritate nostra compescas.

Datum apud Urbem Veterem, VI idus augusti, pontificatus nostri anno quinto.

XVII

Ad Raynaldum Munaldum subdiaconum.

9 augusti 1220.

[Theiner, Codex diplom. dominii tempor., p. 58, n. 84.]

Pontifex Raynaldo, suo nuntio, ut episcopum Metensem a debito crucis absolvere possit, moneatque, ut terram comitissæ Mathildis sibi nomine assignet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio R. subdiacono et capellano nostro, salutem et apostolicam benedictionem.

Præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus... Metensem episcopum ex parte nostra convenias, ponens coram oculis mentis suæ excommunicationis sententiam, quæ fuit in omnes crucesignatos Alamaniæ tam clericos quam laicos, qui non arriperent peregrinationis suæ iter in kalendis maii proximo præteriti, promulgatam : unde cum ipse non arripuerit iter in termino constituto, dicas eidem, nos ideo sibi nostras litteras non misisse, ne cogeremur in illis salutationis eloquium subtacere. Ad hæc suggeras illi, ut videat, consideret et attendat, si eum super hoc sua conscientia remordeat et accuset, ut in hoc casu a te sibi postulet, secundum formam ecclesiæ, beneficium absolutionis impendi, proponens nos, qui eum diligimus affectione paterna, id sibi consulere bona fide, cum in manus Dei viventis incidere sit horrendum. Quod si duxerit super hoc se læsam conscientiam non habere, sed propter aliqua impedimenta non potuisse iter arripere in termino supradicto, seque absolvi noluerit, dicas ei, ut exponat nobis impedimenta per litteras suas, quas per tales ad nos studeat destinare personas, per quas super his certificari possimus, et omnem a corde nostro dubitationis scrupulum removere: tu tamen, licet hoc ducat forsitan eligendum, ex parte nostra non cesses illi consulere, quod absolutionem accipere non omittat, et si tuis super hoc acquieverit consiliis, ei auctoritate nostra juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendas. Licet autem ille, absolutionis beneficio non obtento, impedimenta nobis forte dixerit rescribenda, non tamen dimittas, quin instanter petas terram comitissæ Mathildis tibi nomine nostro et Ecclesiæ Romanæ secundum mandatum regium interim assignari. Sane quidquid super hoc inveneris, aut dictus Metensis fecerit, responderit aut dixerit, totum nobis per cursorem nostrum sine mora rescribas. Datum apud Urbem Veterem, V idus augusti, anno quarto.

XVIII

Ad Dunkeldensem episcopum et magistrum Jacobum capellanum.

9 augusti 1220.

[Theiner, Monum. Hibern. et Scotor., p. 17.]

Judicibus, ut causam prioris et conventus Sancti Andreæ examinent et decidant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

venerabili fratri... Dunkeldensi episcopo, et dilectis filiis magistro Jacobo, capellano et pœnitentiario nostro, Apostolicæ Sedis legato, et... abbati de Dumfermelin Sancti Andreæ diœcesis, salutem, etc.

Oblata nobis dilecti filii... prioris Sancti Andreæ conquæstio patefecit, quod quum idem olim propter injurias et oppressiones varias, quibus ipsum et suos eorum episcopus affligebat, ad nostram audientiam appellasset, et cum H. de Dimde canonico suo arripuisset iter causa prosequendi appellationem suam ad Sedem Apostolicam veniendi, cum infirmitate corporis et aliis incommodis impeditus, jam dictam appellationem personaliter prosequi non valeret, jam dictum canonicum suum causa prosequendi appellationem præmissam ad nostram præsentiam destinavit. Episcopus vero præfatus, ut sic saltem ipsum et suos posset amplius aggravare, ad venerabilem fratrem nostrum... Dumblanensem episcopum et conjudices contra præfatum H. super eo, quod dicebat, eumdem de his, quæ pro fabrica ecclesiæ Sancti Andreæ perceperat, nolle sibi reddere rationem, Apostolicas litteras impetravit, qui, citatoriis litteris ad ecclesiam memoratam transmissis, præfatum H., absentem ex causa præfata, contumacem reputantes pro eo, quod se ipsorum conspectui minime præsentavit, in eumdem, licet ejus absentia per procuratorem ipsius prioris, quem specialiter causa tangebat, et alium canonicum suum in præmissorum judicum præsentia sufficienter excusata fuisset, de facto excommunicationis sententiam promulgarant, nihilominus in superiorem et capitulum ecclesiæ supradictæ pro eo, quod ad mandatum ipsorum sæpe factum canonicum excommunicatum, sicut etiam nec debebant, minime nuntiarunt, suspensionis, et in ipsam ecclesiam interdicti sententias promulgantes. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictas sententias nullas esse penitus nuntiantes, audiatis causam, et, appellatione remota, fine debito terminetis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari; alioquin partes ad priorem, etc., appellantem, etc. Quod si non omnes his interesse poteritis, duo vel unus ea exsequi curet. Datum apud Urbem Veterem, quinto idus augusti, pontificatus nostri anno quinto.

XIX

Ad archiepiscopos et episcopos regni Hungariæ.

11 augusti 1220.

[Theiner, Mon. Hungariæ, I, 24, n. 49.]

Archiepiscopis et episcopis Hungariæ, ut reginam, si virum suum mori contingat, defendant et ejusdem possessiones.

Honorius episcopus, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis regni Hungariæ, salutem, etc.

Quum carissimam in Christo filiam... Hungarorum reginam illustrem cum omnibus, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub protectione Apostolica receperimus: fraternitatem vestram rogandam duximus et monendam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus si forte carissimum in Christo filium nostrum A., regem Hungarorum illustrem, virum ipsius, naturæ debitum solvere contigerit ante illam, ipsam habentes propensius commendatam: non permittatis eamdem super dote et aliis possessionibus et redditibus suis a quoquam temere molestari, præsumptores hujusmodi, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Datum apud Urbem Veterem, III idus augusti, anno quinto.

XX

Ad Joannem regem Hierosolymorum.

11 augusti 1220.

[Raynaldi, Annal. eccl., ad ann. 1220, § 55-56.]

Quum audisset Honorius regem Hierosolym. se cum suis Damiata ad civitatem Acconensem subduxisse, veritus ne hujusmodi profectio aliquod periculum Christianæ rei crearet, ad illum in officio continendum hanc epistolam direxit.

Audivimus te secessisse a partibus Damiatæ, et ad civitatem Accon collectis tuis viribus, accessisse, quod si eo proposito, et consideratione fecisti, ut paganorum partes illas infestantium incursibus obvies, et conatus elidas, tuam commendamus in Domino providentiam, maxime si Christiani a parte illa usque adeo infestantur, quod tanto videantur auxilio indigere. Porro alias regiam magnificentiam non deceret aliis pro fide Christiana pugnantibus, te vacare quieti, vel negotiis specialibus occupari. Illud profecto credere non valemus, quod

quidam somniant, te contra regnum Armeniæ velle arma movere; cum credamus tantam esse in regia serenitate prudentiam, quod perspicue vides, quantum periculum, quanta jactura, quanta confusio per hoc evenire posset fidelibus constitutis in partibus Orientis, ac toti populo Christiano, et quantum Apostolicæ Sedi, et universis fidelibus te redderes odiosum, si nunc totius orbis Christiani viribus pro succursu tuo, et Terræ Sanctæ concussis, tu communi utilitate posthabita intenderes speciali, quæ nisi communi promota feliciter, non posset stabiliter promoveri.

Licet igitur confidamus, quod tu hæc prudenter attendens, evitabis aliquid attentare, per quod perire ac evacuari posset totus labor, quem hactenus pro Terra Sancta subiit populus Christianus, ex abundanti tamen sub obtentu gratiæ divinæ ac nostræ, et sub anathematis pœna tibi auctoritate præsentium districtissime inhibemus, ne hoc tempore aliquatenus arma moveas contra ipsos Armenos, aut quoslibet alios christianos, sed studeas, ut tota Christianitas ultramarina in unitate consistat, et venerabili fratri nostro P. Albanensi episcopo, A. S. legato, qui strenuitatem tuam frequenter suis nobis litteris commendavit, sicut personæ nostræ reverenter intendens studeas, quod commune populi Christiani negotium desideramus, largiente Domino, consequatur effectum; postmodum tuis specialibus commodis operam diligentius utiliusque daturus. Alioquin, quantumcumque tuam diligamus personam, et deferre regiæ dignitati velimus, contra tamen communem utilitatem, imo contra ipsum Deum deferre tibi, vel cuiquam alii non possemus. Datum apud Urbem Veterem, III idus augusti, pontificatus nostri anno quinto.

XXI

Ad abbatem et conventum de Balneolis.

12 augusti 1220.

[Regest., lib. V, epist. 38. Mss. La Porte du Theil.]

Recipit sub protectione beati Petri et donationes ipsis ab Herveo Nivernensi comite factas auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui de Balneolis.

Sacrosancta Romana ecclesia, etc. Ea propter, etc., *usque* assensu. Personas vestras cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, etc., *usque* suscipimus. Specialiter autem ea, quæ nobilis vir Herveus, comes Nivernen., et Mactildis uxor ejus, vestri monasterii fundatores, eidem pietatis intuitu contulerunt, sicut ea juste ac pacifice possidetis, et in eorum litteris continentur, vobis et per vos ipsi monasterio confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ protectionis et confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum apud Urbem Vetem, secundo idus augusti, pontificatus nostri anno quinto.

XXII

Ad eosdem abbatem et conventum de Balneolis.

12 augusti 1220.

[Regest., lib. V, epist. 39. Mss. La Porte du Theil.]

Observantias speciales, quas ex monasterio Vallis Caulium observabant, ipsis auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis priori et fratribus de Balneolis.

Quum a nobis petitur, etc., usque effectum. Supplicastis nobis, quod quum professi beati Benedicti regulam præter illam custodiatis observantias speciales, quæ in monasterio Vallis Caulium observantur, a felicis memoriæ Innocentio papa prædecessore nostro eorum ordinis confirmatæ, easdem vobis confirmare observantias dignaremur. Nos igitur precibus vestris benignum impertientes assensum, prædictas vobis observantias cum dicta regula confirmamus, auctoritate præsentium concedendo, ut in his et aliis eo privilegio gaudeatis, quod eidem ordini a Sede Apostolica est indultum, salvis statutis Concilii generalis. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis, et concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum apud Urbem Veterem, secundo idus augusti, pontificatus nostri anno quinto.

XXIII

Ad clericos et laicos Massæ Fiscaliæ.

15 augusti 1220.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., I, 57, n. 85.]

Quibusdam clericis et laicis Massæ Fiscaliæ privilegium locationis a Benedicto PP. X, anno 1059 concessum confirmatur.

Honorius episcopus servus servorum Dei,

dilectis filiis clericis et laicis Massæ Fiscaliæ vestrisque successoribus, salutem et apostolicam benedictionem.

In authentico bonæ memoriæ B. papæ prædecessoris nostri sic perspeximus contineri : Benedictus episcopus, etc... Dominico Paulo, etc... Quotiens, etc... Nos ergo quod ab eodem prædecessore nostro super his factum est, ratum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum hoc nostrum privilegium infringere liceat, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, etc... *usque* incursurum. Datum apud Urbem Veterem per manum Wilhelmi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, XVIII kalendas septembris, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXX, pontificatus vero domini Honorii PP. anno quinto.

XXIV

Ad episcopum Atrebatensem.

18 augusti 1220.

[Regest., lib. V, epist. 33. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei, ut A. de Sancto Leodegario, cum muliere quam pater ejus de fonte sacro levaverat, matrimonium dissolvat, si partes nondum fuissent ejus ætatis in qua de lapsu carnis nil timeatur, aliter ipsos cohabitare permittat.

Honorius, etc., venerabili fratri nostro Atrebaten. episcopo.

Tuis nobis litteris intimasti, quod quum A. de Sancto Leodegario miles tuæ diœcesis, mulierem... quam pater ejusdem militis de sacro fonte levaverat, duxit in uxorem, et per annos triginta ipsi cohabitans plures ex ea filios et filias procreavit, nunc in ultimo ætatis suæ tempore constitutus reversus ad cor, tibi supplicavit humiliter, ut super hoc ageres misericorditer cum eodem, unde quid agere debeas in hoc casu nostrum consilium implorasti. Nos igitur tuis postulationibus annuentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si ejus ætatis existant, quod de lapsu carnis minime timeatur, eos promittentes se continentiam servaturos libere simul habitare permittas. Alioquin cum absque adulterii nota carnaliter commisceri non possent, omni contradictione et appellatione cessante, auctoritate nostra facias a domo et toro ab invicem separari, injuncta eis nihilominus super tanto commisso pœnitentia competenti. Datum apud Urbem Veterem, decimo quinto kalendas septembris, anno quinto.

XXV

Ad Norwicensem electum, A. S. legatum.

18 augusti 1220.

[Theiner, Monum. Hibern. et Scotor., p. 17.]

Sedis Apostolicæ legato, ut pacem inter Angliæ et Scotiæ reges nuper initam consolidare, et denarium B. Petri in Anglia colligi et ad Templarios Parisienses transmitti curet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio P. Norwicensi electo, camerario nostro et Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod sicut per tuas nobis litteras intimasti, parentela inter carissimos in Christo filios nostros Anglorum et Scotiæ reges illustres solemniter est contracta, merito nobis placet, maxime si, ut speramus, pax inter utriusque regna exinde integra solidetur. Cæterum discretionem tuam rogandam duximus attentius et monendam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus, negotiis regis et regni Angliæ diligenter intendens, pacem studeas omnimodis conservare, quia id honori tuo maxime noscitur expedire. Præterea cum nuper quidquid habuimus in camera miserimus in subsidium Terræ Sanctæ, propter quod multis tenemur debitis obligati, denarium beati Petri et censum Ecclesiæ Romanæ debitum, ac vicesimam colligi facias diligenter et efferri de Anglia, ac ipsa omnia tui sigilli munimine, sicut expedire videris, consignata Parisius penes Templarios et Hospitalarios caute deponere studeas et prudenter, quantitatem omnium sigillatim tuis nobis litteris rescripturus. Jacobum autem, quem officio scriptoris privavimus, nolebamus aliquo modo recipere, sed ad quorumdam importunam instantiam fecimus ei munus absolutionis impendi, præcipiendo eidem sub pœna præstiti juramenti, ut ad te quantocius satisfacturus accedens, tuis pareat omnino mandatis.

Datum apud Urbem Veterem, XV kalendas septembris, pontificatus anno quinto.

XXVI

Ad priorem et fratres Dominici Sepulchri.

19 augusti 1220.

[Nakielski Miechovia, sive Promptuarium antiquitatum monasterii Miechoviensis, Cracoviæ, 1634.]

Sub beati Petri et sua protectione ecclesias et possessiones Dominici Sepulchri suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Dominici Sepulchri, salutem et apostolicam benedicnem.

Effectum justa postulantibus indulgere et vigor æquitatis et ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem et pietas adjuvat, et veritas non relinquit. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus gratum impertientes assensum, ecclesiam gloriosi Dominici Sepulchri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; et quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia ubilibet locorum in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci; ac specialiter ecclesiam quam habetis apud Accon et ecclesiam quam habetis apud Tyrum, ecclesiam quam habetis Antiochiæ, ecclesiam quam habetis apud Constantinopolim, ecclesiam quam habetis apud Thessalonicam et ecclesiam quam habetis Baroli, ecclesiam quam habetis Trojæ, ecclesiam quam habetis Brundusii, ecclesias quas habetis in Sicilia, ecclesias quas habetis in Hispania, ecclesias quas habetis in Polonia, ecclesias quas habetis in Bohemia, ecclesias quas habetis in Hungaria, ecclesias quas habetis in Slavonia, ecclesias quas habetis in Alemania, ecclesias quas habetis in Francia et ecclesias quas habetis in Lombardia et in Tuscia, et ecclesias quas habetis in Anglia, cum omnibus tenimentis et pertinentiis earumdem; tenimentum quoque quod habetis apud Subeloth, casale quod habetis apud Cyprum, et teninentum quod habetis apud Tripolim, et teninentum quod habetis in Moravia, cum universis illorum pertinentiis, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis; omnes insuper libertates, immunitates et jura quæ vos seu ecclesiæ vestræ obtinuistis per quadraginta annos, ante Concilium generale vobis et ecclesiis ipsis, non obstantibus; controversiis motis post ipsum Concilium, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Porro clerici ecclesiarum vestrarum chrisma, oleum sanctum, ordinationes clericorum, consecrationes altarium, ab episcopis diœcesanis accipiant, si tamen catholici fuerint et gratiam atque communionem Apostolicæ Sedis habuerint, eaque ipsis gratis et sine gravitate voluerint exhibere : alioquin liceat eis quos maluerint adire catholicos antistites qui, nostra fulti auctoritate, quod postulatur indulgeant. Nulli præterea fratrum vestrorum liceat, post factam in ecclesia vestra professionem, sine patriarchæ aut prioris sui licentia ab ipsa discedere; discedentem vero, sine communium cautione litterarum, nullus audeat retinere. Ad hæc, ad exemplar felicis memoriæ Adriani papæ prædecessoris nostri, statuimus ut ecclesiæ vestræ in quibus fuerit congregatio fratrum, pro communi parochiæ interdicto non vacent; sed liceat semper fratribus vestris in eisdem ecclesiis commorantibus, non tactis tintinnabulis, interdictis et excommunicatis ejectis, clausis januis, et submissa voce divina officia celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, confirmationis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beati Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum apud Urbem Veterem, XIV kalendis septembris, pontificatus nostri anno quinto, qui fuit a Christo nato MCCXX.

XXVII

Ad abbatem et conventum Sancti Michaelis Virdunensis diœcesis.

20 augusti 1220.

[Regest., lib. V, epist. 42. Mss. La Porte du Theil. et Manrique, IV, 210.]

Inhibet ne monachos Cistercienses in posterum in ipsorum monasterio admittant.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui monasterii Sancti Michaelis, Virdunen. diœcesis.

Cum regularis observantiæ statum non deceat, ut hi, qui religioni alicui professionis vinculo se astringunt, ad regulam transeant laxiorem, vobis auctoritate præsentium inhibemus, ne de cætero illos qui Cister-

cien. ordini spontanea professione tenentur, in monachos vestri monasterii admittatis, nisi forsan ipsum monasterium in posterum ejusdem ordinis receperit instituta; quod si aliqui tales ibi sunt forte recepti, eos ad sua monasteria remittatis. Nulli ergo, etc., nostræ inhibitionis infringere. Si quis autem, etc. Datum apud Urbem Veterem, decimo tertio kalendas septembris, anno quinto.

XXVIII

Ad priorem et conventum Cluniacensem.

21 august. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 46. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget eis ut ipsi, nec ipsorum fratres, in causam per litteras Apostolicas trahi possint, nisi in litteris istius modi, eorum ordinis mentio expresse facta fuerit.

Honorius, etc., dilectis filiis priori et conventui Cluniacen.

Vestra nobis discretio supplicavit, ut cum nonnulli vos, et fratres vestros in vestris ecclesiis consistentes frequenter malitiose fatigent per litteras generales, super hoc Apostolicum adhibere remedium dignaremur : nos igitur volentes eorum obviare malitiæ, ac vestræ providere quieti, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut vos, vel alii fratres vestri, trahi non possitis in causam per litteras Apostolicas ordinis vestri mentione non habita de cætero impetrandas. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum apud Urbem Veterem, XII kalendas septembris, anno quinto.

XXIX

Ad Conradum, Portuensem episcopum, A. S. legatum.

21 august. 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist. XIX, 705; Regest., lib. V, epist. 45.]

Mandat ut super malefactis comitis Tolosani adversus episcopum Bitterensem et ecclesiam ejus inquisitionem faciat et sententiam reddat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Portuensi, A. S. legato, salutem et apostolicam benedictionem.

In nostra constitutus præsentia venerabilis frater noster, Biterrensis episcopus (1), nobis exposuit conquerendo, quod nobilis vir A(malricus), comes Tolosanus et sui, munitione de Casiliaco, quam magnis ædificaverat sumptibus, pro sua voluntate destructa, quasdam domos ejus sitas ibidem incendio devastarunt, abducentes inde sua et suorum hominum animalia, et res alias asportantes. Quum autem quondam vicecomes Biterrensis pia deliberatione concesserit, ut, ecclesia de feudis ad suum vicecomitatum spectantibus, quocumque justo titulo ipso irrequisito; posset acquirere, id idem comes non patitur, nec quidquam eidem donari permittit ecclesiæ, aut vendi, vel in testamento relinqui; et cum custodia clavium quarumdam portarum civitatis pertineat ad eumdem, comes ipse super hoc gravis est ei plurimum et molestus, approprians sibi feudum, quod nobilis vir R(ogerus) de Bitteri tenebat ab ecclesia supradicta.

Præterea super quodam nemore aut quibusdam lapidibus grave damnum ecclesiæ irrogavit eidem, et super jure quod eadem habet ecclesia in pedagio, foro, leuda et judaica, et super jurisdictione Judæorum, villis de Vircleriis et Badonis, castris de Cerviano, Casulis et Remejano, feudis, possessionibus de Divisano, et Podio Franceto, et debitis, injuriatur eidem, indebite compellendo coram se homines Biterrensis ecclesiæ litigare, ac exigendo tam ab his quam a clericis suis tallias, collectas et exactiones indebitas, ut eos super possessionibus et rebus aliis molestando. Ad hæc præfatus comes in Biterrensi civitate præcones instituit, bannum ponit et relaxat, ipso penitus inconsulto, cum hoc communiter pertineat ad utrumque; et ne bladum ejusdem episcopi et clericorum suorum extra suam deferatur diœcesim, non rationem sequens, sed libitum, interdicit, et quemdam ejus vicarium, injuriis primo et verberibus lacessitum, carceri mancipavit. Insuper dictus comes et sui, ac quidam alii suis nominibus exprimendi, super his et aliis episcopum ipsum et ecclesiam suam multiplicibus moliuntur molestiis fatigare. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, partibus convocatis, quod justum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris, etc... Datum apud Urbem Veterem, XII kalendas septembris, pontificatus nostri anno quinto.

(1) Bernardus de Conciaco.

XXX

Ad archiepiscopum Dublinensem.

22 augusti 1220.

[Theiner, Monumenta Hibern. et Scotor., p. 17.]

Mandat ut postulationem factam per capitulum Ossoriense, si canonica fuerit, confirmet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri..... Dublinensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum dilecti filii, capitulum Ossoriense, olim eorum ecclesia viduata pastore, et dilectum filium P. canonicum suum in episcopum postulassent, suis nobis litteris supplicantes instanter, ut quum pro ipso super defectu natalium, qui obsistebat eidem, de soluto genito et soluta, dignaremur misericorditer dispensare, multis ecclesiarum prælatis, et quibusdam etiam de fratribus nostris supplicantibus et laudabile testimonium perhibentibus pro eodem, cum ipso duximus dispensandum : ita tamen quod illa vice postulationem non reciperet de se factam. Nuper autem idem capitulum dilectos filios Willelmum cancellarium et magistrum G. canonicum suos ad nostram præsentiam destinantes, nobis iterum instantius supplicarunt, ut postulationi factæ de ipso, cui adhuc totis desideriis insistebant, annuere dignaremur, quum crederent per eum ecclesiam ipsam in spiritualibus et temporalibus profecturam. Ne igitur videremur profectum ejusdem ecclesiæ præpedire, vel promotioni ejus obsistere, qui delicta parentum honestate vitæ, ac talento scientiæ creditur laudabiliter redemisse, fraternitati tuæ, de qua plenam obtinemus fiduciam, per Apostolica scripta mandamus, quatenus personæ ac rei circumstantiis circumspectis, postulationem ipsam examinans diligenter, si alias est de persona idonea canonice celebrata, eam auctoritate nostra confirmes. Datum apud Urbem Veterem, VI kal. septemb., pontificatus nostri anno quinto.

XXXI

Ad N. Matisconen., abbatem de Firmitate Cistercien. ordinis, Cabilonensis diœcesis.

25 august. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 54. Mss. La Porte du Theil.]

Scribit ut testes idoneos in causa Quinqueecclesien. episcopi admittant.

Honorius, etc., dilectis filiis Matisconen., et abbati de Firmitate, Cistercien. ordinis, Cabilonen. diœcesis.

Præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus testes idoneos, quos venerabilis frater noster Quinqueecclesien. episcopus super ætate sua duxerit producendos, recipere ac diligenter examinare curetis, depositiones ipsorum nobis sub sigillis vestris inclusas fideliter transmissuri. Datum apud Urbem Veterem, VIII kalendas septembris, anno quinto.

XXXII

Ad Bartholomæum episcopum Quinqueecclesiensem.

25 august. 1220.

[Theiner, Monum. Hungariæ, I, 24, n. 41.]

Episcopo Quinqueecclesiensi, ut propter ætatis et scientiæ defectum, spiritualium curam per alios geri curet, et sic proficiat, ut Sedis Apostolicæ gratiam mereatur. Strigoniensis archiepiscopus a beneficio et officio suspenditur, quod eumdem consecraverat.

Honorius episcopus, etc., venerabili fratri..... episcopo Quinqueecclesiensi, salutem, etc.

Intellecto te in duobus pati defectibus, scientia scilicet et ætate, mandamus super ætate diligenter inquiri : et si te constiterit, electionis tuæ tempore, ætatis legitimæ non fuisse, quidquid de te factum est, volumus irritari : cæterum cum inventus sis, sufficientem non habere scientiam litterarum, te in spiritualibus, a pontificalium executione suspendimus usque ad nostræ beneplacitum voluntatis : ut, si de legitima ætate docueris, et studio subsequente suppleveris, quem pateris in litteratura defectum, tibi gratiam, prout expedire videbimus, faciemus. Ad hæc... Strigoniensem archiepiscopum, qui ad confirmationem et consecrationem tuam contra generalis Concilii statuta processit, ejusdem Concilii animadversione punimus, ut videlicet non solum confirmandi primum successorem tuum careat potestate, verum etiam a perceptione proprii beneficii sit suspensus, donec, si æquum fuerit, indulgentiam mereatur ipsius beneficii fructibus interim in aliquam evidentem utilitatem Strigoniensis ecclesiæ de venerabilium fratrum nostrorum... Vesprimiensis et... Agriensis episcoporum conscientia et consilio convertendis. Ideoque præsentium tibi auctoritate injungimus, quatenus interim spiri-

tualium curam per eos, quos ad hoc de nostra conniventia providisti, geri procurans sollicite ac prudenter, eum in scientia studeas habere profectum, quod si fidem super ætate legitima feceris, apud nos merito debeas gratiam invenire.

Datum apud Urbem Veterem, VIII kal. septembris, anno quinto.

In eumdem modum scriptum est Vesprimiensi et Agriensi episcopis, mutandis mutatis: Intellecto *ut supra, usque in finem. Deinde subsequitur :* Ideoque per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus hæc Strigoniensi et Quinqueecclesiensi ecclesiis publicantes, et quatenus ad ipsum archiepiscopum pertinet, facientes per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari, injungatis capitulis, clero et universis subditis Quinqueecclesiensis ecclesiæ, ut procuratoribus, quos idem episcopus in spiritualibus de conniventia nostra providet et sibi ac illis quos procuratores in temporalibus duxerit providendos, intendant humiliter et devote, de justitiis episcopalibus eis curent sine difficultate qualiter respondere. Datum apud Urbem Veterem, VIII kalend. septembris, anno quinto.

XXXIII

Ad abbates S. Eligii et S. Bartholomæi et priorem S. Eligii Noviomenses.

26 august. 1220.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 706.; Regest., lib. V, epist. 56.]

Graviter afflictam diutina viri sui captivitate, Johannam, Flandriæ et Hannoniæ comitissam, quæ Sedis Apostolicæ protectionem expetebat, Honorius indultis quibusdam præmunit privilegiis.

Honorius episcopus... dilectis filiis S. Eligii et S. Bartholomæi abbatibus et priori S. Eligii Noviomensibus, salutem, etc.

Quum dilecta in Christo filia nobilis mulier Johanna, comitissa Flandrensis, propter diutinam viri sui captivitatem vehementer afflicta, gratiam Apostolicæ consolationis imploret, nos, ejus angustiis paterno compatiente affectu, personam ipsius cum omnibus bonis suis sub protectione suscepimus Apostolicæ Sedis et nostra, districtius inhibentes, ne qua persona ecclesiastica terram vel homines suos temere molestare præsumat. Ad exemplar quoque felicis memoriæ Innocentii papæ prædecessoris nostri, sibi duximus indulgendum, ut, donec, præfato viro suo libertati (1), a tribulationibus et angustiis hujusmodi relevetur, nullus audeat in eam excommunicationis ferre sententiam absque mandato Sedis Apostolicæ speciali; nihilominus concedentes, ut, tempore interdicti, excommunicatis et interdictis exclusis, in capella sua, summissa voce, divina sibi faciat officia libere celebrare. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus comitissam eamdem non permittatis super præmissis contra protectionem, inhibitionem et concessionem nostram, ab aliquibus molestari, molestatores ejus indebitos per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non omnes, etc. Datum apud Urbem Veterem, VII kalendas septembris, anno quinto pontificatus nostri.

In eumdem modum scriptum est Johannæ Flandrensi comitissæ, mutandis mutatis. Datum ut supra.

(1) *Scribendum est :* liberato.

XXXIV

Ad Azzachum Judæum Barchinosensem.

26 august. 1220.

[Raynaldi, Annal. ecclesiast. ad annum 1220, § 48, *non integra.*]

De caritate Ecclesiæ erga infideles.

Sedes Apostolica, pia mater, ubera caritatis, quibus filios suos nutrit, ad alienos interdum studio pietatis extendit, quos locum sui tabernaculi dilatando in fide nititur parturire, ut si forsan ad æmulationem quomodolibet provocati in adoptionem veniant filiorum, Christusque formetur in illis, et ipsi conformentur eidem, adorentque ipsius pedum vestigia, qui ei aliquando detrahebant. Datum apud Urbem Veterem, VII kalendas septembris, pontificatus nostri anno quinto.

XXXV

Ad abbatem de Claromarisco præpositum et priorem de Watinensi, Morinensis diœcesis.

26 august. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 53. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut vim juramenti a comitissa Flandriæ de defendendis Cameracen. ecclesiæ bonis præstiti definiant et explicent.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati de

Claromarisco, præposito et priori Watinen. Morinen. diœcesis.

Dilecta in Christo filia nobilis mulier J. comitissa Flandriæ sua nobis petitione monstravit, quod cum pro posse suo conservare, atque personas, et bona Cameracen. ecclesiarum defendere teneatur præstito juramento, quidam ex ipsis ecclesiis asserentes, quod omnia damna ipsis ubicumque locorum illata resarcire tenetur, conscientiæ suæ gravis dubitationis scrupulum ingesserunt, quem per declarationem nostram ab ejus animo petiit amoveri. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus forma juramenti prædicti diligentius intellecta declaretis quatenus comitissa eadem obligata sit hujusmodi vinculo juramenti. Quod si non omnes, etc. Datum apud Urbem Veterem, VII kalendas septembris, pontificatus nostri anno quinto.

XXXVI

Ad capitulum Brugense.

26 august. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 58. Mss. La Porte du Theil.]

Quum præpositus ipsorum ecclesiæ, de jure Flandriæ cancellarius esse deberet, injungit ut in electione præpositi, non eligant nisi personam comitissæ Flandrensis gratam et acceptam.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Brugen. Tornacen.

Dilecta in Christo filia nobilis mulier J. comitissa Flandriæ nobis humiliter supplicavit, ut cum is qui per tempora fuerit ecclesiæ vestræ præpositus, ex antiqua consuetudine debeat ejus tenere sigillum, et ejus consiliis interesse, providere dignaremur eidem, ne suspecta sibi persona obtinere possit hujusmodi dignitatem. Cum igitur justæ petitioni Apostolicum deceat adhibere consensum, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus cum præpositus in ecclesia ipsa fuerit eligendus, personam, quæ non sit merito ipsi comitissæ suspecta, sed de qua plenam possit habere fiduciam, eligatis, quum constet quod grave sibi possit imminere dispendium, si personæ suspectæ sua cogeretur communicare secreta, et consilia revelare. Datum apud Urbem Veterem, VII kalendas septembris, pontificatus nostri anno quinto.

XXXVII

Ad episcopum, præpositum ac cantorem Cameracenses.

26 august. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 59. Mss. La Porte du Theil.]

Promissiones illicitas de non vacantibus ecclesiarum beneficiis a Johanna comitissa Flandrensi factas irritas esse jubet.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo et dilectis filiis præposito et cantori Cameracensibus.

Cum dilecta in Christo filia nobilis mulier Johanna comitissa Flandren. devicta quorumdam precibus importunis fecerit promissiones illicitas de non vacantibus beneficiis ecclesiarum, in quibus obtinet patronatus et donationes eorum in manibus posuerit alienis, sicut nostris est auribus intimatum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus irritum decernentes quidquid super hoc ab eadem inveneritis esse factum contra canonica instituta, auctoritate nostra inhibeatis eidem, ne similia de cætero attentare præsumat. Quod si non omnes, etc. Datum apud Urbem Veterem, septimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno quinto.

XXXVIII

Ad episcopum Cameracensem.

28 august. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 64. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut super absolutione M. de Thians, qui monasterium Wicemen. intratus et ibi una die moratus, postea exierat veritatem inquirat.

Honorius, etc. Dilectus filius M. de Thians sua nobis petitione monstravit, quod cum ipse qui adhuc in puerilibus annis, existit puerilis animi levitate Wicomen. monasterium intravisset, ibique nulla professione facta permansisset solummodo una die; ad clamores et lacrymas matris suæ ipso exiit monasterio, et ad propria rediit cum eadem. Unde petiit, ut si propter hoc est adstrictus in aliquo, ipsum misericorditer absolvere dignaremur. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, et regulare aliud non obsistat, ipsum auctoritate nostra denunties a regûlari observantia penitus absolutum. Datum apud Urbem Veterem, quinto kalendas septembris, anno quinto.

XXXIX

Ad episcopum Cameracensem.

28 august. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 64. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut de facto quodam inter latronem quemdam et R. canonicum Cameracensem inquirat diligenter.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Cameracen. Dilectus filius R. canonicus Cameracen. sua nobis petitione monstravit, quod cum quidam latro domum patris ejus, in qua ipse jacebat, nocte quadam esset ad furandum ingressus, evigilante dicto canonico et clamante, ipse latrò per quamdam fenestram exiliens, et impingens in quodam ferro quod erat in fenestra eadem, digitum suum adeo vulneravit, quod per vestigia sanguinis emanantis a sæculari judice deprehensus extitit, et suspensus. Unde dictus canonicus nobis humiliter supplicavit ut super hoc conscientiæ suæ salubriter consulere dignaremur. Licet igitur idem canonicus secundum ea, quæ præmissa sunt, nullam irregularitatem incurrisse noscatur, quia tamen veritas aliter forte se habet, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de toto negotio, et ejus circumstantiis prudenter inquiras, et, solum Deum habens præ oculis, super hoc statuas quod ecclesiasticæ honestati, et saluti dicti canonici videris expedire. Datum apud Urbem Veterem, quinto kalendas decembris, anno quinto.

XL

Ad episcopum Andegavensem.

31 august. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 72. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut, quum suam diœcesim visitaverit, duos canonicos secum retinere possit, qui tamen præsentes in ipsorum ecclesia haberentur.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Andegavensi.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum necesse habeas aliquos de canonicis ecclesiæ tuæ pro ipsius ecclesiæ negotiis procurandis, et tua etiam diœcesi visitanda tecum specialiter retinere tibi concedere dignaremur, ut tales in Andegaven. ecclesia pro residentibus haberentur. Nos igitur, quantum cum Deo possumus, tuis devotis precibus condescendere cupientes, fraternitati tuæ auctoritate præsentium duximus concedendum, ut quum tuam diœcesim visitaveris, duos de canonicis Andegaven. tecum ducere valeas qui pro residentibus in præfata ecclesia reputentur. Nulli ergo, etc. nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum apud Urbem Veterem, secundo kalendas decembris, anno quinto.

XLI

Ad abbatem Belli Prati, et priores de Celebelviler et Belli Prati Tullensis diœcesis.

31 augusti 1220.

[Regest., lib. V, epist. 33. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut revocatis omnibus quæ in causa, quæ inter R. clericum crucesignatum ab una parte, et dominam de Tisca et fratres suos ab altera, vertebatur, post appellationem ad Sedem Apostolicam facta fuissent, causam de novo audiant.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Belli Prati et de Celebelviler... Belli Prati prioribus Tullen. diœcesis.

Ad audientiam nostram R. clerico crucesignato significante pervenit, quod cum nobilis mulier domina de Tisca Tullensis diœcesis ab eo et fratribus suis possessiones quasdam repeteret, quas dicebat ab ipsis titulo pignoris detinere, et super hoc quum coram... officiali Tullen. non ex delegatione Apostolica convenerit, dicens tandem ipse nihil juris se in possessionibus prædictis habere, ac renuntians si quid juris in ipsis sibi competere videbatur, licentiatus tam ab officiali præfato, quam a parte adversa recessit; sed cum esset in procinctu itineris prosequendi, quod emiserat, votum crucis, idem officialis, super eisdem possessionibus citavit eumdem, et cum idem excipiendo proponeret, quod non tenebatur super ipsis possessionibus, cum coram eo renuntiaverit et renunciaret adhuc, si quid in eis juris habuerat respondere, ac præfatus officialis exceptione hujusmodi non admissa procedere niteretur, ipse nostram audientiam appellavit. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, revocato in statum debitum si quid post hujusmodi appellationem inveneritis temere attentatum, audiatis causam, appellatione remota, fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Alioquin partes et appellantem, etc. Testes, etc. Quod si non omnes, etc. Datum apud Urbem Veterem, secundo kalendas septembris, anno quinto.

XLII

Ad Albertum archiep. Magdeburgensem.

3 sept. 1220.

[Gersdorf, Codex diplom. Saxoniæ reg., II, I, 83, n. 90.]

Ut H., comitem Ascaniæ, excommunicatum solemniter nuntiet.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Magdeburgensi et suffraganeis ejus, salutem.

Per tuas nobis litteras, frater archiepiscope, intimasti, quod quum quidam commensales nobilis viri H., comitis Ascaniæ, adversus dilectum filium... abbatem Nienburgensem, nullam pro se causam inimicitiarum habentes, eumdem abbatem orbassent lumine oculorum et impie mutilassent, tu quia præsumptiones validissimæ ac nullatenus palliabiles ostendebant, id factum esse nutu et mandato comitis memorati, qui graves cum abbate ipso habere dignoscitur quæstiones, de multorum episcoporum aliorumque consilio, præfatum comitem et omnes tanti facinoris consiliarios et auctores excommunicatos publice nuntiasti. Licet igitur nuntii dicti comitis, qui pro eo, quod ejus purgationem recipere renuebas, nostram audientiam appellaverant, ipsum comitem super hoc conati fuerint coram nobis multipliciter excusare, quia tamen conatus inefficax extitit eorumdem, nos ratum habentes quod in hac parte fecisti, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem comitem et alios prænotatos, singuli per civitates et diœceses vestras ac alia loca, in quibus videretis expedire, candelis accensis et pulsatis campanis, singulis diebus dominicis et festivis, excommunicatos solemniter nuntietis et faciatis usque ad satisfactionem condignam arctius evitari. Datum apud Urbem Veterem, III nonas septembris, anno quinto.

XLIII

Ad abbates de Walckenred., de Wolkolderode et de Lapide Sancti Michaelis Moguntini et Halberstadensis diœcesum.

3 septem. 1220.

[Wurdtwein, Nova Subsidia, t. IV, 111.]

Mandat ut inquirant quomodo litteras falsas contra abbatem, malitiose confectas, munitas fuisse sigillo monasterii.

Honorius episcopus servus servorum Dei, de Walckenred... de Wolkolderode et... de Lapide S. Michaelis Mogunt. et Halberstad. diœc. abbatibus, salutem, etc.

Ex parte dilectorum filiorum conventus Nienburgensis nobis est oblata querela, quod C... Inmelden. præpositus Magdeburg. diœc. duos monachos sui monasterii, per circumventionis astutiam, ad id fraudulenter induxit, quod sigillum præfati monasterii sibi clanculo concesserunt, cum quo quasdam falsas litteras, nomine dicti conventus, contra ipsorum abbatem malitiose confectas sigillare præsumpsit; propter quod venerabilis frater noster Magdeburgensis archiepiscopus, diœcesanus loci, excommunicationis sententiam in omnes hujus malitiæ conscios promulgavit. Quare conventus prædictus nobis humiliter supplicavit, ut præfatis monachis, dicti præpositi calliditate deceptis, facientes beneficium absolutionis impendi, eidem præposito dignam pœnam infligere dignaremur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et inquisita super his diligentius veritate, si vobis constiterit rem taliter se habere, dictos monachos mittendos ad præfatum archiepiscopum absolvendos, dicto præposito pœnam canonicam, sublato appellationis obstaculo, infligatis. Quod si non omnes etc. Datum apud Urbem veterem, III nonas septembris, pontificatus nostri anno quinto.

XLIV

Ad eosdem.

3 septembr. 1220.

[Wurdtwein, l. c. 113.]

De præposito ecclesiæ Inmeldensis de mutilatione abbatis Nienburgensis et publice infamato mandat ut inquirant, si constiterit fuisse culpabilem, de præpositura removeant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... de *Walckenred*... de *Volkolderode* et de Lapide *S. Michaelis* Mogunt. et Halberstad. diœc. abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectorum filiorum... abbatis et conventus Nienburgensis fuit propositum coram nobis quod cum C. ecclesiæ Inmeldensis præpositus, Magdeburg. diœcesis, præposituram ipsam obtineat a monasterio eorumdem, idem hujusmodi beneficii aliarumque multarum impensarum sibi a monasterio memorato immemor et ingra-

tus nobili viro H(enrico), comiti Ascaniæ, qui præter afflictiones alias, quibus ipsum opprimit monasterium, eumdem abbatem exoculari fecit et impie mutilari, sic pertinaciter contra monasterium memoratum adhæret, ut cum idem comes, propter hoc, sit excommunicatus publice nuntiatus, ipse præpositus de prædicti abbatis mutilatione suspectus et publice infamatus, nihilominus ei communicare præsumat et eumdem in sua fovere malitia contra monasterium supradictum; quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et inquisita diligentius veritate, si vobis constiterit jam dictum præpositum in mutilatione abbatis fuisse culpabilem vel dicto comiti contra sæpedictum monasterium in gravem læsionem ipsius consilium vel auxilium impendisse, ipsum præpositura jam dicta, quam a monasterio ipso habet, appellatione remota, privetis, injungentes abbati et conventui supradictis ut de illa disponant, secundum quod pertinet ad eosdem. Quod si non, etc. Datum apud Urbem Veterem, III nonas septembris, pontificatus nostri anno quinto.

XLV

Ad Conradum episcopum Metensem.

4 septembr. 1220.

[Theiner, Codex dipl. dominii temp., I, 57, n. 87.]

Illum arguit pontifex de negligentia et ei mandat ut erga Romanam Ecclesiam citius mandatum regale adimpleat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri, episcopo Metensi, imperialis aulæ cancellario, salutem.

Si benignitatem, quam circa te Apostolica Sedes exhibuit, diligenter attenderes, ejus negotia diligentius et fidelius procurares. Sane non possumus non mirari, quod cum regale mandatum acceperis, prout tuis nobis litteris intimasti, ut nobis resignari faceres terram claræ memoriæ comitissæ Matildis, ad Romanam Ecclesiam pertinentem, ac propter hoc dilectum filium Raynaldum subdiaconum et capellanum nostrum ad te jamdudum curaverimus destinare, tu cum promissionibus hactenus detinendo, in negotio ipso efficaciter minime processisti. Certe talia de te non sperabamus obsequia, quia scimus nos et Apostolicam Sedem de te longe alia meruisse. Monemus igitur fraternitatem tuam, et per Apostolica scripta tibi præcipiendo mandamus, quatenus terram ipsam, dilatione et excusatione cessantibus, nomine nostro, capellano facias resignari prædicto, et eidem de ipsius terræ hominibus fidelitatis juramenta præstari, præcedentem negligentiam subsequenti diligentia taliter purgaturus, quod operum exhibitione demonstres ad nos et Romanam Ecclesiam debitam devotionem habere, nosque ac fratres nostri non contra te, sed pro te cogitare potius debeamus. Datum apud Urbem Veterem, II nonas septembris, anno quinto.

XLVI

Ad Alatrinum subdiaconum et capellanum.

4 septembr. 1220.

[Theiner, c. ut supra, I, 57, n° 86.]

Mandat ut de restituenda terra comitissæ Mathildis sollicite agat cum Conrado episcopo Metensi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Alatrino subdiacono et capellano nostro, salutem, etc.

Cum olim nobis litteris tuis intimasses, venerabilem fratrem nostrum... Metensem episcopum, imperialis aulæ cancellarium, regium recepisse mandatum, ut terram claræ memoriæ comitissæ Mathildis, tibi, nomine nostro, faceret resignari. Nos postmodum intellecto, quod cum cancellario non veniebas eodem, dilectum filium R. subdiaconum et capellanum nostrum ad ipsum cancellarium, propter hoc, cum nostris litteris curavimus destinare, qui eum diu vanis promissionibus detinens, non processit efficaciter in negotio, nec procedit: ideoque per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus tam apud regiam celsitudinem, quam apud cancellarium præfatum ita studeas operari, quod terra ipsa prædicto capellano, vel tibi ac ei, si te præsentem esse contigerit, resignetur, et nomine nostro ab ipsius terræ hominibus fidelitatis juramenta præstentur, mandatum nostrum ita sollicite impleturus, quod occasione litterarum et consilii tui non videamur elusi, denuntias, si opus esse videris, ipsi regi, quod si cognoverimus, quod nos in hac parte velit eludere, faciet nos aliud cogitare. Quidquid autem super hoc feceris, nobis celeriter intimari procures. Datum apud Urbem Veterem, II nonas septembris, pontificatus nostri anno quinto.

XLVII

Ad abbatem et conventum Fossæ Novæ.

4 septembr. 1220.

[Ughelli, Italia sacra, tome I, page 1292.]

Confirmatio donationis conventui Fossæ Novæ a Simeone Terracinensi episcopo ecclesiæ Sancti Angeli de Campo Mellis factæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, abbati, et conventui Fossæ Novæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium, etc. Eapropter, etc., *usque* concurrentes assensu, ecclesiam Sancti Angeli de Campo Mellis, a venerabili S. fratre nostro concessam, sicut eam juste ac pacifice possidetis et in instrumento publico exinde confecto plenius continetur, vobis, et per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem evidentiam, tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum huic nostræ paginæ duximus inserendum.

In nomine Domini. Amen. Anno Domini 1203, indict. VI, pontificatus D. Innocentii papæ III anno VI, mense augusti die 5 astante. Cum jure sit naturali adinventum, gentium ac civili comprobatum, universaliter hujusmodi subvenire; multo quippe ampliore honore sunt digni, et uberioris caritatis visceribus amplectendi, qui, juxta evangelica præcepta, mundum cum blanditiis, et adulationibus suis spernentes, soli Deo placere desiderant, carnem suam cum vitiis, et concupiscentiis crucifigentes, in jejuniis et vigiliis multis, in orationibus sine intermissione habitis, et in caritate non ficta. Horum autem habitacula, sacratissimi imperatores domos religiosas vocantes, plenius adornarunt privilegiis, magnificentiis ditarunt innumeris, ardorem fides eorum considerantes, et qualiter die noctuque Deum pro fidelibus interpellare non cessant attendentes. Ego itaque Simeon Dei gratia Terracinensis episcopus, conspiciens in venerabili monasterio Fossæ Novæ omnem honestatem, omnemque religionem vigere, ipsumque monasterium inter cætera Cisterciensis ordinis cœnobia celebrare; habui ecclesiam Sancti Angeli de Campo Mellis, quæ, licet quondam possessionibus ampla fuerit, per suppressionem tamen patronorum, quibus sub gravibus exactionibus tenebatur obnoxia, et dilapidationem prælatorum fere ad nihilum redacta, nunc autem studio, et ope ven. D. Jordani S. Pudentianæ presb. card. tit. pastoris in integrum restituta, longe, lateque ditior effecta, pro amore Dei, ac reverentia, supra nominati Dom. Jordani ven. presb. card. et honore, ac devotione totius conventus ipsius monasterii, consensu Carantionis archipresbyteri Terracinensis, magistri Stephani, Federici sacristæ, presbyteri Nicolai, Johannis Schinardi diaconi ipsius capituli Terracinensis, concedo in perpetuum supradicto monasterio Fossæ Novæ, fratrem Crescentium ipsius monasterii cellerarium et canonice monasterii investiens hoc modo, quatemus in supradicta ecclesia S. Angeli semper duo clerici sæculares resideant, qui non desinant ibi divina celebrare mysteria, quorum unus sit sacerdos, et alius alterius ordinis clericus, vel ambo sint sacerdotes, qui mihi, successoribusque meis Terracinensis ecclesiæ episcopis de officinis suis, sicut suis episcopis respondere teneantur. Ad hæc, prædicta ecclesia nullo tempore in formam Grangiæ instituetur, idest ne eclesia exinde destituatur, aut duo sint clerici, qui ibi, sicut supradictum est, divina celebrent mysteria, et omni anno, in festo S. Cæsarii, monasterium Fossæ Novæ solvet nomine census pro prædicta ecclesia S. Angeli episcopo Terracinensi marcam unam puri argenti, seu 40 solidos præbisinorum veterum de flore. Ut autem suprascripta perpetua stabilitate serventur, promissa sunt ab utraque parte in perpetuum firma servari.

Hi sunt rogati testes :

Jordanus Caporiæ civis romanus, testis.

Rainaldus Piperni judex, testis.

Leonardus advocatus Terracinæ, testis.

Matthæus in Gibaldi civis Terracinensis, testis.

Landulphus Petri de Rainaldo civis Setinus, testis.

Ricardus Alberici de Monticello, testis.

Ego Robertinus, S. R. E. judex, et notarius rogatus interfui, et supradicta fideliter scripsi.

Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis paginam infringere. Si quis autem, etc. Datum apud Urbem Veterem, II nonas septembris, pontificatus nostri anno quinto.

XLVIII

Ad scholasticos Majoris ecclesiæ et Sancti Willelmi.

9 septemb. 1220.

[Ehmck, Bremisches Urkeudenbuch, I, 143, n. 120.]

Mandat eis ut dilucidant causam inter Arnoldum canonicum et Alardum clericum Bremensem super præbenda Ramesberensi vertentem.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Majoris ecclesiæ, et... Sancti Willelmi scolasticis et... plebano Sanctæ Mariæ Bremensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Significavit nobis Arnoldus, canonicus Ramesberensis, quod cum inter ipsum et Alardum clericum Bremensis diœcesis, super præbenda Ramesberensi coram venerabili fratre nostro Lubicensi episcopo et conjudicibus suis, auctoritate nostra quæstio verteretur, fuit tandem in eosdem, sub certa forma, tanquam in arbitros compromissum, qui, formam expressam in compromisso excedentes, iniquum contra ipsum arbitrium protulerunt. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, partibus convocatis et auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum apud Urbem Veterem, quinto idus septembris, pontificatus nostri anno quinto.

XLIX

Ad Romanum S. Angeli diaconum cardin.

10 septemb. 1220.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., I, 58, n. 88.]

Mandat ut sententiam inter monasterium de Trisulto, et homines Collis Pardi latam exsequatur.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio R. Sancti Angeli diacono cardinali, Campaniæ Maritimæque rectori, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum diu sententialiter terminaverimus quæstionem inter monasterium Sancti Bartholomæi de Trisulto ex parte una, et homines Collis Pardi ex altera, super sylva Ciei diutius agitatam, pro ipso monasterio sententiam proferentes, nuper a nobis, cum omnium habere memoriam non possimus, fuit dolosa persuasione suggestum, quod super hoc non erat sententia promulgata, et sic ad te fuerint a nobis, ut dicitur, litteræ per subreptionis astutiam reportatæ, continentes, ut supersederes mandato, quod super hoc pro monasterio receperas memorato. Cum igitur nemini patrocinari debeant fraus et dolus, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus pro certo habeas quæstionem ipsam per nos esse decisam, quod ex nostræ diffinitionis pagina tibi poterit manifeste liquere, in negotio ipso non obstantibus litteris postmodum impetratis, prædictas juxta priorum continentiam litterarum ad reprimendam eorum insolentiam, qui contra sententiam ipsam venire præsumpserint, spiritualiter et temporaliter, prout expedire videris, et rebellio eorumdem exegerit, appellatione postposita, processurus. Datum apud Urbem Veterem, IV idus septembris, pontificatus nostri anno quinto.

L

Ad monasterium S. Mariæ de Livriaco.

10 septemb. 1220.

[Gallia Christiana, VII, inst. 92.]

Illud monasterium de Livriaco tuendum suscipit et ejus possessiones, jura ac privilegia confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii Sanctæ Mariæ de Livriaco, ordinis S. Victoris Pariensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et monasterium B. Mariæ de Livriaco, in quo divinis estis obsequiis mancipati, cum omnibus quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de la Rocce, de Monte Firmiolo, et de Cormari prioratus, cum pernitentiis eorumdem, et ecclesiam beati Dionysii de Clichi : sexdecim modios annuos bladi a carissimo in Christo filio

Philippo rege Francorum illustri a pia vobis liberalitate concessos in grangia sua de Gonesse : decimas quoque de Rarai et nemoris et possessionum apud Livriacum : apud Pontiferam etiam terram, censum et molendinum cum furno et mansura, quæ dicitur Baailly ex dono Idoneæ de Gallanda et ex dono Willelmi et Roberti de Gallanda : molendinum et septem libras et dimidiam Parisienses apud Pontem Hermeri : et apud Livriacum furnum ejusdem villæ ab omni exactione liberum et quietum, et de censu ejusdem villæ centum solidos annuos Parisienses et tredecim libras Parisienses annuas in censu apud Effarta regis, et vivarium de Subclichi, ad decem arpentos nemoris Cuigiæ monasterii vestri contiguos : apud Croissy quoque trecentorum arpennorum terræ decimam, et unum dublarium vini et unum modium bladi : apud Parisios etiam in vico S. Mederici furnum ex dono Mathæi de Marliaco : tres quoque modios bladi in villa de Compans, et quadraginta solidos Parisienses annuos in censu de Vamarz : apud Parisiam, et de Chanoeill, et de Montberling, de Thieulemoy, et de Monsterolo vineas : decimam quoque de Gres, et viginti solidos in furno de Charcio : censum et terram etiam apud Parisios, quæ dicitur Maudestor : quindecim solidos censuales in censu de Noisy et de Grodolio : terram quoque vobis a Johanne d'Elie concessam, et apud Parisios in vico versus Templum octo solidos Parisienses censuales, sicut ea omnia juste et pacifice possidetis, vobis et per vos prædicto monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum, etc. Datum apud Urbem Veterem, IV idus septemb., pontificat. nostri anno quinto.

LI

Ad decanum, archidiaconum et cantorem Trecenses.

11 septemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 129. Mss. La Porte du Theil.]

Ut thesaurarium Lingonensem, ad fidelitatem episc. Lingonen., quam debet exhibendam, cogant.

Honorius, etc., dilectis filiis decano, archidiacono et cantori Trecen.

Venerabilis frater noster Lingonen. episcopus transmissa nobis petitione monstravit, quod thesaurarius Lingonen. debitam sibi fidelitatem exhibere contemnens, quasi facto velit Apostolico reluctari, contra eum per se ac suos machinari non cessat in grave dispendium ecclesiæ Lingonen. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus injungatis ipsi thesaurario, ut infra competentem terminum sibi præfigendum a nobis exhibeat fidelitatem ipsi episcopo, ut tenetur ac servet, quod si non fecerit, eumdem ad præsentiam nostram venire per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Quod si non omnes, etc. Datum apud Urbem Veterem, tertio idus septembris, anno quinto.

LII

Ad eosdem.

11 septemb. 1220.

[Regest. V, epist. 130. Mss. La Porte du Theil.]

Ut de dictis quibusdam Apostolicæ Sedi injuriosis, de quibus Fredericus Lingonensis canonicus accusabatur, veritatem inquirant, et eum ad Sedem Apostolicam mittant.

Pervenit ad audientiam nostram, quod magister Fredericus beneficio nostro canonicus Lingonen. in nostram, et fratrum nostrorum detractionem laxavit adeo temere linguam suam, ut multi graviter scandalizati fuerint verbis ejus. Quia igitur stulto debet interdum secundum suam stultitiam responderi, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum ad vestram præsentiam convocantes, et tam per ipsum, quam alios super hoc inquirentes sollicite veritatem, si eum inveneritis taliter excessisse, quod excessus ejus inultus non debeat præteriri, eumdem ad nostram venire præsentiam cum litteris vestris rei seriem plene, ac fideliter continentibus per censuram eclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellatis. Testes, etc. Quod si non omnes, etc. Datum ut supra.

LIII

Ad Massiliensem episcopum.

11 septemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 111. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut Massilienses quosdam qui parabant duas naves ad transfretandum in partes Saracenorum causa negotii, contra statutum Concilii generalis, a tali præsumptione censurarum ecclesiasticarum timore compescat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Massilien.

Quanto christianus exercitus in major

est necessitatis articulo constitutus, tanto est majori sollicitudine præcavendum, ne qualibet occasione possit eorum impediri succursus, et inimicorum crucis Christi confusio quomodolibet relevari. Sane ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod cum illud quadriennium, quo fuit sub anathemate in generali Concilio interdictum, ne Christiani transirent in terras Sarracenorum, qui partes orientales inhabitant, vel transmitterent naves suas, ut per hoc volentibus transfretare in subsidium Terræ Sanctæ major navigii copia pararetur, et Sarracenis prædictis subtraheretur auxilium, quod ex hoc eis pervenire consueverat, sit elapsum, Massiliensis cupiditatis inebriati veneno, Mammona Deo et terrena cœlestibus ac transitoria præponentes æternis, duas naves præparare nituntur cum mercimoniis in Alexandriam transmittendas, in scandalum et conturbationem fidelium, et hostium Christi gaudium et profectum. Cum igitur ex hoc succursus christiani exercitus non sit dubium impediri, et hostium commodum proventurum, fraternitati tuæ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus præsumptores prædictos ab hujusmodi temeritate populo christiano damnosa, monitione præmissa, per excommunicationis sententiam in personis, et in civitatem eorum arctissimum interdictum, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis objectu, compescas, et quoniam hujusmodi christiani exercitus necessitate durante prædictum quadriennii interdictum expedit prorogari omnibus inhabitantibus partes maritimas sub anathemate interdicas, ne in terras prædictorum hostium Christi transire, vel naves suas transmittere causa negotiationis præsumant, quousque Christi negotium optatum consequatur effectum. Datum apud Urbem Veterem, tertio idus septemb., anno quinto.

In eumdem modum scriptum est episcopo Portuen. Apostolicæ Sedis legato, et archiepisc. Januen.

LIV

Ad decanum, archidiac., et cantor. Trecen.

12 septemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 116. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut de querelis episcopi Lingonensis adversus abbatem Pulteriarum audiant, et quod justum fuerit, statuant.

Honorius episcopus, etc., dilectis filiis decano, archidiacono et cantori Trecen.

Conquestus est nobis venerabilis frater noster episcopus Lingonen. quod... abbas Pulteriarum Lingonensis diœcesis tres mulieres de jurisdictione ipsius episcopi existentes capi faciens contra justitiam, et inhoneste tractari, eas detinet, et restituere contradicit. Ad hæc duos homines ejus fecit interfici, ac per se, ac suos contra ipsum episcopum et homines ejus seditiones, et prælia non desinet machinari tam in monasterii sui quam ecclesiæ Lingonen. non modicam læsionem. Unde petiit ut mulieres ipsas restitui libertati, et præfatum abbatem compesci a molestatione sua hominumque suorum, ac etiam puniri pro perpetratis homicidiis faceremus. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes, etc. Quod si non omnes, etc. Datum apud Urbem Veterem, II idus septembris, anno quinto.

LV

Ad episcopum Mimatensem.

15 septemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 113. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut, si episcopus Claromonten. pro reconciliatione ecclesiæ monasterii Blasilien. mandatum adimplere non curaverit, ipse exsequatur.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Mimaten.

Sua nobis abbatissa et moniales monasterii Blasilien. insinuatione monstrarunt, quod quum eorum monasterium cum adjacentiis suis sit Sedi Apostolicæ immediate subjectum, venerabilis frater noster Claromonten. episcopus contendens de quibusdam procurationibus et aliis, cum eisdem impendere illis juxta privilegiorum suorum tenorem sacramenta ecclesiastica contradicit et occasione contentionis hujusmodi, illata ex parte sua violentia sanguis in ecclesia Sancti Martini consistente infra claustrum ejusdem monasterii est effusus. Quia vero reconciliari ecclesia ipsa eget, et super hoc et aliis, non debet idem episcopus ad prædictum officium sui ministerium denegare, qui eam servare debent in suis actibus gravitatem, quod in tantum non posset excessum sui occasione prorumpi, eidem nostris damus litteris in mandatis, ut sine pravitate

ac contradictione qualibet, dictam ecclesiam reconciliet, et præfatis abbatissæ ac monialibus et ipsarum clericis ministret ecclesiastica sacramenta. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus si memoratus episcopus quod mandavimus non curaverit adimplere, tu in his quæstione pendente pontificalis officii ministerium, auctoritate Apostolica, exsequaris. Datum apud Urbem Veterem, decimo septimo kalendas octobris, anno quinto.

LVI

Ad episcopum Parisiensem et archidiaconum Senonensem.

15 septemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 114. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit ut de abusibus abbatis Sancti Germani de Pratis veritatem inquirant, atque ad Sedem Apostolicam referant.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Parisien., et... archidiacono Senonen.

Ne aliorum culpas nostras efficere videamur, si eas, cum possimus, negligimus castigare, fiatque anima nostra pro animabus illorum, quasi proprium prosequimur interesse, quum audita insinuatione clamosa subditorum nostrorum excessus mandamus inquiri, ut veritate discussa culpabiles corrigantur, et insontes se gaudeant excusatos. Sane ad audientiam nostram relatione multorum noveritis pervenisse, quod monasterium Sancti Germani de Pratis, quod ad Romanam Ecclesiam nullo medio noscitur pertinere, per negligentiam vel malitiam potius... abbatis, qui præest et obest eidem, utpote illiteratus, et alias minus idoneus, nec non aliorum ibidem habitantium usque adeo in spiritualibus est collapsum, et in temporalibus diminutum, quod nisi ei celeriter succurratur, incurret irreparabile detrimentum. Cum igitur instantia nostra quotidiana sit ecclesiarum omnium sollicitudo continua, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad locum personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Deum, inquiratis, appellatione remota, super præmissis omnibus diligentius veritatem, et quæ inveneritis, nobis per vestras litteras fideliter intimetis, ut ex vestra relatione sufficienter instructi, procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum. Datum apud Urbem Veterem, decimo septimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno quinto.

LVII

Ad Fridericum regem Siciliæ, in imperatorem Romanorum electum.

20 septemb. 1220.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., 58, n. 91.]

Hortatur regem ut sicut promiserat, terram comitissæ Mathildis nuntio Apostolico resignari jubeat, et hæreticos in Lombardia reprimat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio nostro... illustri regi Siciliæ, in imperatorem Romanorum electo, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Non oportet nos verbis exprimere, quam pure, quam sollicite ad exaltationem tuæ celsitudinis intenderimus et constanti proposito intendamus, quod ipsa operis exhibitio, id abundanter exprimit et demonstrat: unde non immerito admiramur, quod ea, quæ a te juste requirimus, cum tantæ difficultatis angustia obtinemus. Quum enim venerabili fratri nostro... Metensi episcopo imperialis aulæ cancellario dederimus in mandatis, ut terram claræ memoriæ comitissæ Mathildis ad Romanam Ecclesiam pertinentem dilecto filio Alatrino, subdiacono et capellano nostro, faceret nostro nomine resignari; nosque intellecto, quod dictus A, cum cancellario tuo veniebat, eodem dilectum filium Raynaldum subdiaconum et capellanum nostrum propter hoc ad ipsum cancellarium curaverimus destinare; ipse illum diu vanis promissionibus detinens, terram ipsam sibi non fecit, quæcumque causa suffecerit, resignari. Ideoque serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam attentius requirentes, quatenus id quod regio privilegio roborato suscriptionibus principum, et alias tuis litteris promisisti, curans effectui mancipare, prædictam terram capellanis prædictis vel eorum alteri, si forte non ambo præsentes esse potuerint, facias nomine nostro libere resignari, attendens, quod si promissionem tuam in re tam modica violares, dedeceret regiam celsitudinem, et etiam præsumi posset, quod promissio tua violata in minimis, non esses in maximis ecclesiæ servaturus : propter quod iterata prece deposcimus, ut ita provideas, quod ad sublimationem tuam, quam non solum volumus, sed etiam affectamus,

nos de voluntariis amplius voluntarios, et de promptis efficias promptiores. Ad hæc serenitatem tuam ad ea libenter hortantes, per quæ Deo valeas propensius complacere, sollicitamus regiam celsitudinem, quatenus quum vitium hæresis dicatur in Lombardia plurimum excrevisse, quod apparet ex iniquis statutis, quæ pleræque illius provinciæ civitates contra Dei Ecclesiam ediderunt, contra hæreticos et fautores ac receptatores eorum statuas et servari facias aliquid dignum regia majestate, ipsaque statuta quantum ad capitula, quæ de radice pravitatis hæreticæ prodeuntia sunt contra libertatem ecclesiasticam attentata, generaliter casses et præcipias abjurari, ut fideles videntes zelum tuum circa fidem et Dei Ecclesiam merito gratulentur, per tua opera cognoscentes, te ad bonorum laudem et malorum vindictam gladium a Domino accepisse. Datum Urbem Veterem.... (octobris) pontificatus nostri anno quinto.

LVIII

Ad rectores et populos Anconitanæ et Humanatis.

22 septemb. 1220.

[Theiner, ibid., 58, n. 90.]

Jubet populis Anconitanæ, etc., ut obediant fideliter Aczolino marchioni.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, rectoribus et populis Anconitanæ et Humanatis civitatum et Rocanatensis, castelli Ficardi, Cinguli, et Monticuli castrorum Marchiæ Anconitanæ, spiritum consilii sanioris.

Totiens vobis dedisse recolimus in mandatis, ut dilecto filio nobili viro Aczolino Anconitano, et Estensi marchioni, sicut vassali domino, intendere curaretis, quod non possumus non mirari, quosdam vestrum aures nostro justo mandato hactenus obturasse, cum vobis constet, Apostolicam Sedem, consideratis meritis claræ memoriæ Aczolini marchionis Estensis, Anconitanam Marchiam, quæ Ecclesiæ Romanæ specialis existit, concessisse in rectum feudum marchioni prædicto, et ejus hæredibus; ac prædictum Aczolinum natum ejus de ipsa nihilominus investisse. Cum igitur feudum ipsum eidem Aczolino, sicut decet Apostolicæ Sedis constantiam, omnimodis conservare velimus, universitati vestræ districte præcipiendo mandamus, quatenus eidem marchioni, tamquam domino vestro, et vicario, ac nuntiis ejus, humiliter et fideliter intendentes, de justitiis suis sine difficultate eidem respondeatis, pro certo habentes, quod si præcepto nostro præsumpseritis ulterius reluctari, nos ad reprimendam insolentiam et rebellionem vestram nostræ manus potentiam extendemus.

Datum apud Urbem Veterem, X kalendas octobris, pontificatus nostri anno quinto.

LIX

Ad Aczolinum Anconitanum marchionem.

22 sept. 1220.

[Theiner, l. c., 58, n. 89.]

Marchioni Anconitano et Estensi pontifex significat, universis Marchianis se mandasse, ut ipsi obediant sicut vassali.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Aczolino, Anconitano et Estensi marchioni, salutem et apostolicam benedictionem.

His, quæ tua nobis prudentia intimavit, cum diligentia intellectis, scripsimus universis per Anconitanam Marchiam constitutis, ut tibi sicut vassali domino ac vicario, et nuntiis tuis humiliter et fideliter intendentes, de omnibus justitiis tuis tibi curent sine difficultate qualibet respondere; nisi volunt manus nostræ potentiam experiri. Tu igitur de nostro favore securus, quod tibi super hoc videris expedire; facias viriliter ac prudenter. Datum apud Urbem Veterem, X kal. octobris, pontificatus nostri anno quinto.

LX

Ad Franciscum et alios priores fratrum Minorum.

20 septemb. 1220.

[Wadding, Annal. fratrum Minorum, t. I, 361.]

Prohibet ne ad professionem in ordine fratrum Minorum aliquis admittatur, nisi post annum in probatione elapsum.

Honorius, etc., dilectis filiis fratri Francisco et aliis prioribus, seu custodibus Minorum fratrum, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum secundum consilium sapientis, nihil sit sine consilio faciendum, ne post factum pœnitudo sequatur, expedit cuilibet celsioris viæ propositum aggressuro, ut præcedant palpebræ gressus suos, vires scilicet

proprias discretionis moderamine metiendo, ne si, quod absit, altiora se quærens in commotionem dederit pedem suum, retro respiciat in salis infatuati statuam convertendus, pro eo quod sui sacrificium, quod fuerat oblaturus, sale sapientiæ non condivit. Sicut enim sapiens desipit, si non fervet, sic fervens etiam confunditur, si non sapit. Quare pene in omni religionis ordine est provide statutum ut regulares observantias suscepturi, certo tempore ipsas probent, et probentur in eis, ne sit locus de cætero pœnitudini, quam non potest levitatis occasio excusare : auctoritate vobis præsentium inhibemus, ne aliquem ad professionem vestri ordinis, nisi per annum in probatione fuerit, admittatis. Post factam vero professionem, nullus fratrum ordinem vestrum relinquere audeat, nec relinquentem alicui sit licitum retinere. Inhibemus etiam ne sub habitu vitæ vestræ liceat alicui extra obedientiam evagare, et paupertatis vestræ corrumpere puritatem; quod si forte præsumpserint, liceat vobis in fratres ipsos, donec resipiscant, censuram ecclesiasticam exercere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum apud Viterbium, X kalendas octobris, pontificatus nostri anno quinto.

LXI

Ad Cisterciensem et Mortimundensem abbates.

24 septemb. 1220.

[Manrique, Ann. Cistercien., t. IV, p. 196.]

Mandat ut in monasterio quod elegerit recipiant Valdemarum dignitate episcopali privatum propter rebellionem contra Ecclesiam, sed pœnitentem.

Waldemarus, lator præsentium, multæ humanitatis, et gratiæ, quam Apostolica Sedes olim sibi exhibuit, immemor, et ingratus contra illam se spiritu rebellionis assumpto erigere non expavit; propter quod episcopali dignitate privatus, diutius in sua rebellione permansit. Demum eo, qui tangit montes, et fumigant, tangente duritiem cordis ejus, et per necessariæ infirmitatis angustiam ipsum a longo mentis exilio revocante, ab excommunicationis vinculo, quod adstrictus auctoritate Apostolica tenebatur, per abbatem Lucullensem ordinis vestri, qui sibi extrema imminere credebat, sicut nobis per litteras venerabilis fratris nostri Mindensis episcopi, et abbatis ejusdem, innotuit, absolutus, habitum ordinis Cisterciensis assumpsit. Condescendentes igitur instantiæ precum ejus, ac simul respectum ad ordinem vestrum habentes, ratam habemus absolutionem prædictam; ideoque discretioni vestræ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus eumdem Waldemarum, ordinem vestrum humiliter observantem, faciatis in aliquo monasterio ipsius ordinis, quod idem elegerit, tractari sincera in Domino caritate; ita quod tamen ab executione officii sacerdotalis abstineat, nisi forte pro casu temporis super hoc Apostolicæ Sedis meruerit licentiam obtinere. Datis apud Urbem Veterem, octavo kalendas octobris, pontificatus nostri anno quinto.

LXII

Ad Conradum Portuensem episcopum, Apostolicæ Sedis legatum.

24 septemb. 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 707; Regest. lib. V, epist. 133.]

Legatum, angustiis et laboribus supra modum gravatum, amice consolatur Honorius, et condonat ei pro archiepiscopis duobus et episcopo ultra fines potestatis suæ progressis veniam, atque Frederici adventum in Italiam nunciat.

Honorius episcopus, venerabili fratri episcopo Portuensi, Apostolicæ Sedis legato, salutem.

Exhibitas nobis fraternitatis tuæ litteras solita benignitate recepimus, et earum tenorem intelleximus diligenter, te tacente, non ignorantes anxietates et sollicitudines, angustias et labores, et varia discrimina, quæ pateris incessanter, in quibus, etsi debito tibi compatiamur affectu, consolationis tamen materia præabundat; quia scimus et certi sumus, quod ille, cui credis, potens est in illum diem tuum servare depositum justus judex, redditurus tibi mercedem laborum tuorum, ut quod nunc momentaneum est et leve tribulationis, immensum tibi pondus gloriæ operetur. Super eo autem, quod claræ memoriæ G (uido) comes Bigorritanus, Jesu Christi verus athleta, impiorum gladiis immaniter est

occisus, gravis doloris aculeus nos transfixit (1); sed quia, bonum certamen certans, dignus habitus est pro illo animam suam ponere, qui eam in vitam custodit æternam, non immerito in Domino consolamur. Postulationi autem de te factæ a capitulo Bisuntinensi nulla ratione consentias, nec exinde ullam patiaris fieri mentionem, quia illam nullatenus admittemus. Præterea, quia, quantum possumus, volumus tibi deferre, cum venerabiles fratres nostri Arelatensis et Aquensis archiepiscopi, et episcopus Avenionensis, nec a nobis nec a te, cum nondum terram tuæ legationis intrasses, auctoritatem habuerint Massiliensibus et Tarasconensibus absolutionis beneficium impendendi, volumus ut, recepto a quibusdam ex eis publice juramento, quod nostris et tuis mandatis præcise parebunt, clam absolvas, vel absolvi mandes eosdem. Obtentu autem tui, archiepiscopis et episcopo supradictis parcimus, qui utique deliquequerunt. Quod vero tibi mansuetudinem et modestiam persuasimus (etsi non expedierit), scias nos nullatenus pœnitere; sed, ut in tuis laudibus gloriemur, persuasioni pristinæ insistentes, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus in omnibus et super omnia humilitatem et prudentiam studeas conservare, ut prorsus inconfusibilis Deo et hominibus te reddas merito commendandum, et nos de tua facias circumspectione gaudentes. Ad hæc noveris quod carissimus in Christo filius noster Fredericus, illustris rex Siciliæ, in Romanum imperatorem electus, ingressus Italiam, et jam nobis vicinus, properat ad coronam, eam a nobis, auctore Domino, feliciter recepturus. Datum apud Urbem Veterem, VIII kal. octobris, anno quinto.

LXIII

Ad episcopum Ripensem.

25 septemb. 1220.

[Suhm, Historie af Danmark, IX, 754.]

Indulget ut christianus acolytus, qui sua manu quinque Sarracenos interfecerat, remaneat in acolytatus ordine.

Dilectum filium christianum acolytum cum tuis litteris ad nostram præsentiam accedentem, qui sicut ex earumdem tenore accepimus litterarum, tibi fuit sponte confessus, quod cum Sarraceni in exercitum fecissent insultum, ipse malens occidere, quam occidi, quinque Sarracenos manu propria interfecit, ac deinde incedens in habitu laicali sagittis plurimos vulneravit, ad te duximus remittendum, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandantes, quatenus eum in acolytatus ordine Domino famulari, et beneficium ecclesiasticum, unde sustentari possit honeste, libere obtinere permittas. Datum apud Urbem Veterem, VII kal. oct.

LXIV

Ad suffraganeos episcopos Narbonensis ecclesiæ.

25 septemb. 1220.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 706; Regest., lib. V, ep. 131.]

Invalescentibus in provincia Narbonensi hæreticorum partibus, comprovincialium episcoporum zelum excitat Honorius, ut A. S. legato modis omnibus se adjungant et opitulentur.

Honorius episcopus..., venerabilibus fratribus suffraganeis ecclesiæ Narbonensis, salutem, etc.

Cum necesse sit, non solum inevitabile, verum etiam utile, ut veniant scandala, et in vaccis populorum interdum taurorum congregatio debacchetur, ut qui probati sunt, manifesti fiant, et examinati argento in publicum excludantur, vos a scandalis operantium iniquitatem nequaquam turbari debetis; sed, veluti vivi carbones accendentes extinctos, excitare vos decet alios ad fervorem, ut injuriam Christi et ejus sponsæ zelantes ad confutandam pravitatem hæreticam, quæ se contra ecclesiam audacter extollit, scuto fidei et reliqua Dei armatura muniti potenter exsurgant, gloriose, si legitime certaverint, coronandi. Cum igitur venerabilis frater noster C. (2) Portuensis episcopus, A. S. legatus, ad profligandas bestias terræ, quæ in partibus Provinciæ non solum velut vulpeculæ moliuntur vineam Domini, verum etiam velut locustæ de fumo putei exeuntes, et effecti similes equis paratis in prælium, desæviunt in aperto, a nobis, immo a Domino, ut speramus, acceperit potestatem, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur

(1) D. Vaissetius pluribus auctoritatibus asserit Guidonem, Simonis de Monteforti filium, neci occubuisse in obsidio Castelli Arriensi, die 24 julii. Unde colligimus superiores epistolas, chronicis notis destitutas, in anterius tempus esse referendas. (Bouquet.) (2) Conradus.

attente, per Apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus, singuli causam propriam prosequentes, prædicto legato super his modis omnibus assistatis, impendendo sibi consilium et auxilium opportunum, et alios quoslibet ad assistendum eidem modis omnibus inducere procuretis, ita quod Pater, qui videt in abscondito, reddat vobis, et eodem episcopo vestram nobis fidem et fortitudinem commendante, nos vobis exinde reddamur favorabiles et benigni. Datum Urbem Veterem, VII kal. octob., anno quinto.

In eumdem modum scriptum est Viennensi archiepiscopo et suffraganeis ejus, Arelatensi, Lugdunensi, Aquensi, et eorum suffraganeis : cuilibet archiepiscopo cum suis suffraganeis per se scriptum est.

LXV

Ad Guidonem, Lemovicensem vicecomitem.

25 sept. 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 707; Regest., lib. V, ep. 106.]

Lemovicensis vicecomitis et omnium qui cum eo causæ Henrici, Angliæ regis, adhærent adversus matrem ejus, reginam Isabellam, laudibus extollit fidem et constantiam Honorius.

Honorius episcopus..., dilecto filio nobili viro vicecomiti Lemovicensi, salutem, etc. Constantem fidem et fidelem constantiam, quam erga carissimum in Christo filium nostrum H., regem Anglorum illustrem, in tentatione servasti, et sine intermissione conservas, venerantur fideles, et infideles mirantur, et nos dignis Domino laudibus commendamus. Cæterum, etsi fidelitas tua persuasionibus alienis non egeat adjuvari, quæ potius ad imitationem sui alios persuadet, ut tamen scias ex hoc nobis plurimum complacere, nobilitatem tuam monemus et hortamur attente, per Apostolica scripta mandantes, quatenus in fide stabilem et in opere te exhibeas, sicut convenit, efficacem, assistas efficaciter regi prædicto, non deferens matri ejus (1), quæ, materni affectus oblita, eum et terram suam facit indebite molestari, preces et mandatum nostrum taliter impleturus, quod eumdem regem propitium, et nos, qui causam ejus propriam reputamus, reddas tibi favorabiles et benignos : certus quod, quantum in nobis fuerit, te legitime pro rege memorato certantem non permittemus ab ejus æmulis conculcari. Datum apud Urbem Veterem, VII kal. octobris, anno quinto.

(1) Isabellæ Engolismensi.

In eumdem modum scriptum est consulibus et populo castri Lemovicensis.

Item, electo, capitulo et populo civitatis Vasatensis.

Item, nobili viro S. de Maloleone, Pictavensis diœcesis.

Item, nobili viro A. vicecomiti de Rupecavardi; de Cabanisio, Montis Berulfi dominis, Lemovicensis et Engolismensis diœcesium.

Item, abbati et conventui Sancti Johannis Angeliacensis, Xanctonensis diœcesis.

Item, majori et communiæ de Niorto, Pictavensis diœcesis.

Item, majori et communiæ Sancti Johannis Angeliacensis, Xanctonensis diœcesis.

Item, episcopo, capitulo et populo civitatis Petragoricensis.

Item, nobilibus viris Gaufrido, Americo et Roberto de Ranconio fratribus, Xanctonensis diœcesis.

Item, nobilibus viris baronibus et aliis fidelibus regis Angliæ in Burdegalensi diœcesi constitutis.

Item, episcopo, capitulo et populo civitatis Lemovicensis.

Item, majori et communiæ de Rupella, Xanctonensis diœcesis.

Item, episcopo, capitulo et populo civitatis Bayonensis.

Item, universis baronibus et fidelibus carissimi in Christo filii nostri H., illustris regis Angliæ, in Lemovicen. diœc. constitutis.

Item, episcopo, capitulo et populo civitatis Aquensis.

Item, nobili viro vicecomiti Toartensi, et W. et G. natis ejus, Pictavensis diœcesis.

LXVI

Ad Isabellam, Angliæ quondam reginam.

25 sept. 1220.

[Bouquet, Recuil des Hist., XIX, 708; Regest. lib. V, epist. 144.]

Cum Isabella, dotalitium, quod a Joanne rege acceperat in Anglia, repetens, filii sui Henrici terras in Pictavia cum altero viro suo Hugone de Leziniaco infestaret, Honorius graviter eam arguit, et hortatur ut, a molestatione regis cessans, Dei offensam et hominum declinare properet infamiam.

Honorius episcopus..., carissimæ in Chris-

to filiæ nobili mulieri I[sabellæ], quondam reginæ Angliæ, salutem, etc.

Mirari cogimur et moveri, quod, sicut audivimus, maternæ pietatis oblita, carissimum in Christo filium Henricum, regem Anglorum illustrem, natum tuum, indebite persequens, nuper B. senescallum suum capi fecisti, et tamdiu detineri captivum, donec ab eo non modicam pecuniæ quantitatem redemptionis nomine extorsisti, ejus adhuc nihilominus obsides detinendo, ut ab eo majorem possis pecuniam extorquere. Præterea, fideles regis ejusdem tibi jurare faciens, eum castro de Compniaco spoliasti, alias multipliciter ipsi et fidelibus suis damna grandia inferendo (1). Cum igitur causam regis ipsius propriam reputemus, utpote qui orphanus, pupillus, crucesignatus et speciali Sedis Apostolicæ custodiæ derelictus existit, nobilitatem tuam monemus attentius et hortamur, quatenus, prædicti senescalli obsides liberari, et ablata ei restitui faciens, ac castrum restituens memoratum, ab ejusdem regis et suorum fidelium molestatione penitus conquiescas, ita quod inde divinam offensam et infamiam declines humanam, et nos nobilitatem tuam possimus merito commendare. Alioquin, nolentes eidem in suo jure deesse, qui sumus omnibus in justitia debitores, venerabilibus fratribus nostris Xantonensi (2) et Lemovicensi (3) episcopis, et dilecto filio decano Burdegalensi, nostris damus litteris in mandatis, ut te ac fautores et complices tuos ad id, monitione præmissa, per excommunicationem in personas et interdictum in terras, appellatione remota, compellant. Datum apud Urbem Veterem, VII kal. octobris, pontificatus nostri anno quinto.

LXVII

Ad Hugonem de Leziniaco, comitem marchiæ Pictavensis.

25 septemb. 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 709; Regest. lib. V, epist. 145.]

Ejusdem argumenti, cujus superior, epistola.

Honorius episcopus ..., dilecto filio nobili viro Hugoni de Leziniaco, comiti Marchiæ, Pictavensis diœcesis, salutem, etc.

Carissimus in Christo filius noster H. (4) rex Anglorum illustris gravem ad nos querimoniam destinavit, quod, cum olim jurasses Joannam sororem suam, quantocius esset nubilis, ducere in uxorem, ac interim eam et civitatem Xantonensem et insulam Oleronis cum aliis terris et redditibus quos claræ memoriæ J. (5) rex Angliæ, pater ejus, cum ea tibi tradidit, fideliter custodire, nec unquam aliquid facere per quod posset hujusmodi matrimonium disturbari, nunc, contra tuum et claræ memoriæ Henrici patris, et R. patrui tui, Marchiæ et Augi comitum (6), veniens juramentum, I. (7) matrem ejusdem puellæ, quondam reginam Angliæ, quæ sponsalibus tuis et illius consenserat, inconsulto rege prædicto, tibi, sicut fieri potuit, matrimonialiter copulasti; et adhuc præfatam J. (8) detinens, quam idem rex intendit alii desponsare, ipsam sibi cum civitate et terris supradictis reddere contradicis, pluries requisitus (9). Quinetiam, tu et memorata quondam regina quædam castra ipsius per violentiam occupastis, ac, plura etiam occupare nitentes, comminamini eum tota Pictavia spoliare, ac puellam ipsam desponsare alii præter regiam voluntatem. Præterea de terris et redditibus antedictis multa alienare ac distrahere præsumpsistis, in ipsius regis non modicam læsionem.

Cum igitur idem rex sub speciali Apostolicæ Sedis protectione consistat, utpote crucesignatus, pupillus, orphanus et custodiæ Sedis Apostolicæ derelictus, nequentes ejus injuriam, quam propriam reputamus, æquanimiter tolerare, nobilitatem tuam monemus et hortamur attente, per Apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus sororem suam cum prædictis civitate et insula, et terris et castris, necnon et fructibus inde perceptis, infra quindecim dies post receptionem præsentium, regi, vel cui ipse mandaverit, sine dilatione restituens, ipsum vel homines suos de cætero non offendas, nec permittas a subditis vel

(1) Non ante annum 1226 hujusmodi dissidiis finem imposuit rex Henricus, ratis demum factis Isabellæ matris suæ de dotalitio juribus. (Bouquet.)
(2) Guillelmo vel Heliæ *de Fumel*.
(3) Bernardo de Favena.
(4) Henricus III. (5) Joannes.
(6) Erratum est hoc loco ab amanuensibus, contextum non intelligentibus; itaque restituendus videtur locus hoc modo : «Nunc contra tuum et » claræ memoriæ Joannis, Henrici patris, et *patris* » *tui* et *Radulfi* patrui tui, Marchiæ et Augi comi» tum, veniens juramentum, etc. »
(7) Isabellam. (8) Joannam.
(9) Rex Henricus, eodem anno 1220, die 16

complicibus tuis aliquatenus molestari; quin potius, si qua de prædictis alienasti, vel distraxisti, revocans per... [*forte* personaliter] in homagium, et aliis servitiis sibi debitis eidem regi studeas complacere. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Xantonensi et Lemovicensi episcopis, et dilecto filio decano Burdegalensi, nostris damus litteris in præceptis, ut iidem extunc te ac tuos complices et fautores ad restitutionem sororis ejusdem et terrarum ac castrorum ipsorum, et ad desistendum a vexatione regis et suorum fidelium, monitione præmissa, per excommunicationem in personas et interdictum in terras, appellatione remota, compellant. Datum apud Urbem Veterem, VII kal. octobris, anno quinto.

LXVIII

Ad abbatem et conventum Maurimonasterii.

25 septemb. 1220.

[Wurdtwein, Nova subsidia, XIII, 247.]

Confirmat donationem conventui factam ab Argentinensi episcopo de parochia in villa de Obernechirhen.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, abbati et conventui Maurimonasterii, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, parochiam in villa de Obernechirhen, in qua jus patronatus vestrum monasterium obtinebat, a venerabili fratre nostro Argentinensi episcopo, capituli sui accedente consensu, pia vobis liberalitate concessam, sicut in ejus authentico exinde confecto dicitur plenius contineri, sicut eam juste ac pacifice possidetis vobis, et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Urbem Veterem, VII kalendas octobris, pontificatus nostri anno quinto.

LXIX

Ad Conradum episcopum Ratisponensem.

26 sept. 1220.

[Ried, Cod. diplom. Ratisbon. I, 326, n. 342.]

Statutum circa absolutionem et juramentum incendiariorum.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Ratisponensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum propter guerrarum discrimina, in diœcesi tua incendiarii tot existunt, quod vix in ea sacerdos aliquis inter ipsos secure possit divina officia celebrare, ipsorum consulentes saluti juxta formam Ecclesiæ ipsos faceremus absolvi, ita quod absolvendus prius præstet corporaliter juramentum, quod infra annum, postquam fuerit absolutus, Apostolico se conspectui præsentabit, super hoc mandatum Apostolicæ Sedis humiliter recepturus. Nos ergo de discretione tua gerentes fiduciam pleniorem, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de nostra permissione, talibus tuæ diœcesis, juxta modum prædictum, beneficium absolutionis impendas, illos in pristinam sententiam reducturus, qui præsumpserint transgredi hujusmodi juramentum. Datum apud Urbem Veterem, VI kal. octobris, pontificatus nostri anno quinto.

LXX

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates, priores et alios ecclesiarum prælatos.

1 oct. 1220

[Strehlke, Tabulæ ord. Theuton., p. 275.]

Honorius sancit, ne ab aliquo in fratres ordinis Theutonici sententia excommunicationis vel interdicti promulgetur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, præpositis, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem, etc.

Cum dilecti filii fratres hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani nullum habeant episcopum vel prælatum præter

septembris, vitricum suum Hugonem de Leziniaco litteris amicabiliter convenerat de reddenda sibi sorore sua Joanna.

Romanum pontificem et speciali prærogativa gaudeant libertatis; non decet vos in eos vel clericos aut ecclesias eorum, in quibus potestatem ecclesiasticam non habetis, absque mandato nostro excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare; sed, si quando vos vel subditos vestros iidem fratres injuste gravaverint, per vos aut nuntios vestros id Romano pontifici significare debetis ac per ipsum de memoratis fratribus justitiam obtinere. Inde est, quod universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus in prædictos fratres sive clericos aut ecclesias eorum, in quibus auctoritatem nequaquam habetis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare nullatenus præsumatis, nec eos alias indebita vexatione gravetis, sed erga ipsos vos taliter habeatis, quod non habeant adversum vos materiam querelandi, scituri, quod, si mandatum nostrum neglexeritis in hac parte, dimittere non poterimus, quin eisdem fratribus in sua justitia, si apud nos querelam iterum deposuerint, efficaciter providere curemus. Datum apud Urbem Veterem, kalendas octobris, pontificatus nostri anno III, *lege* V.

LXXI

Ad episcopum, decanum ac capitulum Xanctonensis diœcesis.

2 octobr. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 238. Mss. La Porte du Theil.]

Ipsos ab impetitione Benedicti clerici qui in ipsorum ecclesia canonicari prætendebat immunes et absolutos declarat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo, dilectis filiis decano et capitulo Xanctonen.

Cum causam, quæ inter vos ex parte una, et Benedictum clericum ex altera, vertitur, super eo quod idem in ecclesia vestra canonicari petebat a dilectis filiis... officiali, et magistro... Bonoamico canonico Bituricen., tertio eorum collega excusato legitime, quos super hoc executores concesseramus eidem, ad nos remissam, dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali commiserimus audiendam, auditis et intellectis ex relatione cardinalis ejusdem tam his, quæ idem B. proposuit, quam eis, quæ magister G. procurator vester respondit, vos ab impetitione ipsius duximus absolvendos, processum.... abbatis Sancti Emiliani et collegarum ipsius decernentes irritum et inanem. Datum Viterbii, VI nonas octobris, pontificatus nostri anno quinto.

LXXII

Ad capitulum Gneznense.

3 octob. 1220.

[Theiner, Monum. Poloniæ, I, 11, n. 23.]

Electio Vincentii majoris præpositi Gneznensis in episcopum ejusdem ecclesiæ confirmatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo Gneznensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex litteris venerabilis fratris nostri.... episcopi et dilecti filii... abbatis Sanctæ Mariæ Wratislaviensium, nobis innotuit, quod cum iidem episcopus et abbas vobis, prout in mandatis a nobis acceperant, injunxissent, ut infra quadraginta dies post commonitionem ipsorum provideretis vobis de persona idonea canonice in pastorem; alioquin ipsi ex tunc personam vobis auctoritate nostra præficerent hujusmodi honori et oneri congruentem; vos invocata Spiritus Sancti gratia, in dilectum filium Vincentinum ecclesiæ vestræ majorem præpositum, virum industrium, generis et morum nobilitate præclarum, ac litteratura sufficienter ornatum, omnes unanimiter convenistis, una cum præfatis episcopo et abbate, necnon venerabilibus fratribus nostris... Cracoviensi et... Poznaniensi episcopis, qui ei testimonium perhibent de prædictis, nobis humiliter supplicantes, ut eumdem, qui est in minoribus ordinibus constitutus, vobis in archiepiscopum et pastorem concedere dignaremur. Nos igitur decreto vestris suscriptionibus roborato, ac prædictorum episcoporum et abbatis litteris, in quibus commendant multipliciter præpositum memoratum, diligenter inspectis, et etiam super modo postulationis, natalibus, ætate ac litteratura ipsius præpositi, et aliis, quæ in dignitate hujusmodi exiguntur, recepto juramento dilectorum filiorum magistri Egidii Zavichoztensis et P. Poznaniensis archidiaconorum et Sandivori canonici Sancti Georgii Gneznensis, qui pro dicta postulatione ad nostram præsentiam accesserunt, postulationem ipsam de gratia duximus admittendam. Ideoque discretioni

vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi electo tanquam pastori vestro intendatis, et obediatis humiliter et devote. Datum Viterbii, III nonas decembris, pontificatus nostri anno quinto.

LXXIII

Ad Bartholomæum, decanum Carnotensis ecclesiæ.

10 octob. 1220.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 710; Regest., lib. V, epist. 149.]

Cum Blancha, Campaniæ comitissa, intercessisset, quominus statim absolverentur ab excommunicationis vinculo Erardus de Brenna et ejus uxor, instantius vero iidem peterent absolutionis beneficium, Honorius ita dissidentes conciliavit, ut Erardus, postquam satisfecisset, quantum posset, de damnis comitissæ illatis, et de cætero cautionem dedisset juratoriam, liberaretur cum suis ab excommunicatione.

Honorius episcopus.... dilectis filiis B., decano Carnotensi, et magistro Girardo de Pictavia canonico, et Radulfo presbytero fratri militiæ Templi Parisiensis, salutem, etc.

Nobili viro Erardo de Brenna et Philippa, uxore ipsius olim nobis per procuratorem suum humiliter supplicantibus, ut, cum, occasione controversiæ quæ inter ipsos, ex una parte, et nobilem mulierem B. (1), comitissam Campaniæ, et T. (2) natum ejus, ex altera, vertitur, tam ipsi quam adjutores eorum multiplici essent excommunicatione ligati, et terra eorum supposita interdicto, treugis tunc initis inter partes, faceremus sententias ipsas juxta formam Ecclesiæ relaxari; procuratore vero comitissæ prædictæ, relaxari hujusmodi sententias, juxta formam in treugis expressam et in litteris alterius partis contentam, cum instantia postulante, ita videlicet, si videremus, quod eidem comitissæ ac filio ejus et terræ suæ nihil inde deberet damni vel gravaminis evenire; nos attendentes, quod redeuntibus ad ecclesiam non est claudendum gremium pietatis, dilectis filiis Cisterciensi et Clarevallensi et Quinciacensi Cisterciensis ordinis abbatibus, Lingonensis et Cabilonensis diœcesium, dedimus in mandatis, ut juxta formam Ecclesiæ relaxarent sententias supradictas, qui post multas disceptationes a partibus habitas coram eis interlocuti fuerunt, quod, si jamdicti Erardus et Philippa de parendo mandatis ecclesiæ super contumacia præstarent juratoriam cautionem, ac satisfacerent secundum possibilitatem suam de damnis ipsi comitissæ et filio ejus illatis, tunc demum impenderent beneficium absolutionis eisdem (3).

Nuper autem, cum procuratores partium in nostra præsentia constituti diu coram dilecto filio nostro Egidio, Sanctorum Cosmæ et Damiani diacono cardinale, eis auditore concesso, super præfata interlocutoria litigassent, nos actis coram eo, et etiam actis coram præfatis abbatibus, quæ signata sigillis eorum una cum ipsorum relatione fuerint eidem exhibita cardinali, et quæ sub bulla nostra vobis destinamus inclusa, diligentius intellectis, sic duximus providendum, ut videlicet præfatus Erardus et uxor ejus præstent juratoriam cautionem de stando juri super excommunicationis sententia lata ob contumaciam in eosdem; super ea vero, quæ lata fuit pro turbatione terræ ac damnis contra ecclesiæ prohibitionem illatis, Erardus juret stare mandatis ecclesiæ, et bona quæ in præsentiarum habet, obliget universa, excepto jure quod in comitatu asserit se habere, ac det mille marcarum fidejussoriam cautionem. Ad hæc pecunia ipsi Erardo et Philippæ a comitissa et filio ejus extunc treugarum occasione solvenda, specialiter obligetur, et per vos ponatur apud monasterium Clarævallis Cisterciensis ordinis in sequestro, ita quod, si jamdictus Erardus seu ejus uxor aliquid ex ea voluerit pro sua necessitate recipere, illud per manus vestras recipiat, sæpedictæ comitissæ ac filio ejus dando fidejussores sufficientes et idoneos pro quantitate recepta. His autem cautionibus præstitis, ipse Erardus et uxor ejus ab excommunicationis vinculo absolvantur, et relaxetur lata in terram eorum sententia interdicti, ac sub debito juramenti statim præcipiatur eisdem ut, causa principali durante, quamdiu comitissa et filius ejus parati fuerint stare juri, guerram per se et per alios non moveant contra eos, et consequenter Erardus, secundum possibilitatem suam, debita taxatione præhabita, satisfactionem de damnis manifestis contra prohibitionem

(1) Blancham.
(2) Theobald.

(3) Videndæ Honorii litteræ supra, tom. III, epist. VIII, col. 286.

ecclesiæ irrogatis impendat, et de dubiis exhibeat justitiæ complementum. Alioquin in excommunicationis sententiam reducatur, et terra ejus supponatur interdicto ecclesiastico sicut prius, ac in pristino vigore remaneant litteræ hactenus impetratæ.

Porro adjutores ipsorum, qui propter hoc sunt excommunicatione ligati, præstent de stando mandatis Ecclesiæ juramentum, ac deinde absolvantur, et relaxetur interdictum in eorum terras hac de causa prolatum, ac statim injungatur eisdem sub debito juramenti ut, principali causa durante, quamdiu comitissa et filius ejus juri parere voluerint, contra eamdem comitissam et filium ejus Erardum vel Philippam non juvent, et si contra hoc fecerint, ipsi et terra ipsorum in sententias pristinas reducantur, et salva sit comitissæ ac filio ejus quæstio contra eos de damnis ab eisdem jam datis, litteris impetratis hactenus in robore pristino permansuris. Ex his autem nullum omnino præjudicium fiat alterutri partium circa jus aliquod quod eis ratione fori competat sæcularis.

Ideoque per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus, secundum formam provisionis hujusmodi, sublato appellationis obstaculo, procedatis. Quod si forte prædicti Erardus et Philippa, seu adjutores eorum, noluerint secundum formam præscriptam absolvi, sententiæ supradictæ usque ad satisfactionem debitam observentur, quantum ad illos qui noluerint absolutionem recipere dicto modo; his qui pro illarum observatione litteras Apostolicas receperunt, juxta formam sibi traditam processuris. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, cessante appellatione, cogatis veritati testimonium perhibere, nullis litteris obstantibus impetratis hactenus, vel de cætero harum tenore tacito impetrandis. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Viterbii, VI idus octobris, pontificatus nostri anno quinto.

LXXIV

Ad Agnetem viduam, Hervei comitis Nivernensis natam.

21 octob. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 151. Mss. La Porte du Theil.]

Recipit eam sub protectione beati Petri.

Honorius, etc., dilectæ filiæ nobili mulieri Agneti viduæ, natæ nobilis viri Hervei, comitis Nivernen.

Pia postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecta in Christo filia, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteris adipisci, sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo nostræ protectionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, duodecimo kalendas novembris, pontificatus nostri anno quinto.

LXXV

Ad Robertum, Claromontensem episcopum, etc.

26 octob. 1220.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 711; Regest., lib. V, 152.]

Cum Herveus, comes Nivernensis, nomine filiæ suæ Agnetis, querimoniam tulisset adversus Autissiodorensem episcopum et comitem Namurcensem, Honorius causam eam delegatis judicibus committit audiendam.

Honorius episcopus..., venerabili fratri episcopo (1), et dilectis filiis archidiacono et Hugoni canonico Claromontensibus, salutem, etc.

Ex parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Agnetis viduæ (2), natæ nobilis viri comitis Nivernensis, nobis est oblata querela, quod venerabilis frater noster Autissiodorensis episcopus (3), super assignatione feodi Mallei et Betreii injuriatur eidem (4). Præterea nobilis vir comes Namurcensis Leodiensis diœcesis, Mallei, Betreii et

(1) Roberto de Arvernia.

(2) Improprie vocatur Agnes vidua, quæ sponsa tantum fuerat Philippo, regis nepoti. Nupsit autem postea Guidoni de Castellione, Galcheri filio. (Bouquet).

(3) Guillelmus de Signiliaco.

(4) Post longa de Malliaco et Bitriaco castris cum Autissiodorensi episcopo dissidia, Petrus de Curtiniaco, comes Autissiodorensis, ejus tandem hominio se subjecerat anno 1210. Vide tomo nostro XVIII, pag. 736, et in notis. (Bouquet.)

Collegiarum castra, quæ ad ipsam pertinere de jure noscuntur, contra justitiam detinet occupata (1), alias injuriosus existens eidem plurimum et molestus. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quod statueritis auctoritate nostra firmiter observari; testes autem [audiendo], non obstante constitutione Concilii generalis, qua cavetur, ne quis ultra duas diætas extra suam diœcesim ad judicium trahi possit. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, VII kal. novembris, pontificatus nostri anno quinto.

LXXVI

Ad magistrum et fratres domus S. Mariæ Theutonicorum Hierosolymitanæ.

27 oct. 1220.

[Strelhke, Tabulæ ord. Theut. p. 44.]

Honorius papa III confirmat magistro et fratribus domus S. Mariæ Theutonicorum Hierosolymitanæ ab Ottone, comite de Henneberg, Beatrice uxore, Ottone filio eorum venditum castellum regis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymis, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum igitur castellum regis cum omnibus pertinentiis suis, excepto casali, quod vocatur Ihazon, a nobili viro comite de Hennenberch et nobili muliere Beatrice, uxore sua, et Ottone filio eorum, e meritis carissimo in Christo filio nostro Johanne, illustri rege Hierosolymitano, præsente ac præstante consensum, sicut in ejus patentibus litteris plumbea bulla munitis perspeximus contineri, nos precibus vestris benignum impertientes assensum, castellum ipsum cum omnibus pertinentiis ejus, excepto casali prædicto, sicut ea juste ac pacifice possidetis et in præfati regis litteris plenius continetur, vobis et per vos domui vestræ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VI kal. novembris, pontificatus nostri anno quinto.

LXXVII

Ad archidiaconum Hellinum et magistros Gualterum de Chambli et Cotofridum.

30 oct. anno 1220.

[Coliette, Mém. pour l'hist. du Vermandois, 669.]

Sententiam officialis Remensis in favorem capituli San Quintiniensis confirmat.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis archidiacono Hellino, et magistris Gualtero de Chambli, et Cotofrido, canonicis Sancti Petri Laudunensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Postularunt a nobis dilecti filii capitulum Sancti Quintini ut definitivam sententiam quam pro eis officiales Remenses contra venerabilem fratrem nostrum, episcopum Noviomensem, super quibusdam ecclesiis et eorum fructibus, non ex delegatione Apostolica, cognitis causæ meritis, promulgarunt, Apostolico dignaremur munimine roborare. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam ipsam, sicut est justa, faciatis per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Quod si non omnes iis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, tertio kalendas novembris, anno quinto.

LXXVIII

Ad decanum, cantorem et scholasticum Ildesemenses.

30 oct. 1220.

[Falke, Cod. traditionum Corbeien., 779]

Mandat ut compellant comitem de Aldenhusen ad restituendum possessiones et damna reparandum, quæ intulit capitulo Scenignensi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano, cantori et scholastico Ildesemen., salutem et apostolicam benedictionem.

(1) Quo jure Philippus de Curtiniaco, comes Namurcensis, castrum Malliacum et Bitriacum sibi vindicaret, nomine matris suæ, quæ Petro de Curtiniaco nupserat, vide ibidem, in notis, p. 737 (Bouquet.)

Sua nobis Scenignense capitulum querela monstrarunt quod, nobilis vir comes de Aldenhusen Albertadensis diœcesis eorum quibusdam ecclesiam possessionibus contra justitiam spoliavit, super hoc et aliis damna eis gravia inferendo. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus comitem ipsum ut eidem ecclesiæ possessiones prædictas restituat et de damnis satisfaciat, omni seria admonitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, mediante justitia compellaris. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eamdem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, III kalend. novemb., pontificatus nostri anno quinto.

LXXIX

Ad Johannem regem Svetiæ.

3 nov. 1220.

[Liljegren, Svenskt diplom., I, 209, n. 186.]

Monet pontifex ne rex et principes ejus res ecclesiasticas contrectent, ne apprehendant bona cathedralium, si continget ut vacent, ne sinant contra canonicas sanctiones quem velint intrudere in ecclesiam viduatam.

Honorius papa tertius illustri regi Svetiæ.

Ut potentibus hujus sæculi Dominus in ecclesiis et rebus ecclesiasticis, quæ sibi speciali titulo sunt adscriptæ, omnem omnino interdiceret potestatem, Ozam pro eo quod arcæ fœderis, sanctam Ecclesiam præsignanti, manum apposuit, ut inclinatam sustentaret eumdem graviter mox percussit; ostendens quantam velit Ecclesiæ reverentiam exhiberi, dum eum qui arcam, quæ figura erat Ecclesiæ, non ut deprimeret, sed attolleret, tetigit ex eo solummodo, quod ad hujusmodi ministerium non erat addictus, acriter sic punivit. Nunc tacti sumus dolore cordis intrinsecus, quod sicut ad audientiam nostram pervenit, tu et principes et magnates tui hæc minime attendentes, ecclesias et res ecclesiasticas nimis irreverenter, invito Domino, contrectatis, dum inter alia quibus gravatis easdem, quoties ecclesiam cathedralem vacare contingit, vos, bonis vacantis ecclesiæ nimis reprehensibiliter apprehensis, capitulum ad quod electio pertinet successoris, ad electionem procedere non sinentes, contra canonicas sanctiones quem vultis intruditis in ecclesiam viduatam, dando intruso annulum et baculum pastoralem. Quidam etiam sæculares judices sacros canones contemnentes in contrahendis et dirimendis matrimoniis, et in aliis quam pluribus, jus episcopale sibi damnabiliter usurpantes, ecclesias presbyteris dant et auferunt quando volunt, nec attendentes quod servus suo domino stat et cadit, clericos sua judicia subire compellunt. Nos igitur tam depressionem ecclesiasticæ libertatis, quam animarum pericula ex his evenientia manifeste debito favore zelantes, Celsitudinem regiam rogamus, monemus, et hortamur attente, quatenus prudenter attendens, quod honor regis est, ut justitiam diligat, quæ se diligit et dirigit diligentes, non solum ipse ab hujusmodi abusibus prorsus abstineas, verum etiam quoslibet tibi subditos, tradita sibi cœlitus potestate abstinere, compellas te ac alios ab occupandis bonis ecclesiasticis cohibendo, et permittendo electiones vacantibus ecclesiis libere celebrari, et alias personas ecclesiasticas servando in omnimoda libertate, ita quod offensam redimas præcedentem, et in gratiam te adducas potiorem, ac nos mansuetudinem regiam possimus merito commendare. Datum Laterani, III nonas novembris, anno quinto.

LXXX

Ad Benedictum episcopum Scarensem.

3 novemb. 1220.

[Liljegren, Svenskt dipl., I, 210, n. 187.]

Mandat ut clericos homicidas, qui, abjecto habitu clericali, palam de facto duxerint uxores, in aliquibus monasteriis ad agendam pœnitentiam compellat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Scarensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus quod quidam clerici tuæ diœcesis in sacris ordinibus constituti, qui aliquando sive sponte, sive casu homicidii crimen incurrant, mox, abjecto habitu clericali, palam de facto ducunt uxores, et in apostasia damnabiliter gloriantes, jactant se magis quam antea florere temporalium ubertate, non attendendo, quod nihil est infelicius felicitate peccantium. Ne igitur tales de sua valeant malitia gloriari, cum licet ordinis executio amittatur, caracter

tamen remaneat, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi homicidas ad agendum pœnitentiam in aliquibus monasteriis, servato habitu clericali, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Datum Laterani, III nonas novembris, pontificatus nostri anno quinto.

LXXXI

Ad Benedictum episcopum Scarensem.

3 nov. 1220.

[Liljegren, l. c., p. 211, n. 189.]

Prohibet ne viri, si uxores adulterium commiserint, eisdem viventibus, alias superducant.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Scarensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus, quod nonnulli tuæ diœcesis, quibus est pro ratione voluntas, propriis affectibus circumventi, si quando eorum uxores adulterium, diabolo suggerente, committunt, usque adeo se credunt a vinculo matrimonii absolutos, quod eisdem viventibus alias quasi licite superducunt. Quia vero error cui non resistitur videtur quodammodo approbari, ne aliorum culpam tuam efficere videaris, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus abusum hujusmodi de diœcesi tua studeas penitus abolere, abusores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Laterani, III nonas novembris, pontificatus nostri anno quinto.

LXXXII

Ad Benedictum episcopum Scarensem.

3 nov. 1220.

[Liljegren, l. c. p. 211, n. 189.]

Confirmat ei decimas ad quas parochiani se voto obligarunt.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, episcopo Scarensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium, etc, *usque* complere. Ea propter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis justis precibus grato concurrentes assensu, decimas in quibus parochiani tui secundum canonicas sanctiones tibi tenentur, et aliam decimam quæ dicitur Capitolis, ad quam solvendam se voto voluntarie obligarunt, sicut eas juste ac pacifice obtines, tibi et per te successoribus tuis auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, III nonas novembris, pontificatus nostri anno quinto.

LXXXIII

Ad universos ecclesiarum prælatos per Scarensem diœcesim constitutos.

3 nov. 1220.

[Liljegren, Svenskt diplomat. 211, n. 190.]

Illos monet ut episcopo Scarensi procurationes et alia ei debita exsolvant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis ecclesiarum prælatis per Scarensem diœcesim constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ut ex debito nobis merito videremini comparare procurationes et alia, in quibus venerabili fratri nostro episcopo Scarensi tenemini usque adeo libenter deberetis exsolvere, ut ex ipso affectu, vos aliquid effectui adjicere probareris cum affectus hominum maxime mereri soleant, et etiam demereri. Unde non sine causa miramur, quod sicut idem episcopus exposuit coram nobis vos eidem in procurationibus exhibendi nimis difficiles exhibetis, quin etiam quidam vestrum eas sibi reddere contradicunt. Ne igitur rem et meritum amittatis si debitum exsolvatis inviti, universitatem vestram monemus attente per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus procurationes et alia sibi debita sine difficultate qualibet exsolvatis. Alioquin sententiam, quam idem propter hoc rationabiliter tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Datum Laterani III nonas novembris, pontificatus nostri anno quinto.

LXXXIV

Ad Alfonsum regem Legionensem.

4 nov. 1220.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, 208.]

Hortatur ut nuntios sumat inter Christianos.

Illustri regi Legionis,

Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod multa dispendia eveniunt Christianis ex eo quod, cum contingit te ad nobilem virum Miramamolinum, seu ad subditos ejus, tuos nuntios destinare, nunquam, aut

raro transmittis alios, quam Judæos, qui eis consilia, et statum Christianorum exponunt, ac secreta revelant; ideoque circumspectionem tuam sollicitandam duximus, et monendam, quatenus cum incumbet tibi hujusmodi nuntios destinare, potius destinet christianos, cum tibi non sit de infidelium fidelitate sperandum : nec verisimile sit, quod qui negaverunt impie ipsum Christum, fideles esse debeant Christianis. Datum Laterani, II nonas novemb., pontificatus nostri anno quinto.

LXXXV

Ad Benedictum episcopum Scarensem.

4 nov. **1221**.

[Liljegren, Svensk diplomatarium, I, **212**, **191**.]

Illi confirmat libertates, possessiones et immunitates quas Scarensi ecclesiæ contulerat Johannes rex Swetiæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Scarensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus gratum impertientes assensum, libertates possessionum et immunitates, ac alia quæ carissimus in Christo filius noster J., illustris rex Swetiæ, ecclesiæ tuæ liberali contulit pietate, prout in ipsius litteris plenius continetur, sicut ea omnia juste ac pacifice obtines, tibi et per te successoribus tuis auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem rei evidentiam tenorem litterarum ipsarum præsentibus duximus inserendum qui talis est: « In nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis, Johannes Dei gratia rex Swetiorum. Omnibus Christi fidelibus præsens scriptum intuentibus vel audientibus in perpetuum. Ex delicto primi parentis cunctis infligitur quod humana memoria labilis sit et caduca, nisi res gestæ vivaci litterarum testimonio roborentur. Noverit siquidem tam præsentium ætas quam futurorum posteritas, quod in die inthronizationis nostræ domino Benedicto Scarensi episcopo et cæteris episcopis regni nostri contulimus possessiones ecclesiasticas cum attinentiis earum a regia exactione liberas et immunes. Et si quæ causæ in fundis aut prædiis presbyterorum vel colonorum eorum emerserint totaliter ipsi episcopo attineant in satisfaciendo. Si quis igitur hoc datum tam rationabiliter institutum cassare attentaverit, regia ultione se noverit complectendum.

Datum anno gratiæ anno ab Incarnatione Domini MCCXIX, anno regni nostri tertio.»

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, II nonas novembris, pontificatus nostri anno quinto.

LXXXVI

Ad Benedictum Scarensem episcopum.

4 nov. **1220**.

[Liljegren, Svenskt dipl., I, **212**, n. **192**.]

Honorius III concedit facultatem absolvendi illos qui propter difficultatem laboris et viarum discrimina absolutionem postulare negligunt.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Scarensi, salutem et nostram apostolicam benedictionem.

Cum sicut in nostra proposuisti præsentia constitutus, nonnulli tuæ diœcesis in canonem latæ sententiæ incidentes, propter quod essent ad Sedem Apostolicam destinandi secundum canonicas sanctiones, dum considerant difficultatem laboris, et viarum discrimina, negligunt absolutionis beneficium postulare, nos, et illorum saluti consulere, ac tuæ fraternitati deferre volentes, absolvendi eos juxta formam Ecclesiæ liberam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem, nisi forte ita esset talium enormis excessus, quod merito deberent ad Sedem Apostolicam destinari, utpote si procederent ad mutilationem membrorum, seu gravem sanguinis effusionem, vel ad injectionem manuum in episcopum, vel abbatem, quod non esset in patientia tolerandum. Datum Lateranii, II nonas novembris, pontificatus nostri anno quinto.

LXXXVII

Ad Benedictum episcopum Scarensem.

4 nov. 1220.

[Liljegren, l. c., p. 212, n. 192.]

Largitur ei Honorius facultatem concedendi quasdam indulgentias.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Scarensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Tua nobis devotio supplicavit, ut cum quædam ecclesia in tua diœcesi ad honorem Dei, et bonæ memoriæ Nicolai presbyteri, qui, dum quemdam visitaturus infirmum, corpus Christi portaret, ab impiis immaniter interfectus, insignibus coruscat miraculis, ceperit fabricari visitantibus eam, aliquam suorum peccaminum indulgentiam concedere dignaremur. Quia vero nondum super his nobis potuit plene liquere, nos de discretione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ indulgentiam hujusmodi eam visitantibus rite ac provide concedendi, liberam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem.

Datum Laterani, II nonas novembris, pontificatus nostri anno quinto.

LXXXVIII

Ad Legionensem et Zamorensem episcopos, et abbatem de Morerola Cisterciensis ordinis Zamorensis diœcesis.

4 nov. 1220.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, 208.]

De eadem missione nuntiorum ac in LXXXIV epistola.

Ad audientiam nostram noveritis pervenisse, quod carissimus nobis in Christo filius A., Legionensis rex illustris, cum contingit ad nobilem virum Miramamolinum, seu ad subditos ejus nuntios destinare, nunquam, aut raro transmittit alios, quam Judæos, qui eis consilia, et statum Christianorum exponunt, ac secreta revelant, ex quo multa dispendia ipsis contingunt. Nos autem volentes, quantum in nobis est, huic malo obviare, ad eumdem regem scribimus, rogantes, et monentes, quatenus cum opus habuerit ejusmodi nuntios destinare, potius destinet Christianos : nec sibi putet de infidelibus fidendum, aut eos qui infideles fuerunt in ipsum Christum, fideles posse existere Christianis. Ut ergo hæc, quæ expedire ipsis atque universo nomini Christiano, non dubitamus, desideratum effectum sortiantur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum regem cum nostris litteris personaliter adeuntes ad id monere attentius, et efficaciter inducere studeatis. Datum Laterani II nonas novemb., pontificatus nostri anno quinto.

LXXXIX

Ad Nicolaum episcopum Tusculanum, Apostolicæ Sedis legatum, et Alatrinum subdiaconum.

4 nov. 1220.

[Raynaldi, Ann. Eccles., ad ann. 1220, § 19]

Mittit Honorius ad Nicolaum, legatum, capitularia, sub nomine regio in leges publicas redigenda et in die coronationis in Basilica principis apostolorum solemniter publicanda.

De communi fratrum nostrorum consilio præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus efficaciter studeatis, ut capitularia, quæ vobis mittimus præsentibus interclusa, sub competentibus verbis, servata sententia, sub nomine regio in leges publicas redigantur, nobisque mittantur regiæ bullæ roborata munimine, in die coronationis sub imperiali nomine in Basilica principis apostolorum solemniter publicanda. Ad hæc prudenter, et caute studeatis investigare, ac perspicere regium animum, et propositum, tam super vitanda regni, atque imperii unione, quam super subsidio Terræ Sanctæ expresse regiis auribus inculcantes; quod videtur contra promissa, et privilegia sua manifesta venisse, cum et filium suum coronatum in regem Siciliæ, in Romanorum regem eligi procurarit, et prælatos et magnates regni ad coronam vocarit imperii, et ab eis de nova fidelitatis exegerit et exigat juramenta, per quæ in Sedis Apostolicæ, necnon posteritatis suæ dispendium videtur præfata unio procurari; unde multi non immerito admirantur. Necessitatem vero Terræ Sanctæ exaggeretis, sicut res ipsa deposcit, insinuantes regiæ celsitudini, quomodo fiducia et spes illius negotii in eo post Deum quasi tota dependet, sicut per nuntios, et litteras legati, prælatorum et baronum exercitus Christiani evidenter apparet, et quomodo ipsum ita instanter ad coronam vocavimus specialiter hac de causa : et addatis, quod nisi in instanti passagio exercitui Christiano magnifice succurratur, est procul dubio formidandum, ne

prædictum negotium Terræ Sanctæ penitus dissolvatur. Quidquid autem super his poteritis intelligere, nobis curetis quam citius fideliter intimare. Datum Laterani, IV idus novembris, pontificatus nostri anno quinto.

XC

Ad Benedictum episcopum Scarensem.

4 nov. 1220.

[Liljegren, Svenskt dipl., I, 214, n. 195.]

Ut ecclesiam Scarensem canonicis regularibus secundum regulam beati Benedicti studeat ordinare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Scarensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Audito a te diligenter ecclesiæ tuæ statu, de providentia tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eamdem ecclesiam de canonicis regularibus, secundum regulam beati Augustini, si fieri poterit, studeas ordinare. Quod si nequiveris, instituas in eadem, prout secundum Deum expedire videris, canonicos sæculares, tales utique qui digne in ea Domino famulentur. Datum Laterani, II nonas novembris, pontificatus nostri anno quinto.

XCI

Ad G. Bertulli Magalonensem canonicum.

4 nov. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 241. Mss. La Porte du Theil.]

Absolvit eum ab excommunicatione quam incurrerat, ex eo quod studens in jure civili, regularis, regularem habitum non portaverat.

Honorius, etc., dilecto filio G. Bertulli Magalonensi canonico.

Illius, licet immeriti, vicem gerentes, qui parcendo et miserando suam omnipotentiam maxime manifestat, libenter in omnibus misericordiam amplexamur, scientes Evangelica veritate docente quod misericordes misericordiam consequantur. Supplicastis siquidem nobis, ut quum tam contra inhibitionem felicis recordationis Alexandri Papæ, prædecessoris nostri editam in concilio Turonen. quam contra excommunicationis sententiam a bonæ memoriæ... Albanensi electo Apostolicæ Sedis legato in omnes regulares studentes in jure civili, vel regularem habitum non portantes prolatam, ipsius juris scientiæ illectus amore leges audieris habitum non portando, te ab excommunicationis vinculo, quod propter hoc incurreres absolvere, ac irregularitatis notam quam exinde incurrisse te times abolere misericorditer dignaremur. Nos igitur tuis precibus inclinati te per dilectum filium Gervasium pœnitentiarium nostrum facientes absolvi, tibi de misericordia, quæ superexaltat judicio, concedimus postulata, ita quod propter hoc non impediaris, et retinere receptos et suscipere alios ordines et honores. Datum Laterani, secundo nonas novembris, pontificatus nostri anno quinto.

XCII

Ad thesaurarium Remensem.

7 nov. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 237. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit ei ut juxta tenorem Apostolici mandati, jam de hoc dati, Remigio, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali, officium quoddam in ipsius ecclesia provideat.

Honorius, etc., dilecto filio... thesaurario Remensi, salutem, etc.

Sæpe rogamus ut ea fiant per alios, quæ de plenitudine potestatis possumus facere per nos ipsos, quatenus rogati crescant per obedientiæ meritum, et hi pro quibus rogantur erga eos induant majoris devotionis affectum, quod si melius curasses attendere preces et mandatum, quod tibi porreximus pro dilecto filio Remigio serviente dilecti filii nostri R., Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono card., erubuisses surdis auribus præterire. Cum enim tibi dederimus in mandatis ut unum ex officiis Remensis ecclesiæ ad tuam donationem spectantibus quæ laicis conferuntur divinæ pietatis intuitu, et pro reverentia nostra conferres prædicto Remigio, si quod tunc forte vacabat, vel quam cito se facultas offerret, tu sicut eo referente didicimus, respondisti te minime id facturum, qui, etiam sine precibus apostolicis, id deberes ei liberaliter contulisse, pro ipsius reverentia cardinalis et obtentu bonæ memoriæ A. Remensis archiepiscopi, cui diutius fideliter noscitur deservisse. Nolentes igitur quod de præfato R. inchoavimus relinquere imperfectum, discretioni tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus unum de præfatis officiis eidem R. quam cito se facultas obtulerit conferas et assignes. Alioquin di-

lectis filiis magistro J. et F. archidiacono et Alardo Cathalaunensi, nostris damus litteris in mandatis, ut ipsi auctoritate nostra id, sublato appellationis obstaculo, exsequantur. Contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam compescendo. Decernentes irritum, et inane si quid interim super hoc contra mandatum nostrum fuerit attentatum. Datum Viterbii, septimo idus novembris, anno quinto.

Scriptum est sup. hoc eisdem, verbis competenter mutatis *usque* in finem. Quod si non omnes, etc.

XCIII

Ad abbatem et conventum Portenses.

9 nov. 1220.

[Mincken, Script. rer. Germ. I, 774.]

Confirmat monasterio Portensi bona in Borsendorf.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Portensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, mansum quem habetis in Borsendorf cum loco Molendini et parte montis in Borsendorf, cum pertinentiis suis et alia bona vestra quæ emptionis jure a Gonrado milite de Borsendorf monasterio vestro acquisiisse noscimini, sicut ea omnia juste et pacifice possidetis, et in authentico exinde confecto plenius continetur, vobis et per vos monasterio vestro, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, etc. Datum Laterani, V idus novemb., pontificat. nostri anno quinto.

XCIV

Ad abbates Sancti Germani et Sancti Petri, ac decanum Autissiodorensem.

10 nov. 1220.

[Regest., lib. V, ep. 168. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut magistrum Durandum, sublato tandem omni obstaculo, a decano et capitulo Austregisili Bituricensi juxta tenorem mandati Apostolici de hoc olim dati, in canonicum et fratrem recipi faciant.

Honorius, etc., dilectis filiis Sancti Germani et Sancti Petri abbatibus, et decano Autissiodoren.

Dilectus filius magister Durandus proposuit coram nobis, quod cum olim venerabili fratri nostro Aurelianensi episcopo, et collegis ipsius dederimus in mandatis, ut ipsum a...... decano et capitulo Sancti Austregisili Bituricensis quibus pro eo direximus pluries scripta nostra recipi facerent in canonicum et in fratrem, nisi aliquid canonicum contra eum proponerent, et probarent. Ipsis contra eum nihil aliud proponentibus, nisi quod in litteris de certo numero, quem juratum habere se dicunt et a Sede Apostolica confirmatum mentio non fiebat, iidem episcopus, et collegæ ipsius causam instructam ad nostram præsentiam remiserunt. Interim vero dictorum decani, et capituli nuntius nobis fallaciter suggerens, quod idem capitulum duos tempore nostro de Apostolico mandato recepe- rant, cum in veritate de mandato nostro non receperint, nisi unum, et eumdem, postquam nostras pro præfato magistro litteras receperunt ad... succentorem Autissiodorensem, et collegas ipsius, nostras reportavit litteras contra eum. Unde idem magister nobis humiliter supplicavit, ut quum hujusmodi litteræ de jure vires habere non debeant, utpote per circumventionis astutiam impetratæ, et sæpedicti decanus, et capitulum post mandatum nostrum pro magistro jam dicto receptum duos receperint in canonicos, ex quo apparet quod ad parendum nobis facultas eis non defuit, sed voluntas, quod de ipso misericorditer inchoavimus ad effectum perducere dignaremur. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, in negotio ipso hujusmodi litteris non obstantibus juxta formam eidem episcopo, et collegis ipsius traditam, sublato appellationis obstaculo, procedatis. Alioquin partes ad... succentoris Autissiodoren. et collegarum ipsius remittatis examen. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, quarto idus novembris, pontificatus nostri anno quinto.

XCV

Ad abbatem et conventum Portenses.

10 nov. 1220.

[Just. Bertuchius, Chron. Portense, ed. Schamelius, I, 218.]

Confirmat omnia bona quæ possidet monasterium Portense.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

dilectis filiis abbati et conventui de Porta Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur, quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, novem mansos et dimidium quos habetis in Villa Henseoslenen, cum area molendini, nec non undecim mansos et dimidium quos habetis apud grangiam vestram in Vere cum suis pertinentiis, quos ab abbate et conventu Herseldensi emptionis jure monasterio vestro acquisisse noscimini, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, et in authentico exinde confecto plenius continetur, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo... incursurum. Datum Laterani, IV idus nov., pontificatus nostri anno quinto.

XCVI

Ad Benedictnm episcopum Scarensem.

13 novemb. 1220.

[Liljegren, Svenskt dipl., I, 214, n. 195.]

Ei mandat ut quosdam qui propter imbecillitatem corporum in alia ecclesia faciliter admitti non potuerint, removeat et in aliis ecclesiis suæ diœcesis collocet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Scarensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Supplicasti nobis, ut cum quidam jam in ætate decrepita constituti, olim obsequium se Deo præstare credentes in ecclesia tua ingressum habuissent pecunia mediante, ipsis, qui propter imbecillitatem corporum in alia ecclesia de facili admitti non possent, pio compatientes affectu, eos in eadem ecclesia vivere misericorditer pateremur. Illius itaque vicem gerentes, qui parcendo ac miserando suam omnipotentiam manifestat, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eos de prædicta ecclesia removens, de misericordia, quæ superexaltat judicio, ipsos in aliis ecclesiis tuæ diœcesis studeas collocare. Quod si forte nequiveris, eos dispensative de novo recipias, mutatis prioribus locis, et inferioribus assignatis, injuncta nihilominus pœnitentia competenti pro quantitate peccati. Datum Laterani, idibus novembris, pontificatus nostri anno quinto.

XCVII

Ad Benedictum episcopum Scarensem.

13 nov. 1220.

[Liljegren, Svenskt dipl., I, 214, n. 196.]

Ne patiatur patrem, si mater in lecto noctu per incuriam infantem oppresserit, sine propria culpa puniri.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Scarensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut in nostra proposuisti præsentia constitutus, quædam consuetudo in tua diœcesi jure contraria inolevit, videlicet, quod si mater in lecto de nocte per incuriam infantem oppresserit, pater sine propria culpa punitur, cum si oppressionis tempore, ipse nec in eodem lecto, nec in domo, vel terra jacet eadem, nec alias in hoc delinquit, par utrique pœnitentia injungatur. Quia vero indignum est alterum pro alterius culpa puniri, nec debet extendi vindicta ultra quam inventum fuerit in excedente delictum, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus id de cætero nullatenus fieri patiaris, sed secundum culpas delinquentium, pœnitentias modereris. Datum Laterani, idibus novembris, anno quinto.

XCVIII

Ad Benedictum episcopum Scarensem.

13 nov. 1220.

[Liljegren, Svenkt dipl., I, 214, n. 197.]

Ut super vicesima ecclesiasticorum proventuum suæ diœcesis, in Terræ Sanctæ subsidium deputata, provideat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Scarensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut in nostra proposuisti præsentia constitutus, vicesima ecclesiasticorum proventuum tuæ diœcesis deputata in Terræ Sanctæ nequeat de facili æstimari, pro eo quod proventus ipsi non in moneta, sed in victualibus, quæ habentur ibi valde modici pretii pro majori parte consistunt, propter quod clerici ejusdem diœcesis vix ad solvendum centum marcas pro vicesima possint induci. Nos discretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, su-

per hoc committimus vices nostras, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandantes, quatenus provideas super hoc auctoritate nostra, prout ejusdem Terræ Sanctæ melius videris expedire, quidquid super hoc feceris nobis fideliter rescripturus. Datum Laterani, idibus novembris, anno quinto.

XCIX

Ad Upsalensem archiepiscopum.

13 nov. 1220.

[Liljegren, Svenskt dipl., I, 215, n. 198.]

Scarensis episcopus viva voce responsum explicabit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Upsalensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Auditis per venerabilem fratrem nostrum.. Scarensem episcopum tuis consultationibus diligenter, tibi per eumdem plene duximus respondendum, sicut ipse viva voce tibi poterit explicare. Datum Laterani, idibus novemb., anno quinto.

C

Ad omnes reges et principes, etc.

16 nov. 1220.

[Bullar. Roman., ed. Taur., III, 377, n. 49.]

Prohibet sub comminatione anathematis quominus regnum Daciæ invadant, vel turbent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimis in Christo filiis illustribus regibus, et dilectis filiis principibus, et universis Dei fidelibus regno Daciæ circumpositis catholicam servantibus unitatem, salutem, etc.

Quanto specialius regnum Daciæ ad Ecclesiæ Romanæ noscitur jurisdictionem spectare, tanto ad conservationem ejus propensiori studio debemus intendere. Quia non immerito multa reprehensione digni existere videremur, si quod est juris Ecclesiæ Romanæ pateremur imminui, vel turbari. Inde est quod ad exemplar felicis memoriæ Alexandri et Innocentii, prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, vobis omnibus sub interminatione anathematis arctius inhibemus, ne quis præscriptum regnum invadere vel turbare præsumat, aut jura carissimi filii nostri illustris Danorum regis, vel hæredum suorum minuere audeat, vel sibi quomodolibet usurpare. Si qui autem hujus nostræ prohibitionis transgressores extiterint, indignationem nostram et Ecclesiæ Romanæ se noverint incursuros, et anathematis vinculo feriendos. Datum Laterani, XVI kalendas decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CI

Ad abbatem et conventum S. Dysibodi.

17 nov. 1220.

[Joannis tabularium spicilegium, p. 219.]

Parochias Sobernheim et Osterna cœnobio concessas eidem confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui S. Dysibodi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, ita tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Oblata siquidem nobis vestra petitio continebat, quod cum vestrum monasterium adeo esset rebus temporalibus destitutum, ut religio et divinum officium penitus cessarent ibidem, venerabilis frater noster Moguntin. archiepiscopus, loci diœcesanus, paupertati compatiens monasterii memorati de Sobernheim et de Osterna, ecclesias, quarum jus patronatus ad jam dictum monasterium pertinebat, vobis de assensu capituli sui in proprios usus concessit, unde nobis humiliter supplicastis, ut concessionem ipsam Apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur vestris justis postulationibus inclinati, concessionem ipsam, sicut pie et provide facta est, et in nullius dignoscitur præjudicium redundare, auctoritate Apostolica confirmanus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, XV kalendas decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CII

Ad Eberhardum archiepiscopum Salzeburgensem.

23 nov. 1220.

[Fejer, Codex diplomaticus Hungariæ, t. III, I, p. 296.]

Ut moneant Hungariæ regem, de pecunia et rebus aliis pretiosis, imperatrici Constantiæ satisfacturum esse.

Honorius episcopus, servus servorum Dei

venerabilibus fratribus... archiepiscopo Salzeburgensi, et... Secoviensi, et... Vesprimiensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum apud nos esse non debeat acceptio personarum, qui magnum judicare tenemur ut parvum, sicut impotentibus contra potentes adesse tenemur, juxta nostræ plenitudinem potestatis, sic et potentibus viris non debemus auxilium denegare, ne laxare licentiam injuriis videremur. Sane carissima in Christo filia nostra Constantia, Romanorum imperatrix illustris, sua nobis conquæstione demonstravit, quod cum olim, quasi capta, in Hungaria remansisset, carissimus in Christo filius noster, Hungariæ rex illustris, pecuniam, et res alias pretiosas, usque ad valentiam triginta millium marcarum, quas in domo hospitalis Jerosolymitani, apud Strigonium deposuerat, nec Deo, nec loco deferens, per violentiam occupavit. Ut igitur dictus rex conscientiæ suæ consulat et honori, serenitatem suam monemus, et hortamur attente, ut super hoc eidem imperatrici taliter satisfaciat, quod nulla ei de se justa remaneat materia conquerendi. Cum igitur absurdum sit, prædictæ imperatrici negare justitiam, quæ humilitatem potentiæ præferens, non fortitudine, sed ratione prosequitur, quod intendit, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si dictus rex monitionem nostram neglexerit adimplere, vos eum ad id districtione, qua convenit, appellatione remota, veritate cognita, compellatis. Testes autem, qui nominati fuerint, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis interesse poteritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Laterani, IX kalendas decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CIII

Ad archiepisc. et capitulum Cusentinos.

26 nov. 1220.

[Ughelli, Italia sacra, t. IX, p. 209.]

Ut super castro Rendæ quod ad Richardum de jure pertinet, eumdem nullatenus molestent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo et dilectis filiis capitulo Cusentinis, salutem, etc.

Nobilis vir Richardus comes de Agello exposuit nobis quod vos ipsum super castro Rendæ, quod ad eum de jure pertinet, molestetis contra mandatum nostrum, quod super hoc alias recepistis improvide ridendo. Cum igitur idem comes privilegii comitatus sui præter castrum Agelli nuper de imperiali munificentia fuerit consecutus, discretionem vestram rogandam duximus, et monendam per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus super dicto castro, quod in ipso comitatu existit de cætero nullatenus indebite molestetis comitem memoratum, cum incrementis vestris vos intrare non deceat in præfati nobilis detrimentum. Datum Laterani, VI kalend. decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CIV

Ad clerum et populum Massæ Trabariæ.

26 nov. 1220.

[Theiner, Cod. diplom. dominii temp., I, 59, n. 92.]

Clero et populo Massæ Trabariæ possessiones et antiquæ consuetudines confirmantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis clero et populo Massæ Trabariæ, salutem, etc.

Cum in fide Sedis Apostolicæ stabiles et in opere vos semper exhibere studueritis efficaces, dignum est, ut vos tamquam speciales filios et fideles speciali gratia prosequentes, dignis foveamus favoribus et præsidiis tueamur. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris supplicationibus grato concurrentes assensu, personas vestras cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem tenimenta vestra, prout suis finibus terminantur, salvis possessionibus monasterii de Scaloclia, necnon rationabiles et approbatas consuetudines vestras, obtentas hactenus et observatas, sicut ea omnia juste et pacifice obtinetis, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ protectionis et confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, V kalendas decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CV

Ad archiepiscopum Auxitanum et episcopum Conseranensem ac abbatem Bonifontis diœcesis Convenarum.

27 nov. 1220.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, p. 173.]

Mandat eis ut de vita et miraculis Bertrandi, quondam episcopi Convenarum, diligenter inquirant et quod invenerint, curiæ Romanæ communicent.

Venerabilis frater noster episcopus Convenarum exposuit coram nobis, quod bonæ memoriæ Bertrandus, Convenarum episcopus, claris miraculis, et dum viveret, et post obitum coruscavit; unde vobis ex parte sua, et cleri, ac populi sui supplicavit instanter, ut super his faceremus veritatem inquiri, quatenus ea cognita, illum possemus Sanctorum catalogo aggregare : ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de vita, et miraculis ipsius studeatis inquirere diligenter, et quod inveneritis, per vestras nobis litteras fideliter intimetis, ut in negotio ipso securius procedere valeamus. Datum Laterani, quinto kalendas decembris, anno quinto.

CVI

Ad Conradum scholasticum Moguntinum.

27 novemb. 1220.

[Raynald, Annales ecclesiast. ad annum 1220, § 53-54.]

Nunciat quomodo exercitus Christianus sit in angusto positus. Sperandum tamen quod in brevi succurretur, multis crucesignatis transfretaturis mense martio, et Frederico imperatore mense augusto.

Honorius episcopus servus servorum Dei, Conrado scholastico Moguntino ac pœnitentiario nostro, etc.

Venerabilis frater noster... Albanensis episcopus, Apostolicæ Sedis legatus, necnon dilecti filii universus exercitus Christianus existentes apud Damiatam in servitio Jesu Christi, suis nobis nuntiis et litteris intimarunt, quod nunc majori et maturiori succursu, quam nunquam indiguerit, indiget Terra Sancta, cum multis de partibus illis reversis ad propria, Christianus exercitus sit nimium rarefactus : ita quod nisi novis bellatoribus celeriter instauretur, non solum terram Sarracenorum aggredi non audebunt, verum etiam vix poterunt parta tueri. Quin etiam timent ne in manibus hostium relinquantur, in universorum Christi fidelium opprobrium sempiternum et in perditionem perpetuam modicæ terræ transmarinæ, quæ adhuc a Christi fidelibus obtinetur . . . .

Ad hæc ut læteris et alios lætifices audientes, noveris quod carissimus in Christo filius noster Fredericus Romanorum imperator illustris et rex Siciliæ nuper in dominica quæ præcedit dominicam de Adventu, in omne pace ac tranquillitate suscipiens de manibus nostris imperii diadema, in omni devotione affixit suis humeris publice signum crucis, præstito ex intimo mentis fervore corporaliter juramento, quod in proximo futuri mensis augusti passagio transfretabit, auctore Domino, in subsidium Terræ Sanctæ, venerabilis quoque frater noster... Metensis episcopus, imperialis aulæ cancellarius et dilecti filii nobiles viri... dux Bavariæ ac Warnerus de Bollandia dapifer, necnon alii marchiones, comites, barones de Theutonia et Apulia plures quam quadringenti, et cum eis numerosa militum et peditum multitudo, recepto palam crucis signaculo, in proximo passagio martii se transfretaturos in prædictæ Terræ subsidium devoverunt; propter quod expedit ut crucesignati et crucesignandi ad transfretandum sine omni mora festinent, quatenus coadunatis viribus procedentes, facilius, ut speramus, auctore Domino, inimicos nominis christiani valeant profligare. Datum Laterani, V kalendas decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CVII

Ad abbatem et conventum Vicognensem, diœcesis Atrebatensis.

27 novemb. 1220.

[Biblioth. Nationale de Paris, fonds Moreau, Manuscrits latins, t. 128, p. 56.]

Illius conventus omnes possessiones confirmat, et sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Vicognensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tamquam pia mater, suæ protectionis munimine con-

fovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas et ecclesiam vestram cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum, justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem decimas, terras, terragia, aquas, vinaria, nemora, prata, redditus, possessiones, et alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii, V kalendas decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CVIII

Ad Philippum, Francorum regem.

22 novemb. 1220.

[Bouquet, Rec. des Histor., t. XIX, p. 711. Regest., lib. V, epist. 178.]

Cum magistratus et populus Parmenses, in clericos desævientes, Ecclesiæ mandatis et censuris non flecterentur, Honorius, ad comprimendam eorum contumaciam, regem rogat, ut mercatorum et Parmensium aliorum bona in regno inventa faciat ad tempus detineri.

Honorius episcopus, carissimo in Christo filio Philippo, Francorum regi illustri, salutem.

Diræ crudelitatis immanitas, quam viri iniqui N. potestas, consiliarii et populus civitatis Parmensis, in venerabilem fratrem nostrum episcopum et clerum civitatis ipsius, Dei abjecta reverentia, præsumpserunt ausu nefario exercere, non videtur multum dissimilis a tormentis et cruciatibus quibus Nero aliique tyranni leguntur in principio nascentis Ecclesiæ sanctos Christi martyres afflixisse, cum, si diligenter velis culpas attendere utrorumque, deteriores illis quodam modo videntur, eo videlicet quod tutius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retroire. Nuper quidem, ipso episcopo accepimus intimante, quod, cum dilecti filii abbas Nonantulanus et conjudices sui, delegati a nobis, in potestatem et consiliarios supradictos excommunicationis et in civitatem ipsam interdicti sententiam, exigente justitia, promulgarint, pro eo quod sententiam pro Parmensi ecclesia contra eos latam a nobis observare nolebant, contra juramentum quod circiter trecenti viri de consiliariis civitatis ipsius de stando mandatis nostris præstitisse noscuntur, temere venientes, dictus potestas, diabolico furore repletus, ut posset in clericos liberius desævire, a juramento in ingressu sui regiminis præstito ab eodem, quo ipsum episcopum, ecclesias atque clerum tenebatur defendere a prædictis consiliariis, præsumptuose faciens se absolvi (si absolutio dici potest), sub certa pœna inhibuit civibus memoratis, ne contractus inirent, cum clericis, vel eis in aliquo subvenirent, et ne ipsorum clericorum permitterent victualia macinari, et panes in furnis decoqui aut etiam barbas radi, et ne aliquis in eorum domibus habitaret, neque ad molendina ipsorum quisquam accederet sive furnos; statuens insuper ut, si ægrotus aliquis jurare præsumeret, quod mandatis staret ecclesiæ, ac decederet, in sterquilinio extra sepulturam fidelium poneretur; si vero evaderet, publicarentur omnia bona ejus; positisque custodibus in ecclesiis, præfati cives, in episcopale palatium irruentes, victualia, libros, pannos usque ad altaris velamina asportarunt... (*et reliqua hujusmodi spoliatio.*)

Quia igitur tantæ præsumptionis audaciam æquanimiter pati non possumus nec debemus, ne (quod absit!) sacrilegorum temeritas transeat aliis in exemplum, si remanserit impunita, serenitatem regiam rogandam duximus et hortandam quatenus, cum dignum sit ut quos Dei timor a malo non revocat, metus saltem pœnæ coerceat temporalis, bona mercatorum et aliorum Parmensium quæ in terra tua inveniri contigerit, tam diu facias detineri, donec ipsi, si forte sibi tribuerit vexatio intellectum, ad ecclesiæ mandatum redierint, et satisfecerint plene de omnibus supradictis. Datum Laterani, XV kalendas decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CIX

Ad Conradum scholasticum Moguntinum.

28 nov. 1220.

[Bohmer, Acta imperii selecta, 656, n. 946.]

Multi crucesignati vinculo excommunicationis erant adstricti, eo quod non transfretaverant in passagio præcedenti; indulget ut beneficium absolutionis eis impendat injungendo eisdem ut transfretent in proximo passagio.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro Conrado, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum, sicut certo experimento didicimus, quod salutem sitias animarum et ad succursum Terræ Sanctæ, inspirante Deo, vehementer aspires, ea quæ ipsis expediunt, tibi committimus fiducialiter et libenter. Quum itaque, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, multi crucesignati de partibus Theutoniæ pro eo, quod non transfretarunt in passagio præcedenti, vinculo sint excommunicationis adstricti, nos de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus provideas super hoc auctoritate nostra, prout eorum saluti et prædictæ terræ succursui noveris expedire. Si autem aliquibus beneficium absolutionis impenderis, injungas eisdem, ut in proximo passagio debeant transfretare. Datum Laterani, IV kalendas decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CX

Ad abbatem et conventum Sancti Victoris Parisiensis.

30 nov. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 34. Mss. La Porte du Theil.]

Quum Dunelmen. archidiaconus olim ad ipsos detulisset certam pecuniæ summam, quam Dunelmen. episcopus Terræ Sanctæ legaverat, de quantitate illius pecuniæ informari se jubet.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui sancti Victoris Parisiensis.

Ad nostram noveris audientiam pervenisse quod... quondam Dunelmen. archidiaconus mille trecentas marcas, quas bonæ memoriæ... Dunelmen. episcopus legaverat Terræ Sanctæ, per manus bonæ memoriæ fratris Aymerici, tunc magistri domus militiæ Templi de Anglia, fecit in ecclesia vestra deponi. Ut igitur pia defuncti voluntas debitum sortiatur effectum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus pecuniam ipsam servantes, quantitatem ejus nobis per vestras litteras intimetis. Datum apud Urbem Veterem, secundo kalendas decembris, anno quinto.

CXI

Ad Johannem de Mucejo, Metensem scholasticum.

1 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 194. Mss. La Porte du Theil.]

Tribuitur ei facultas plura beneficia retinendi, non obstantibus Concilii generalis statutis.

Honorius, etc., dilecto filio Johanni de Mucejo, Metensi scholastico.

Quum sic noscaris nobilitate, ac litteratura pollere, ut Apostolica gratia dignus merito habearis, nos carissimi in Christo filii nostri Frederici Romanorum imperatoris et semper augusti, et venerabilis fratris nostri C. Metensis episcopi, imperialis aulæ cancellarii, ac tuis precibus inclinati, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut, non obstante constitutione Concilii generalis, liceat tibi in devotione Sedis Apostolicæ persistenti plura beneficia recipere et tenere si tibi canonice conferantur. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, kalendas decembris, anno quinto.

CXII

Ad abbatissam et conventum monasterii inferioris in Hohenborc.

1 decemb. 1220.

[Wurdtwein, Nova subsidia, XIII, p. 248.]

Abbatiæ inferioris monasterii in Hohenborc bona, præsertim in Gogeswiller, confirmantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus, abbatissæ et conventui monasterii inferioris in *Hohenborc*, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas et monasterium vestrum, in quo divino estis obsequio mancipatæ, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis

adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem possessiones de Gogeswiller, ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste et pacifice possidetis, vobis, et per vos eidem monasterio, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, kalendis decembris, pontificatus nostri anno quinto.

In eumdem modum ecclesia de Ottenroden cum pertinentiis suis confirmatur eidem conventui, *dat. ut supra.*

CXIII

Ad episcopum Metensem et capitulum ejusdem ecclesiæ.

2 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 192, 193. Mss. La Porte du Theil.]

Statutum ab ipsis provide factum, quo redditus præbendarum in ipsorum ecclesia vacantium ad decennium fabricæ ecclesiæ deputabantur, auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Metensi, imperialis aulæ cancellario, et dilectis filiis capitulo Metensi.

Nostro fuit apostolatui supplicatum, ut cum ecclesiæ vestræ fabrica graves sumptus exposcat, ac ideo statueritis, ut fructus præbendarum vacaturarum ibidem ipsi fabricæ usque ad decennium deputantur, statutum hujusmodi Apostolico dignaremur munimine roborare, præsertim cum tot sint in ea canonici, quod ecclesia ipsa propter hoc non poterit debito servitio defraudari. Nos igitur precibus vestris benignum impertientes assensum, statutum ipsum, sicut pie ac provide factum est, et in litteris inde confectis plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, salvo tamen in omnibus Apostolicæ Sedis mandato. Nulli igitur, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, quarto nonas decembris, anno quinto.

Eodem die ad eosdem ut sequitur scriptum est:

Supplicastis nobis, ut cum ecclesiæ vestræ fabrica graves sumptus exposcat omnibus Christi fidelibus, qui feria quarta infra octavas Pentecostes ad ecclesiam ipsam accesserint suas eleemosynas largituri, aliquam indulgentiam concedere dignaremur. Nos igitur de Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui præscripto die ad ecclesiam ipsam cum devotione accesserint, ad constructionem ipsius fabricæ suarum eleemosynarum subsidia collaturi, viginti dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus, præsentibus litteris nequaquam ultra decennium valituris. Datum Laterani, quarto nonas decembris, anno quinto.

CXIV

Ad priorem Sancti Victoris, ac Radulfum capellanum domus militiæ templi Parisiensis.

3 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 205. Mss. La Porte du Theil.]

Administrationem diœcesis Belvacensis per electi absentiam ipsis confert.

Honorius, etc., dilectis filiis priori Sancti Victoris, et fratri Radulfo, capellano domus militiæ templi Parisien.

Cum dilectus filius... Belvacen. electus profecturus in subsidium Terræ Sanctæ B. archidiaconum et H. cantorem Belvacen. procuratores, quantum ad spiritualia, et conferendi ecclesiastica beneficia ordinarit, ita quod si alterum eorum interim mori vel ad episcopalem dignitatem assumi contingeret, Jacobus Suessionen. thesaurarius in locum succederet morientis, et si forsan iterum duorum superstitum alter decederet, vel promoveretur ad dignitatem prædictam, Gaufridus de Bretenei, canonicus Suessionensis substitueretur loco defuncti; contigit, sicut Domino placuit, quod prænominati archidiaconus et canonicus de medio sunt sublati, et thesaurarius in Suessionen. et cantor in Lingonen. episcopos sunt promoti; unde nos eisdem episcopis nostris dedimus litteris in mandatis, ut procurationem hujusmodi gererent diligenter. Postmodum autem inter ipsos super hoc orta discordia, et tam eorum, quam Belvacensis capituli procuratoribus in nostra præsentia constitutis, dilectum filium nostrum P., Sancti Georgii diaconum cardinalem, eis concessimus au-

ditorem, coram quo cum singuli procuratores aliquandiu disceptassent, quia vidimus quod provisio Belvacensis ecclesiæ nobis principaliter imminebat, eam vobis, de quorum rectitudinis zelo et rationis vigore laudabile nobis testimonium perhibetur, duximus committendam, per Apostolica scripta mandantes et obtestantes per sanguinem Jesu Christi, quatenus habentes præ oculis solum Deum, beneficia, quæ ad donationem Belvacensis electi, si præsens existeret, pertinentibus personis litteratis et honestis, et alias idoneis conferatis, et vicissim visitantes civitatem, et diœcesim Belvacensem lucris studeatis intendere animarum, ministrando populis pabulum verbi Dei, et confessiones pœnitentium audiendo, ita quod Deum vobis exinde meritum comparetis, et nos diligentiam vestram possimus merito commendare. Datum Laterani, tertio nonas decembris, anno quinto.

CXV

Ad Trecensem episcopum, Sancti Lupi et Sancti Martini abbates.

3 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 198. Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 713.]

Litigante de Autissiodorensi comitatu Philippo de Curtiniaco, Namurcensi comite, cum Herveo de Donziaco, comite Nivernensi, Honorius delegatis a se judicibus mandat ut ea quæ contra juris ordinem egerunt, reforment.

Honorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo et dilectis filiis Sancti Lupi et Sancti Martini abbatibus Trecens., salutem et apostolicam benedictionem.

Ex insinuatione nobilis viri comitis Nivernensis et M. uxoris ejus accepimus quod, quum certi de obitu claræ memoriæ P., imperatoris Constantinopolitani, civitatem Autissiodorensem tanquam jure ad eos devolutam hæreditario adiissent, et super hoc cum nobili viro comite Namurcensi Philippo, nato prædicti defuncti, et Roberto de Cortenaio aliquandiu litigassent, vos super his, auctoritate vestra processistis, juris ordinem non servantes. Unde iidem nobis humiliter supplicarunt ut, cum parati sint de se super hoc conquerentibus justitiam exhibere, pro conservatione juris eorum vobis scribere dignaremur. Quocirca, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, revocato in statum debitum si quid contra ipsos, juris ordine prætermisso, fecistis in hujusmodi negotio, auditis quæ partes duxerint proponenda, sublato appellationis obstaculo, ratione prævia procedatis. Quod si non omnes his exsequendis poteritis interesse, tu ea, frater episcope, cum eorum altero nihilominus exsequaris. Datum Laterani, III non. decemb. pontificatus nostri anno quinto.

CXVI

Ad archidiaconum Belnen, ac Johannem de Parisiis et W. de Lesiaco canonicos Eduen.

3 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 225. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut statuant super requisitione canonicorum Primiacensis ecclesiæ, qui dignitates et personatus in ipsorum ecclesia erigi postulabant.

Honorius, etc., dilectis filiis archidiacono Belnen et Johanni de Parisiis, et W. de Lesiaco canonicis Eduen.

Ex parte dilectorum filiorum canonicorum Primiacensis ecclesiæ fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum in aliis conventualibus ecclesiis circum adjacentis undique regionis personatus et dignitates existant, ne ipsi tamquam acephali videantur, in suum et ejusdem ecclesiæ non modicum detrimentum, præficiendi sibi aliquem in rectorem, cujus regimine dictæ ecclesiæ tam in spiritualibus, quam in temporalibus suscipiat incrementum, eisdem dignaremur auctoritate Apostolica concedere facultatem, præsertim quum præter plebanos sedecim canonicorum numerus in dicta ecclesia existere dignoscatur. Quum igitur instantia nostra quotidiana sit ecclesiarum omnium sollicitudo continua, dictorum canonicorum precibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, habentes præ oculis solum Deum, statuatis super his auctoritate nostra, quod prædictæ Primiacensi ecclesiæ, ac personis residentibus in eadem videritis expedire, dummodo in alicujus præjudicium non redundet. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, III nonas decembris pontificatus nostri anno quinto.

CXVII

Ad Waldemarum regem Daciæ.

4 decemb. 1220.

[Suhm, Hist. af Danmark, IX, 144.]

Monet regem se deputare ad partes Daciæ Gregorium, Sancti Theodori cardinalem, concesso ei plene legationis officio.

Quum te, sicut catholicum principem, et Ecclesiæ Romanæ devotum, sincera diligamus in Domino charitate, tuæ libenter in his, quæ secundum Deum desideras, satisfacimus voluntati. Quum igitur tam per litteras tuas, quam [per] nuncium postulaveris, ut, ad partes tuas, legatum de nostro latere mitteremus, ecce tuis acquiescentes precibus mittimus illuc dilectum filium nostrum Gregorium, S. Theodori diaconum cardinalem, virum prudentia et honestate conspicua, ac inter cæteros fratres nostros, suis meritis exigentibus, nobis specialiter carum, concesso ei plenæ legationis officio per totum generaliter regnum tuum. Ipsum itaque qui aggressurus iter in proximo, cito ad te divino favore comitante perveniet, sicut personam nostram curabis cum honorificentia te et ipso digna recipere, et in eo devotionem, quam ad Romanam habes Ecclesiam, exhibere.

CXVIII

Ad præpositum et capitulum S. Andreæ Wormatiensis.

4 decemb. 1220.

[Baur, Hessische Urkunden, II, p. 56, n. 46.]

Eis statutum ab eis factum de duarum præbendarum ecclesiæ suæ redditibus fabricæ deputandis, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et capitulo S. Andreæ Wormatiensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Supplicastis nobis, ut statutum factum a vobis de duarum præbendarum ecclesiæ vestræ redditibus fabricæ deputandis, et a venerabili fratre nostro Wormatiensi episcopo confirmatum, Apostolico roborare munimine dignaremur. Nos igitur precibus vestris benignum impertientes assensum, statutum ipsum, sicut pie ac provide factum est, auctoritate Apostolica confirmamus. Datum Laterani, II nonas decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CXIX

Ad capitulum Metense.

4 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 208. Mss. La Porte du Theil.]

Statutum, quod canonici absentes non participent nisi causa studii, auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Metensi.

Quæ pro ecclesiarum utilitate provide statuuntur Apostolico decet munimine roborari, ne præsumptione cujusquam temere dissolvantur. Cum igitur communi, et concordi consilio statueritis, ut canonici ecclesiæ vestræ in absentia sua, nisi causa peregrinationis, aut studii, seu de capituli licentia, sint absentes, fructibus suarum careant præbendarum, nos precibus vestris benignum impertientes assensum, statutum ipsum, sicut provide factum est, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, secundo non. decembris, anno quinto.

CXX

Ad capitulum Metense.

4 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, ep. 214. Mss. La Porte du Theil.]

Ecclesiæ Sancti Quintini possessionem cum pertinentiis auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Meten.

Justis petentium desideriis, etc. Eapropter, etc., *usque* inclinati : ecclesiam Sancti Quintini cum pertinentiis vobis ab... abbate, et conventu Gorcien., loci diœcesano consentiente, collatam, ad quotidianam distributionem inter fratres, qui canonicis horis intererunt, faciendam, sicut eam juste ac pacifice possidetis, vobis auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, secundo nonas decembris, anno quinto.

CXXI

Ad Sculonem ducem Norwegiæ.

5 dec. 1220.

[Lange, Diplom. Norweg., t. I, p. 6.]

Sculonem ducem Norwegiæ cum omnibus bonis protegendum suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, nobili viro Sculoni, duci Norwegiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Filialis devotionis affectus, quem erga nos et Romanam Ecclesiam exhibes, laudabiliter promeretur, ut personam tuam prærogativa dilectionis et gratiæ amplexantes, te attollamus præsidiis et favoribus foveamus. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis supplicationibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ protectionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, nonis decembris anno quinto.

CXXII

Ad præpositum et conventum de Hagenowe.

5 dec. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 209. Mss. La Porte du Theil.]

Recipit eos sub protectione beati Petri.

Honorius, etc., dilectis filiis præposito et conventui de Hagenowe, Præmonstratensis ordinis.

Sacrosancta Romana ecclesia, etc. Eapropter, etc., *usque* concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus; specialiter autem ecclesiam de Baldebrunnen, necnon possessiones, redditus, libertates et immunitates ab imperatoribus et principibus, aliisque fidelibus Christi ecclesiæ vestræ pia liberalitate collatas, sicut ea omnia juste ac pacifice obtinetis, et in authenticis scriptis inde confectis plenius continetur, vobis, et per vos ipsi ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ protectionis et confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, nonis decembris, anno quinto.

CXXIII

Ad Albertum comitem de Mangono.

5 dec. 1220.

[Bullar. Roman., edit. Taur., III, p. 377, n. 50.]

Terram Vallese, Roccam Gonfienti, Monticelli et alios locos de terra comitissæ Mathildis in feudum ei concedit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Alberto, comiti de Mangono, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad communem notitiam volumus pervevenire, quod fidelitatis a te juramento recepto pro terra Vallese, Rocca Gonfienti, Monticelli, Bargi, Ebrigaza, Pidierla, Casi, Rocca de Vicco, Castirolo, Limango, Greta, Moncono, Palliano, Monticello, Fossato Torri, Bacti et Savignano cum omnibus eorum pertinentiis, quæ fuerint de terra claræ memoriæ comitissæ Mathildis, et quæ pater tuus noscitur tenuisse, te, de fratrum nostrorum consilio et consensu, investivimus de eisdem, nobis de imperiali voluntate libere restitutis, ea in feudum tibi, tuisque legitimis hæredibus concedendo, ecclesiarum omnium jure salvo; singulis autem annis nobis et successoribus nostris dabis unum asturem et duos braccos in feudi recognitionem prædicti, et cum fueris requisitus, semel in anno venies cum quatuor militibus in servitio seu exercitu ecclesiæ per octo dies, in tuis moraturus expensis, veniendi ac redeundi tempore minime computato. In hujus autem rei memoriam præsentes litteras tibi concessimus bullæ nostræ munimine roboratas.

Datum Laterani, nonis decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CXXIV

Ad Eberhardum archiepiscopum Salzeburgensem, et Sechowensem ac Vesprimiensem episcopos.

5 dec. 1220.

[Theiner, Monum. Hungariæ, I, p. 25, n. 42.]

Ut regem Hungariæ ad restituendas Constantiæ imperatrici Romanorum pecunias ab ipso ablatas compellant.

Honorius episcopus, servus servorum

Dei, venerabilibus fratribus... archiepiscopo Salzeburgensi, et... Sechowensi et... Vesprimiensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum apud nos esse non debeat acceptio personarum, qui magnum judicare tenemur ut parvum, sic impotentibus contra potentes adesse debemus juxta nostræ plenitudinem potestatis : sic et potentibus viris non debemus auxilium denegare, ne laxare licentiam injuriis videremur. Sane carissima in Christo filia nostra, Constantia, Romanorum imperatrix illustris, sua nobis conquestione monstravit, quod cum olim quasi capta in Hungaria remansisset, carissimus in Christo filius noster... Hungariæ rex illustris, pecuniam et res alias pretiosas usque ad valentiam triginta millium marcarum, quos in domo hospitalis Jerosolymitani apud Strigonium deposuerat, nec Deo nec loco deferens, per violentiam occupavit. Ut igitur dictus rex conscientiæ suæ consulat et honori, serenitatem suam monemus et hortamur attente, ut super hoc eidem imperatrici taliter satisfaciat, quod nulla ei de se justa remaneat materia conquerendi. Cum igitur absurdum sit prædictæ imperatrici negari justitiam, quæ humilitatem potentiæ præferens, non fortitudine, sed ratione prosequitur, quod intendit : fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus rex monitionem nostram neglexerit adimplere, vos eum ad id districtione, qua convenit, appellatione remota, veritate agnita, compellatis. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum Laterani, nonis decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CXXV

Ad potestatem et populum Firmanos.

7 dec. 1220.

[Theiner, Codex dipl. dominii temp., I, 61, n. 96.]

Ut monetam propriam citra valorem imperialium cudere possint.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... potestati et populo Firmanis, salutem et apostolicam benedictionem.

Firmæ fidei et pronæ devotionis promptus affectus, quem erga Sedem Apostolicam gessistis et geritis incessanter, apud nos pro vobis efficaciter intercedit, ut civitatem vestram speciali prærogativa dilectionis et gratiæ amplexantes, supplicationibus vestris, maxime quæ civitatis ejusdem honorem respiciunt et profectum, favorabiliter annuamus, quatenus, nostro promoti favore, nostræ vos magis ac magis gratiæ coaptetis, quæ merita supplicum excedere consuevit. Eapropter universitatis vestræ devotionis precibus inclinati, habendi proprium cuneum ad cutendam monetam citra valorem imperialium, liberam vobis auctoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Laterani, VII idus decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CXXVI

Ad priorem et fratres monasterii hospitalis in Steyga.

8 decemb. 1220.

[Wurdtwein, Nova subsidia, t. XIII, p. 250.]

Bona et possessiones monasterii et hospitalis in Steyga sub sua recipit protectione.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, priori et fratribus hospitalis in Steyga, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum bonis omnibus, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem de Argentina, de Marlei, de Kircheim, de Westhoven, de Wazelnheim, de Crastelen, de Altorf, de Sarburc, de Allenwilre, de Marsale, de Osthoven possessiones ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos hospitali vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, etc. Datum Laterani, VI idus decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CXXVII

Ad præpositum et capitulum ecclesiæ Sceningensis.

9 decemb. 1220.

[Falke, Tradit. Corbeiens., 780.]

Possessiones, quas ab Onargo quodam et filiis ejus capitulum Sceningen. emerat, ac alia bona, eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et capitulo ecclesiæ Sceningensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem, præbere assensum et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Quapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, possessiones, quas dudum a quodam Onargo et filiis ejus laicis proponitis vos emisse, cum jure advocatiæ ipsarum, vobis a venerab. fratre nostro episcopo Alberstadensi, de capituli sui consensu provida deliberatione concessas, ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, V idus decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CXXVIII

Ad abbatem Clariacensem et priores Sancti Macarii et Clariacen.

9 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 223. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit eis ut sine mora ad correctionem ecclesiæ Sancti Andreæ Burdegalensis procedant.

Honorius, etc., dilectis filiis Clariacen. abbati et... Sancti Macarii et Clariacen. prioribus, Agennen. et Burdegalen. diœcesum.

Ex parte... decani et capituli Sancti Severini Burdegalen. fuit propositum coram nobis, quod cum correctionem ecclesiæ Sancti Andreæ Burdegalen. ad petitionem eorum vobis dudum duxerimus committendam, vos, licet jam a susceptione mandati nostri annus, et amplius sit elapsus in negotio ipso, quod grave gerimus et indignum, nondum procedere curavistis. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus occasione, ac excusatione cessantibus, in præfato negotio infra quatuor menses post susceptionem, juxta formam vobis traditam, ratione prævia procedatis. Alioquin venerabili fratri nostro... episcopo Convenarum et dilectis filiis R. Willelmi de Lingonio, et Bernardo de Angelis canonicis Vasaten. nostris damus litteris in mandatis, ut ipsi ex tunc ad correctionem ecclesiæ prædictæ procedant juxta priorum continentiam litterarum. Datum Laterani, quinto idus decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CXXIX

Ad priorissam et conventum monialium de Ruremunda Cisterciensis ordinis.

10 decemb. 1220.

[Manrique, Ann. Cisterciens., IV, 183.]

Priorissam et conventum monialium de Ruremunda sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Confirmaverat Honorius papa III Ruremundense cœnobium ante triennium litteris datis ad priorissam, et conventum monialium de Ruremunda Cisterciensis ordinis, quas Henriquez adducit, in quibus tamen non specialia bona, quæ nondum instrumento firmata essent :

« Sed personas, et locum, ait, in quo divino estis obsequio mancipatæ cum omnibus bonis, quæ vel in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus. Datum Laterani, quarto idus decembris, pontificatus nostri anno quinto. »

CXXX

Ad Fridericum Romanorum imperatorem et regem Siciliæ.

11 decemb. 1220.

[Huilard Bréholles, Hist. dipl., II, 80.]

Significat se ad Tusciæ partes direxisse R., S. Angeli diaconum, ut fodrum et omnem honorificientiam regi faciat diligenter impendi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Friderico Romanorum imperatori, semper Augusto, et regi Siciliæ.

Non credimus quod unquam aliquis Ro-

manus Pontifex sinceriorem caritatem ad aliquem imperatorem habuerit, quam nos ad personam tuæ sublimitatis habemus, sicut evidentibus potuisti cognoscere argumentis et cognosces, dante Domino, diebus omnibus vitæ nostræ. Si ergo in exhibendo tibi fodro imperiali difficultas fuit aliqua vel defectus, grave nobis est plurimum et molestum, nec id nobis potest aliquatenus imputari. Te enim appropinquante ad Tusciæ partes, universis civitatibus nostræ ditioni subjectis, expresse mandavimus, ut procurationes sive fodrum tibi liberaliter et hilariter exhiberent; ac ne quis jussioni nostræ præsumeret contraire, dilectum filium Alatrinum subdiaconum et capellanum nostrum, qui non minus est tibi quam Ecclesiæ Romanæ devotus, immo qui totus est tuus, illuc destinare curavimus, ut omnia decenter per ejus sollicitudinem complerentur, et qua secundum tenorem privilegii super hoc facti inter Ecclesiam et imperium fodrum ipsum non debet nisi per nuntios Ecclesiæ Romanæ requiri. Porro imperatores Romani hujusmodi procurationes seu fodrum exigere non habent in Maritima vel Campania, cum per partes illas non sit eorum transitus, quando ad coronam veniunt, vel quando ad propria revertuntur, et si qui hoc aliquando receperunt ad invadendum regnum Siciliæ anhelantes, non justitia sed violentia intervenit. Sed si hoc debitum esset, deberet tamen per nuntios Ecclesiæ Romanæ requiri, juxta tenorem privilegii memorati. Nos tamen hæc, circa personam tuam minime attendentes, sed volentes a nostris omnem tibi honorificentiam liberaliter exhiberi, ad partes illas direximus dilectum filium nostrum R., Sancti Angeli diaconum cardinalem, qui tibi est speciali affectu et devotione conjunctus, et qui totius Campaniæ et Maritimæ rector existit, injuncto eidem ut fodrum et omnem honorificentiam tibi faciat studiose et diligenter impendi. Et nunc receptis tuæ magnificentiæ litteris, eidem cardinali per scripta nostra dedimus in mandatis, ut ita provideat quod omnia tibi sic exhibeantur ad plenum, ne ullus possit inveniri defectus, tuæ celsitudini protestantes nos hoc facere non ex debito, sed ex speciali gratia et sinceræ dilectionis affectu. Datum Laterani, III idus decembris, anno nostri pontificatus quinto.

CXXXI

Ad R. de Porta, J. de Madires majoris ecclesiæ, R. Sanctæ Mariæ Magdalenæ, canonicos Virdunenses.

11 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 226. Mss. La Porte du Theil.]

Litteras Apostolicas pro magistro G. de Burmont de scholastica Metensi, adversus W. de Burmont dolose obtentas, revocat.

Honorius, etc., dilectis filiis R. de Porta et magistris J. de Madires majoris ecclesiæ, et R. Sanctæ Mariæ Magdalenæ, canonicis Virdunen.

Dilectus filius J., Meten. scholasticus, sua nobis petitione monstravit, quod magister W. de Burmont, Lingonen. canonicus, nuper super scholastria Meten. ad... priorem de Claromonte, et conjudices ejus Tullen. et Lingonen. diœcesum, commissionis a nobis litteras pro magistro G. de Burmont, Meten. canonico, nunc cantore Tullen. ecclesiæ, impetravit, solo in eis Meten. primicerio nominato, et illa generali clausula, et quidem alii subsecuta. Cumque procurator ipsius primicerii litteris contradixisset eisdem, præfatus magister W. coram magistro Oct., capellano nostro, tunc temporis litterarum hujusmodi auditore, promisit primicerius ipse non conveniretur ullo unquam tempore per easdem, sicut tam ipsius auditoris, quam præfati magistri W. patentes litteræ manifestant : nunc autem prædictus cantor auctoritate hujusmodi litterarum convenire conatur scolasticum memoratum; quare idem nobis humiliter supplicavit, ut cum in hac parte manifesta sit malitia supradicti cantoris, qui sola ea causa primicerium nominavit, ut per subjectam clausulam trahere posset in causam, æquales ipsi primicerio, vel minores, ipsum de hujusmodi fraude non sineremus commodum reportare. Cum igitur nemini patrocinari debeant fraus et dolus, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, prædictas litteras nuntietis nullius esse valoris, revocantes in statum debitum, si quid forte occasione ipsarum inveneritis esse factum. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, tertio idus decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CXXXII

Ad Romanum S. Angeli, diaconum cardinalem Campaniæ et Maritimæ rectorem.

11 decemb. 1220.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., p. 62, n. 98.]

Ut prædictum fodrum colligi et imperatori exhiberi faciat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio R., Sancti Angeli diacono cardinali, Campaniæ et Maritimæ rectori, salutem et apostolicam benedictionem.

Carissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator et rex Siciliæ, semper Augustus, quasdam nobis litteras destinavit, in quibus insinuare videtur, quod in exhibitione fodri Campaniæ et Maritimæ sibi digne non fuerit satisfactum, asserens, quod ad recolligendum fodrum ipsum magistrum Johannem notarium suum, et Stephanum Tiniosum curavit per Campaniam et Maritimam destinare. Sane tuam credimus nosse prudentiam hujusmodi fodrum Romanorum imperatorum a Campanis vel Maritimaris non deberi, cum partes illas transire non habeant, nisi forte pro facto regni Siciliæ, ad quod eis non debet a nobis vel nostris auxilium exhiberi, et licet eorum aliqui aliquando fodrum ipsum extorserint, dum ad invadendum regnum ipsum avide properarent, non tamen justitia, sed violentia intervenit. Denique si sæpedictum fodrum de jure ipsis imperatoribus deberetur, non deberet tamen requiri nisi per Sedis Apostolicæ nuntios, prout privilegium super hujusmodi fodris factum inter Ecclesiam et imperium manifestat. Ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus hæc omnia eidem imperatori prudenter et diligenter exponens, sibi notifices, quod fodrum ipsum per Maritimam et Campaniam sibi dari mandavimus non ex debito, sed ex speciali gratia et sincero caritatis affectu, suadendo eidem, ne sibi contrarium suggerentibus in his aut aliis aures imperialis majestatis inclinet, cum plus benefactis nostris credere debeat quam fallacibus sermonibus aliorum. Porro fodrum per Campaniam et Maritimam a nuntiis tuis colligi facias et prædictis imperatoris nuntiis exhiberi, ut quod incœpimus facere de gratia liberali, liberaliter compleatur. Datum Laterani, III idus decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CXXXIII

Ad Guidonem Vulteranum.

11 decemb. 1220.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., p. 62, 99.]

Guidoni archidiacono Vulterano quædam castra terrarum comitissæ Mathildis in Lucana diœcesi sub annuo censu sex marcarum argenti conceduntur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro Guidoni, archidiacono Vulterano, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum placidis et placitis tuæ devotionis obsequiis usque adeo nostræ te gratiæ coaptaris, ut ex susceptis aliquando nostræ munificentiæ beneficiis te magis ac magis exhibens gratiorem feceris, ut quod aliis esset præmium, tibi fieret retributio meritorum, et cum crederetur tibi congrue retributum, constitueris nos devotioni tuæ in majoribus debitores. Nos volentes adhuc te retributiva gratia prosequi, qua nonnunquam ignotos etiam prævenimus, Bargam, Castilionem, Coreliam, Ciceranam, Chinizanam, Cotronem in Lucana diœcesi posita, et earum pertinentias et omnia jura, cum sint de comitatu comitissæ Mathildis, tibi sunt annuo censu sex marcarum argenti, quoad vixeris, duximus concedenda. Datum Laterani, III idus decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CXXXIV

Ad præpositum, decanum et capitulum ecclesiæ Sanctæ Mariæ Hamburgens.

12 decemb. 1220.

[Lappenberg, Hamburg. Urkund., t. I, p. 388, n. 437.]

Eos cum omnibus bonis sub B. Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, præposito, decano et capitulo ecclesiæ Sanctæ Mariæ Hamburgensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et ecclesiam, in qua divino estis mancipati obsequio, cum omnibus bonis, quæ in præ-

sentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam Sancti Petri Hamburgensis cum pertinentiis suis et decimas de Dockenhude et Alsterdorpe, sicut eas juste et pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, II idus decembris, pontificatus nostri anno quinto.

CXXXV

Ad archiepiscopos et episcopos in Arelatensi provincia constitutos.

13 decemb. 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 713; Regest., lib. V, epist. 229.]

Significat episcopis Honorius Fredericum, Romanorum imperatorem, contulisse Arelatense regnum Guillelmo, Montisferrati marchioni, et eis mandat ut marchioni præstent favorem et consilium.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis aliis ecclesiarum prælatis per regnum Arelatense constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Carissimus in Christo filius noster Fr. Romanorum imperator, semper augustus et rex Siciliæ, regnum Arelatense dilecto filio nobili viro Guillelmo marchioni Montisferrati commisit, qui, sicut coram nobis exposuit, regnum ipsum infidelitate imperii et Ecclesiæ devotione desideret solidare. Cum igitur idem marchio et progenitores sui semper fuerint viri catholici et Ecclesiæ Romanæ devoti, ac per hoc non injuste speremus quod negotium fidei, quantum in ipso fuerit, promovere studebit; universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem id, juxta vestram fiduciam, facienti præstare studeatis consilium, auxilium et favorem prout negotii sibi commissi promotio videbitur postulare. Datum Laterani, idibus decemb., pontificatus nostri anno quinto.

In eumdem modum scriptum est super hoc Diensi et Valentinensi episcopis, excepto quod ubi dicitur *universitati*, in ista dicitur *fraternitati*.

In eumdem modum scriptum est Conrado, Portuensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, *ut supra, usque* auxilium et favorem, et facias a prælatis et aliis consistentibus in tua legatione præstari, specialiter autem venerabiles fratres nostros Valentinensem et Diensem episcopos, de quorum fide atque prudentia nos et idem marchio gerimus fiduciam specialem, ei consiliarios et auxiliarios deputes, ut vice tua dirigant gressus ejus, et faciant alia quæ negotii sibi commissi promotio videbitur postulare. Datum *ut supra*.

CXXXVI

Ad archiepiscopum Upsalensem.

13 decemb. 1220.

Mandat Honorius ut archiepiscopos prohibeat quominus in sua provincia plus aquæ quam vini in sacrificio ponatur.

(Vide : *Quinta Compilatio*, lib. III, tit. 24, cap. 5, *Perniciosus valde*, tom. I, col. 323.)

CXXXVII

Ad Pelagium Albanensem episcopum, A. S. legatum.

15 decemb. 1220.

[Raynaldi, Annal. eccl., ad ann. 1220, § 21.]

Legatum certiorem facit Summus Pontifex quod solemniter insignia imperii Frederico contulit.

Honorius episcopus, venerabili fratri Pelagio Albanensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, salutem.

Quia scimus animum tuum super statu imperii expectatione suspensum, ecce tuæ fraternitati exponimus nos dominica ante adventum Domini proxima, carissimum in Christo filium nostrum Fredericum Romanorum imperatorem semper augustum, et regem Siciliæ, et illustrem imperatricem consortem ejus, in Principis Apostolorum basilica cum inæstimabili alacritate, ac pace civium Romanorum solemnissime coronasse. Qui facta tribus diebus in Monte Malo mora continua, tandem præstita nobis securitate, quod tibi, et christiano exercitui in proximo martio succursum magnifice destinabit et in sequenti augusto personaliter transfretabit, regnum cum pace ac gaudio est in-

gressus, ea quæ ad subsidium Terræ Sanctæ pertinent, provisurus. Confortare ergo in Domino, et in ejus servitio exercitus Christiani corda confirma, desideratum succursum, favente Domino, magnifice habiturus. Datum Laterani, XVIII kal. januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXXXVIII

Ad abbatem et priorem Egrienses et præpositum Orodiensem.

15 decemb. 1220.

[Theiner, Mon. Hungariæ, I, 28, n. 24.]

Illis mandat, ut episcopum Varadiensem ad satisfaciendum episcopo Cenadiensi adigant.

Honorius episcopus, etc., dilectis filiis... abbati et... priori Egriensi et... præposito Orodiensi Cenadiensis diœcesis, salutem, etc.

Ex insinuatione venerabilis fratris... Cenadiensis episcopi nobis innotuit, quod cum ipse in reditu peregrinationis suæ a translatione corporis beati Thomæ martyris Cantuariensis per Papiensem transierit civitatem, G. et I. fratres, ac eorum socii, cives Papienses, ipsum equis, pecunia et rebus aliis, quia venerabilis frater noster, Waradiensis episcopus quamdam mutuo ab eis receperit summam pecuniæ, sicut apparebat in publico exinde instrumento confecto, nec de ipsa, ut ipsi dicebant, satisfecerat, spoliarunt. Unde pro eodem Cenadiensi episcopo nobis fuit humiliter supplicatum, ut dignaremur, quod indemnis conservari debeat, providere. Cum autem illius res in hujusmodi casu in prædicti episcopi Waradiensis solutionem cesserint debitorum, eidem nostris dedimus litteris in mandatis, ut præfato episcopo Cenadiensi satisfactionem de rebus suis sic ablatis exhibeat competentem, ut per ipsum conservetur indemnis, qui pro ipso rerum suarum sustinuit detrimentum.

Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus episcopus, quod mandamus, neglexerit adimplere, vos super hoc, quod justum fuerit, sublato appellationis impedimento, statuere minime postponatis, facientes quod statueritis auctoritate nostra firmiter observari. Testes, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum Laterani, XVIII kal. januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXXXIX

Ad Brechinensem et Sancti Andreæ episcopos, ac ad abbatem de Scona S. Andreæ diœcesis.

15 decemb. 1220.

[Theiner, Mon. Hibern. et Scotor., 18, n. 42.]

Sancti Andreæ et Brechinensi episcopis, ut si legatus Sedis Apostolicæ in regno Scotiæ non fuerit, ipsi cum Thonia clerico regis dispensent ad plura beneficia obtinenda.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus... Sancti Andreæ et... Brechinensis episcopis, et dilecto filio... abbati de Scona, Sancti Andreæ diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Qui bene meritos cupimus invenire, libenter honoramus inventos, ut virtus meritorum dignis præmiis comitata, clarior elucescens lætos suos efficiat possessores, et et alios ad bonorum actuum studia efficaciter exhortentur. Sane cum olim fuerit in concilio Lateranensi, quod et postmodum in generali extitit renovatum, ut nullus diversas dignitates ecclesiasticas, aut plures parochiales ecclesias reciperet contra sacrorum canonum instituta : ita tamen quod circa sublimes et litteratas personas possit super hoc per Sedem Apostolicam dispensari, nullus carissimus in Christo filius noster..., rex Scotorum illustris, et quidam ecclesiarum prælati suis nos litteris suppliciter exorarunt, ut cum dilectus filius Thomas de Striuelen clericus suus, cui vitæ honestas et talentum scientiæ laudabiliter suffragantur, non habeat, unde honeste valeat sustentari, ut plura hujusmodi beneficia recipere valeat, dignaremur cum eo misericorditer dispensare. Nos igitur bonis benefacere cupientes, dilecto filio magistro Jacobo, capellano et pœnitentiario nostro, Apostolicæ Sedis legato, nostris dedimus litteris in mandatis, ut personæ meritis provide circumspectis, dispenset super hoc auctoritate nostra cum eo, prout secundum Deum viderit expedire. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si legatus in regno Scotiæ inventus non fuerit, vos id, sublato appellationis obstaculo, auctoritate Apostolica efficere procuretis. Quod si non omnes, etc.

Datum Laterani, XVIII kalendas januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXL

Ad episcopum Ambianensem.

15 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 259. Mss. La Porte du Theil.]

Tres novos personatus in Ambianensi ecclesia ab ipso institutos, auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., venerabili fratri... Ambianen. episcopo.

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Sane quum sicut te referente didicimus, ad augmentandum ecclesiæ Ambianen. honorem tres de novo personatus, præcentorem videlicet, magistrum scholarum et pœnitentiarium de... decani et capituli tui assensu institueris in eadem, comparentibus ad hæc redditibus assignatis. Nos tuis justis precibus annuentes, quod a te super hoc provide ac utiliter factum est auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani XVIII kalendas januarii anno quinto.

CXLI

Ad præcentorem, scholasticum et Joh. de Cruce canonicum Ambianenses.

15 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 260. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut Laurentium capellanum domus leprosorum, adversus leprosos, qui eum, cum ipsis habitare et comedere cogere prætendebant, tueantur ac defendant.

Honorius, etc., dilectis filiis, præcentori, scolastico et Joh. de Cruce canonico Ambianen.

Laurentius, capellanus domus leprosorum de Harenis, sua nobis insinuatione monstravit, quod cum ipse infra domus ipsius ambitum separatum a leprosis habere debeat habitaculum et sufficientem sustentationi suæ percipere de suis proventibus portionem, leprosi domus ejusdem ipsum ut habitet cum eis et comedat cogere contra justitiam moliuntur. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus leprosos eosdem ab hujusmodi coactione cessare, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani XVIII kalendas januarii pontificatus nostri anno quinto.

CXLII

Ad Johannem Paganello canonicum Lexoviensem.

15 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 319. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut de duobus beneficiis quæ ipsi offerebantur alterum quod maluerit recipere possit.

Honorius, etc., dilecto filio Johanni Paganello canonico Lexovien., salutem, etc.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum duo beneficia habentia curam animarum annexam tibi ad præsens canonice offerantur, ea tibi recipere de nostra permissione liceret, quum ejus litteraturæ, ac nobilitatis existas, ut dignus gratia hujusmodi habearis. Quia igitur tibi laudabile testimonium perhibetur, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut non obstante constitutione Concilii generalis, prædictorum beneficiorum alterum quod malueris recipias et retineas libere, ac licenter. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis, etc. Si quis, etc. Datum Laterani XVIII kalendas januarii anno quinto.

CXLIII

Ad Hermannum, magistrum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani et ad ejus fratres.

15 decemb. 1220.

[Strehlke, Tab. ord. Theut., 275, n. 306.]

Privilegium ad hospitalem domum Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Hierosolyma.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hermanno, magistro religiosæ fraternitatis hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris in perpetuum.

Etsi neque qui plantat neque qui rigat sit aliquid, sed qui incrementum dat, Deus, humana tamen diligentia impensioris curæ sollicitudinem debet impendere circa plantas, quæ adhuc novellæ fructus uberes offerunt et uberiores suo tempore repromittunt. Cum igitur vestræ religionis novella plantatio flores et fructus odoris et honestatis tempestiva fœcunditate produxerit, et Deo incrementum dante sic incœperit expandere ramos suos, ut uberrimam fructuum copiam promittere videatur; nos, qui custodes in Dominica vinea positi et cul-

tores circa virtutum plantaria debemus diligentioris culturæ ac curæ studium adhibere, novellam plantationem vestram rore Apostolicæ gratiæ irrigare proponimus et fœcunditatem bonorum operum, qua viget ad præsens et vigebit divina favente gratia in futurum, vigilantis curæ impendio adjuvare. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et domum vestram seu hospitale, in quo estis ad Dei laudem et gloriam atque defensionem suorum fidelium et liberandam Christi Ecclesiam congregati, cum omnibus possessionibus et bonis suis, quæ in præsentiarum legitime habere cognoscitur aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut perpetuis futurisque temporibus sub Apostolicæ Sedis tutela et defensione consistant. Statuimus etiam, ut ordo fratrum Hospitalis Hierosolymitani circa pauperes et infirmos, ordo vero fratrum militiæ Templi circa clericos et milites ac alios fratres juxta institutionem domus vestræ perpetuis ibidem temporibus observetur. Ad hæc statuimus, ut, cum pro tuenda catholica Ecclesia et ea, quæ est sub paganorum tyrannide, de ipsorum spurcitia eruenda intrepide laboretis, liceat vobis libere in usus vestros convertere ea, quæ de spoliis ipsorum ceperitis paganorum; et, ne de his contra velle vestrum portionem alicui dare cogamini, prohibemus. Præsenti quoque decreto sancimus, ut fratres in domo vestra Deo servientes caste et sine proprio vivant et professionem suam dictis et moribus comprobantes magistro suo aut quibus ipse præceperit subjecti et obedientes existant. Præterea, quemadmodum domus ipsa vestræ sanctæ institutionis et ordinis fons et origo esse promeruit, ita omnium locorum ad eam pertinentium caput et magistra in perpetuum habeatur. Ad hæc adjicientes præcipimus, ut, obeunte te in Domino, fili Hermanne, domus jam dictæ magister, vel tuorum quolibet successorum, nullus ejusdem domus fratribus præponatur nisi militaris et religiosa persona, quæ vestram religionem et habitum sit professa, nec ab aliis nisi ab omnibus fratribus insimul vel a majori et saniori eorum parte, qui præponendus fuerit, eligatur. Porro nulli ecclesiasticæ sæcularive personæ infringere vel minuere liceat consuetudines ad vestræ religionis et officii observantiam a magistro et fratribus salubriter institutas. Easdem quoque consuetudines a vobis aliquanto tempore observatas et scripto firmatas, nisi ab eo, qui magister extiterit, consentiente tamen saniori parte capituli, non liceat immutari.

Prohibemus insuper et omnimodis interdicimus, ne ulla ecclesiastica sæcularisve persona a magistro et fratribus ejusdem domus exigere audeat fidelitates, hominia, juramenta seu securitates reliquas, quæ a sæcularibus frequentantur. Fratribus quoque vestris post factam in domo vestra professionem et habitum religionis assumptum revertendi ad sæculum omnem interdicimus facultatem nec alicui eorum fas sit post factam professionem et semel assumptam crucem habitum vestræ professionnis abjicere vel ad alium locum majoris sive minoris religionis obtentu invitis sive inconsultis fratribus aut eo qui magister extiterit migrare; nullique ecclesiasticæ sæcularive personæ ipsos suscipere liceat vel tenere. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, de possessionibus habitis ante Concilium generale, seu de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Ad hæc decimas quas consilio et assensu episcoporum de manu clericorum vel laicorum habere poteritis, quasve consentientibus episcopis et eorum clericis acquiretis, auctoritate vobis Apostolica confirmamus. Ut autem vobis ad curam animarum vestrarum et salutis plenitudinem nihil desit atque sacramenta ecclesiastica et divina officia vestro sacro collegio commodius valeant exhiberi, sancimus, ut liceat vobis honestos clericos et sacerdotes secundum Deum quantum ad vestram scientiam ordinatos undecumque ad vos venientes suscipere et tam in principali domo vestra quam etiam in obedientiis et locis subditis vobiscum habere, dummodo, si e vicino sint, eos a propriis episcopis expetatis, iidemque nulli alii professioni vel ordini obnoxii teneantur. Quodsi episcopi eos vobis concedere forte noluerint, nihilominus tamen eosdem suscipiendi

vel retinendi auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ licentiam habeatis. Si vero aliqui horum post factam professionem turbatores vestræ religionis aut domus fuerint fortassis inventi, liceat vobis eos cum saniori parte capituli amovere ipsisque transeundi ad alium ordinem, ubi secundum Deum vivere velint et valeant, dare licentiam, et loco ipsorum alios idoneos subrogare, qui etiam unius anni spatio in vestra societate probentur, eoque peracto, si eorum exegerint mores et utiles fuerint ad servitium domus vestræ inventi, tunc demum professionem faciant regularem, promittentes se regulariter vivere ac magistro proprio obedire, ita tamen quod eumdem vobiscum victum habeant et vestitum necnon lectisternia, hoc excepto quod clausa vestimenta portabunt. Sed nec ipsis liceat de capitulo vel cura domus vestræ se temere intromittere, nisi quantum fuerit eis a vobis injunctum.

Præterea nulli personæ extra vestrum capitulum sint subjecti, tibique, dilecte in Domino fili magister, tuisque successoribus tanquam magistro ac prælato suo deferant secundum vestri ordinis instituta. Consecrationes vero altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, et cætera ecclesiastica sacramenta a diœcesanis suscipietis episcopis, siquidem catholici fuerint et gratiam atque communionem Sedis Apostolicæ habuerint et ea gratis et absque pravitate aliqua vobis voluerint exhibere; alioquin liceat vobis catholicum quemcumque malueritis adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate quod postulatur impendat. Si quando vero loca deserta fuerint eidem venerabili domui ab aliquo pia devotione collata, liceat vobis ibidem ædificare villas, ecclesias et cœmeteria ad opus hominum ibidem manentium fabricare, ita tamen ut in illa vicinia abbatia vel religiosorum virorum collegium non existat, quæ, ob hoc, valeat perturbari. Cum autem terræ cultæ vobis quolibet justo titulo conferentur, facultatem et licentiam habeatis ibidem ad opus transeuntium et eorum tantum, qui de mensa vestra fuerint, construendi oratoria et cœmeteria faciendi; est enim indecens et periculo proximum animarum, religiosos fratres occasione adeundæ ecclesiæ se virorum turbis et mulierum frequentiæ immiscere. Quicumque sane in vestro collegio suscipientur, stabilitatem loci, conversionem morum seque militaturos Domino diebus vitæ suæ sub obedientia magistri vestri, posito scripto super altare, in quo contineantur ista, promittant. Decernimus ergo, ut receptores vestrarum fraternitatum sive collectarum, salvo jure dominorum suorum, in beati Petri et nostra protectione consistant et pace in terris, quibus fuerint, potiantur. Simili quoque modo sancimus, ut his, qui fuerint in vestra fraternitate recepti ita, quod ordini vestro adhuc manentes in seculo sint oblati, mutato habitu seculari vel vobis inter vivos dederint bona sua retento sibi quamdiu in seculo vixerint usufructu, si forsan ecclesiæ ad quas pertinent a divino fuerint officio interdictæ ipsosque mori contigerit, sepultura ecclesiastica non negetur apud vestras vel aliorum non interdictas ecclesias, quibus elegerint sepeliri, nisi excommunicati vel nominatim fuerint interdicti; tales quoque confratres, si eos ecclesiarum prælati non permiserint apud suas ecclesias sepeliri, apud vestras ecclesias deferre possitis tumulandos. Præterea, si qui fratrum vestrorum ad recipiendum easdem fraternitates vel collectas a vobis missi fuerint in quamlibet civitatem, castrum vel villam, in eadem civitate, castro vel villa una tantum ecclesia ipsius ordinis fratribus in eorum jucundo adventu semel aperiatur in anno, ut exclusis excommunicatis et nominatim interdictis divina ibidem officia celebrentur.

Statuimus etiam, ut nulli episcopo in ecclesiis vobis utroque jure subjectis interdicti vel excommunicationis sententiam liceat promulgare; verumtamen, si generale interdictum terræ fuerit in locis illis prolatum, exclusis excommunicatis et nominatim interdictis, clausis januis absque signorum pulsatione plene divina officia celebretis. Decernimus insuper auctoritate Apostolica, ut, apud quemcumque locorum vos venire contigerit, ab honestis atque catholicis sacerdotibus postremam unctionem seu quælibet alia ecclesiastica sacramenta vobis suscipere liceat, ne forte ad perceptionem spiritualium bonorum aliquid vobis desit. Quia vera omnes unum sumus in Christo et non est personarum differentia apud Deum, tam remissionis peccatorum quam alterius beneficentiæ atque Aposto-

licæ benedictionis, quæ vobis indulta est, tam familiam vestram quam vestros participes esse volumus servientes. Nulli ergo omnino hominum liceat prædictum locum temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, imminuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur vestris atque aliorum Dei fidelium usibus omnimodis profutura, salva in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Si quis igitur hujus nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Conservantes autem hæc omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus benedictionem et gratiam consequantur. Amen, amen, amen.

Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Guido Prænestinus episcopus subscripsi.

Ego Hugo Hostiensis et Veletrensis episcopus subscripsi.

Ego frater Nicolaus Tusculanus episcopus subscripsi.

Ego Leo tituli sanctæ crucis in Hierusalem presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Guala sancti Martini presbyter cardinalis tituli Equitii subscripsi.

Ego Gregorius tituli sanctæ Anastasiæ presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Thomas tituli sanctæ Sabinæ presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Guido. S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Otto sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius sancti Theodori diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Rainerius sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Stephanus sancti Adriani diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Petrus S. Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Laterani per manum Willelmi sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, XVIII kal. januarii, indictione IX, Incarnationis Dominicæ anno 1220, pontificatus domini Honorii papæ III anno quinto.

CXLIV

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, archidiaconos et alios ecclesiarum prælatos.

16 decemb. 1220.

[Strehlke, Tabulæ Theutonici ord., 280, n. 307.]

Jubet Honorius violatores ad domos ordinis Theutonici pro salute confugientium censura ecclesiastica coerceri.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad nos ex conquestione religiosorum virorum, fratrum hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, quod, cum aliqui ad domos eorum pro salute sua se transferunt aut res suas deponunt, hostes eorum infra ambitum domorum ipsarum eos et res suas, Dei reverentia et timore postposito, capiunt et captos incarcerant et ad redemptionem compellunt. Quoniam igitur id indignum est penitus et absurdum et fidelium saluti prorsus contrarium, universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus universis generaliter sub excommunicationis interminatione prohibere curetis, ne qui in illos, qui ad domos prædictorum fratrum pro salute sua confugiunt, vel in res eorum infra ambitum domorum ipsarum manus injiciant violentas. Si qui autem nostræ prohibitionis fuerint transgressores, ipsos, contradictione et appellatione cessante, vinculo anathematis astringatis et faciatis usque ad satisfactionem condignam sicut excommunicatos ab omnibus arctius evitari. Provideant tamen fratres, ut homicidis et pestilentibus hominibus ad dispendium pacis atque justitiæ sub hac indulgentia nisi forte intercedendo præsidium non impendant. Datum Laterani XVII kalend. januarii pontificatus nostri anno quinto.

CXLV

Ad abbatem et conventum monasterii Floriacensis.

18 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, ep. 265. Mss. La Porte du Theil.]

Recipiuntur sub protectione beati Petri, cum enumeratione bonorum, et confirmatione privilegiorum ad eos spectantium.

Honorius, etc., dilectis filiis Bartholomæo abbati monasterii Floriacen. Sancti Benedicti, quod super Ligerim situm est, ejusque fratribus tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Quoties illud a nobis petitur, quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet licenti concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertire. Eapropter, dilecte in Domino fili Bartholomæe abbas, tuis justis postulationibus debita benignitate gratum impertientes assensum, præfatum monasterium, in quo sicut felicis memoriæ Eugenii, Adriani et Alexandri et aliorum prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum testantur privilegia gloriosi confessoris Christi Benedicti corpus requiescere creditur, cui etiam, Deo auctore, præesse dignoscens sub B. Petri apostolorum principis, cujus juris esse dignoscitur et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam in ipso monasterio institutus, etc. *usque* observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum, etc. *usque* illibata permaneant. In quibus hæc, etc., *usque* vocabulis. Parochialem ecclesiam de Floriaco, ecclesiam de Giliaco, ecclesiam de Figiaco, ecclesiam de Germiniaco, ecclesiam de Habett, ecclesiam Sancti Martini de Hair, ecclesiam Sancti Iterii de Saliaco, ecclesiam Sancti Germani, ecclesiam de Dompna Petra, ecclesiam Sanctorum Martyrum Gervasii, et Protasii. In civitate Aurelianen., ecclesiam Sancti Benedicti, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Castello Novo, ecclesiam de Vitriaco, ecclesiam de Filiaco, ecclesiam de Bolziaco, ecclesiam de Bulliaco, ecclesiam de Bosonisvilla, ecclesiam de Carevilla, ecclesiam de Curalastro, ecclesiam Sancti Aniani de Lonrejo, ecclesiam de Belgiaco, ecclesiam Sancti Aniani juxta Soliacum, cum ecclesiis et omnibus ad eam pertinentibus, ecclesiam de Baldrisi villare, ecclesiam de Cerdon, ecclesiam de villa Mulna, ecclesiam de Brajo. In archiepiscopatu Senonen., ecclesiam Sancti Petri de Stampis, ecclesiam Sancti Symphoriani, ecclesiam de Maceriis, ecclesiam de Bussedello, ecclesiam Sancti Petri de Dusione, ecclesiam de Monte Barresio, ecclesiam de Curte Matrimacen., ecclesiam de Usseto, ecclesias de Lorriaco, Sanctæ Mariæ et Sancti Sulpitii, ecclesiam de Castaneto, ecclesiam de Monasteriolo, ecclesias de veteribus domibus, ecclesiam de Catalecta, ecclesiam de Draciaco, ecclesiam de villare Sancti Benedicti, sicut ab Henrico Senonen. archiepiscopo vobis, et monasterio vestro rationabiliter concessa est, et scripto suo confirmata, ecclesiam de Primejo.

In episcopatu Carnoten., ecclesiam de Marulfivilla, ecclesiam de Semivilla, ecclesiam de Altom, ecclesiam de Sumcampo, ecclesiam de Vinolio. In episcopatu Autissiodoren., ecclesiam Sancti Petri Giemenen. cum ecclesiis, et omnibus ad eam pertinentibus, ecclesiam de Vilson. In archiepiscopatu Bituricen., ecclesiam S. Petri de Castello Novo cum ecclesiis, et omnibus ad eam pertinentibus, ecclesiam Sancti Martini de Sacro Cruore cum ecclesiis et omnibus ad eam pertinentibus, ecclesiam Sancti Benedicti Salen. cum ecclesiis, et omnibus ad eam pertinentibus, ecclesiam de Capite Cervio, ecclesiam Sancti Mauritii de Castellione, ecclesiam de Valliaco, ecclesiam Monasterioli, ecclesiam Sanctæ Mariæ, de Sancto Bricio, ecclesiam Sancti Martini, ecclesiam Sancti Petri de Poliaco, ecclesiam de Vinetinio cum capella Sancti Johannis, ecclesiam de Corcæ. In episcopatu Eduen., ecclesiam de Dompna Petra, ecclesiam Sancti Benedicti de Parrichiaco, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Fontanis cum ecclesiis et omnibus ad eam pertinentibus.

In episcopatu Vasaten., ecclesiam Sancti Petri de Regula cum ecclesiis, et omnibus ad eam pertinentibus. In episcopatu Abrincen., ecclesiam Sancti Jacobi de Beveron cum ecclesiis et omnibus ad eam pertinentibus, ecclesiam Sancti Hilarii cum pertinentiis suis. In episcopatu Aquen., ecclesiam Sancti Mauri de Pontons cum ecclesiis et omnibus ad eam pertinentibus. In episcopatu Lingonen., ecclesiam Sancti Mauri de Diaco,

ecclesiam Vesambulæ, ecclesiam de Dompnemoniæ, ecclesiam de Meriaco. In episcopatu Trecen., ecclesiam Sancti Benedicti super Sequana, ecclesiam de Fegia, ecclesiam Sancti Benedicti Curtis Marivii. In episcopatu Belvacen., ecclesiam Sancti Petri Aimerici Curtis.

In archiepiscopatu Remen., ecclesiam Sancti Benedicti de Sorbone. In episcopatu Sagien., ecclesiam de Magniaco, ecclesiam de Perreja. Alias quoque ecclesias, et decimas, quas juste et canonice possidetis, vobis nihilominus confirmamus. Adjicimus etiam præterea præposituras Sancti Benedicti Aurelianen. de Stampis, de Curavilla, de Curte Matrimacen., de Aimerificurte, de Diaco, Castellione, de Villare, Sancti Benedicti cum earum pertinentiis, et burgum Sancti Benedicti cum tota valle. Quartam partem Furnorum de Lorriaco, a Ludovico rege Francorum juste vobis concessam, et scripto suo firmatam. Villam de Mentinges cum ecclesia, et terram Spicæmagnis a nobili viro Randulfo Cestren. comite legitime vobis et ecclesiæ vestræ concessam, et bonæ memoriæ Roberti Lincolnien. episcopi pagina roboratam.

Ad hæc, felicis memoriæ paparum Eugenii, Adriani et Alexandri antecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, sententiam, quam idem Eugenius inter vos, et nobilem virum Hilarium de Tussiaco super villa, quæ Villare dicitur, de consilio fratrum suorum, promulgasse dignoscitur, nos quoque auctoritate Apostolica confirmamus, et juxta continentiam privilegii ejus datam, in posterum decernimus permanere. Adjicientes etiam ut concessio illa, quam carissimus in Christo filius noster Ludovicus, illustris Francorum rex, de Castro Molineti vobis fecisse dignoscitur et scripto regio confirmasse, rata perpetuis temporibus et immobilis perseveret. Venditionem prætetere a Roberto de Molineto de tota terra, quam possidebat a strata publica, quæ a Lorriaco Sofiacum ducit usque ad Sanctum Benedictum, et de molendino cujus stagnum totumque Latifundium citra stratam illam a parte Sancti Benedicti, molendinum vero ipsum ultra stratam, assensu prædicti regis vobis et vestro monasterio factam, et ejusdem regio scripto firmatam, in suo statu perpetuo manere sancimus.

Sane de presbyteris, qui per parochias ad monasteria pertinentes, in ecclesiis constituuntur, prædecessoris nostri sanctæ recordationis Urbani papæ sententiam confirmamus, ut videlicet abbates, in parochialibus ecclesiis quas tenent episcoporum consilio, presbyteros collocent, quibus, si idonei fuerint, episcopi parochiæ curam cum abbatis consensu committant, ut hujusmodi sacerdotes de plebis quidem cura episcopo rationem reddant; abbati vero pro rebus temporalibus ad monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant, et sic cuique jura sua serventur. Prohibemus quoque ut, infra parochias ecclesiarum vestrarum, nullus ecclesias, vel capellas absque vestro assensu in damnum earum ædificare præsumat. Distractionem vero bonorum et possessionum ipsius monasterii contra Romana privilegia illicite factam evacuamus, eaque ad monasterium revocari censemus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, etc., *usque* providerint eligendam. Electus autem a Romano Pontifice, vel a quocumque voluerit catholico episcopo, benedicatur, nullusque de ordine sacerdotali, archiepiscopus scilicet, aut episcopus, aut etiam inferioris ordinis abbatem inquietare, nec contra voluntatem ipsius ad idem monasterium venire, aut aliquam ordinationem vel missas publicas celebrare præsumat.

Nulla etiam ecclesiastica sæcularisve persona idem monasterium, vel ejus pertinentias invadere, vel minuere, aut in quoquam molestare, nec subjectas illi personas sine voluntate abbatis distringere audeat. Ad hæc adjicientes statuimus, ut in communi interdicto liceat vobis in ipso beati Benedicti monasterio divina officia celebrare; ita tamen ut interdicti vel excommunicati nullatenus admittantur; fratribus autem qui in locis suis vivere regulariter nequeunt, studio meliorandæ vitæ ad ipsum ducem monachorum confugere liceat donec in suis religio reformetur. Si vero abbas, vel monachus de eodem monasterio ad ecclesiasticam dignitatem promotus fuerit, non illic habeat alterius potestatem remorandi, aut aliquid ordinandi. Interdicimus etiam ne feuda, quæ de vestro tenentur monasterio ad alias ecclesias absque vestro assensu transeant, et nec ipse abbas, nec aliqua persona possessiones ipsius monasterii in potestate alterius possit redigere, sicut prædecessoris

nostri bonæ memoriæ Leonis papæ privilegio continetur. In ligandis vero, sive solvendis viris, et mulieribus tui ordinis tibi subditis, eam potestatem habeas, quam prædecessores tui a Sede Apostolica habuisse noscuntur. Monachos vero ipsius congregationis nullus contra regulam retinere præsumat. Quidquid etiam immunitatis, et libertatis seu dignitatis tam in supradictis, quam in aliis a Romanis pontificibus sive a regibus eidem venerabili loco rationabiliter concessum est, et scriptis eorum firmatum, nos quoque concedimus, et præsentis scripti pagina roboramus. Decernimus ergo, etc., *usque* profutura. Salva Sedis Apostolicæ auctoritate in diœcesanorum episcoporum canonica justitia, in omnibus ecclesiis ad supradictum monasterium pertinentibus. Si qua igitur in futurum, etc. Cunctis autem, etc. Datum Laterani, per manum Guillelmi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, XV kalendas januarii, indictione XIX, Incarnationis Dominicæ anno MCCXX, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno quinto.

CXLVI

Ad præpositum et canonicos S. Thomæ.

18 decemb. 1220.

[Gersdorf, Cod. diplom. Saxon., IX, 6.]

Sub beati Petri et sua protectione suscipit canonicos et bona ecclesiæ S. Thomæ in Leipzig.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis V. præposito et canonicis Sancti Thomæ in Leipzig, ordinis Sancti Augustini, salutem, etc.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et, ne pravorum hominum molestiis agitentur eos, tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem ecclesiam parochialem Sancti Nicolai in Lipz. cum pertinentiis suis, sicut eam juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XV kalend. januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXLVII

Ad priorem et conventum ecclesiæ Cantuariensis.

18 decemb. 1220.

[Raynaldi, Annal. Ecclesiast. ad annum 1220, § 45.]

Decernit indulgentiam quadraginta dierum concessam convenientibus ad translationem corporis sancti Thomæ Cantuariensis perpetuis temporibus valituram.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, priori et conventui ecclesiæ Cantuariensis, salutem.

Cum, sicut vobis referentibus intelleximus, archiepiscopi, et episcopi, qui ex diversis locis ad translationem corporis ipsius martyris convenerunt, accessuris infra quintum decimum diem ad solemnitatem translationis ejusdem, quibus nos ipsi dies relaxavimus quadraginta de injunctis eis pœnitentiis, diversas remissiones duxerint faciendas, vestris nos precibus inclinati, quod super hoc a nobis, et ipsis factum est decernimus, quoad unius anni, et prædictorum quadraginta dierum remissionem, perpetuis temporibus valituram. Datum Laterani, XV kalendas januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXLVIII

Ad Robertum Vesprimiensem episcopum.

18 decemb. 1220.

[Theiner, Monum. Hungar., I, 26, n. 45.]

De jure reginæ Hungariæ coronandi.

Honorius episcopus, etc., venerabili fratri... Vesprimiensi episcopo, salutem, etc.

Ea quæ concordia vel judicio terminantur, firma debent et illibata consistere, et ne in recidivæ conventionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit præsidio communiri. Ex parte siquidem tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut diffinitivam sententiam, quam venerabilis frater noster P. Albanensis episcopus, Apostolicæ Sedis

legatus, et dilectus filius S. Basilicæ duodecim Apostolorum presbyter card., quos bonæ memoriæ I...... papa prædecessor noster tibi et venerabili fratri nostro..... Strigoniensi archiepiscopo concesserat auditores, super jure coronationis et injunctionis reginarum Hungariæ, abbatiis et præposituris regalibus Vesprimiensis diœcesis et rebus aliis pro te contra eumdem archiepiscopum rationabiliter promulgarunt, Apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur tuis justis precibus inclinati, sententiam ipsam justitia exigente prolatam, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XV kalendas januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXLIX

Ad Errardum episcopum Ambianensem.

20 decemb. 1220.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 713; Regest., lib. V, epist. 274.]

Illi concedit licentiam, ut personis ecclesiasticis diœcesis suæ olim excommunicatis quod vicesimam non persolverint, nunc solvere paratis, beneficium absolutionis impendat.

Honorius episcopus..... venerabili fratri episcopo Ambianensi, salutem, etc.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum abbatibus, prioribus et aliis ecclesiasticis personis tuæ diœcesis, si quæ forsitan excommunicationis sunt vinculo innodatæ, pro eo quod, juxta generalis statuta Concilii, vicesimam statutis terminis vel cum integritate debita minime persolverunt, ac illis etiam qui, tali excommunicatione ligati, divina præsumpserunt officia celebrare, præsertim cum vicesimam ipsam integre solvere sint parati, dispensandi tibi licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, tuis devotis precibus inclinati, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus abbatibus, prioribus et aliis supradictis, præfatam vicesimam cum integritate solventibus, in Terræ Sanctæ subsidium transmittendam, beneficium absolutionis impendas; cum iis nihilominus qui hac de causa vinculo excommunicationis adstricti divina præsumpserunt officia celebrare, de misericordia, quæ superexaltat judicio, auctoritate Apostolica dispensando. Datum Laterani, XIII kal. januarii, anno quinto.

CL

Ad archiepiscopum Rothomagensem.

20 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 292. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat, ut quosdam monachos in monasterio Beccen. mediante vitio simoniæ ingressos, in obedientias istius monasterii removeat.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Rothomagen.

Dilecti filii abbas et conventus Beccen. nobis humiliter supplicarunt, quod cum quidam eorum fratres in eorum monasterium ingressum habuerint mediante vitio simoniæ, super hoc paterna providere sollicitudine dignaremur. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus illos qui taliter intraverunt monasterium memoratum in ipsius obedientiis colloces, nunquam (1) causa continue commorandi ad ipsum monasterium redituros. Datum Laterani, XII kal. januarii, pont. nostri anno quinto.

CLI

Ad episcopum Pictavensem.

21 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 321. Mss. La Porte du Theil.]

Ipsius ecclesiæ ordinationem ipsi soli committit.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Pictavien.

Quia sicut tua nobis exhibita petitio patefecit, cum tibi nostris dederimus litteris in mandatis, ut Pictaven. ecclesiam de personis idoneis de consensu majoris et sanioris partis capituli ordinares, singuli, quasi de capitulo proprium sequentes affectum, consanguineos suos in eadem ecclesia instituere moliuntur, carne sibi et sanguine revelante, nos, de tua discretione gerentes fiduciam pleniorem, ordinationem ipsius ecclesiæ tibi duximus committendam, fraternitatem tuam monentes attente, ac per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ecclesiam ipsam auctoritate nostra ita studeas de personis idoneis ordinare, ne

(1) *Forte :* quanquam non.

unde alios arguis arguaris, sed revelante Spiritu Sancto tua ordinatio Deo et hominibus debeat complacere. Contradictores autem si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescas. Datum Laterani, duodecimo kalendas januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLII

Ad priorem Sancti Victoris Parisiensis.

22 decemb. 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist. XIX, 714; Regest., lib. V, epist. 286.]

Blanchæ, conjugi Ludovici, regis Philippi primogeniti, quum pro liberorum suorum incolumitate pia mater multa vota emisisset, timeretque ne quodquam ex ipsius memoria elaberetur, concedit Honorius ut vota in alia misericordiæ opera convertantur.

Honorius episcopus... dilecto filio priori Sancti Victoris Parisiensis, salutem, etc.

Postulavit a nobis dilecta in Christo filia Blancha uxor dilecti filii nostri (primogeniti) Ph., regis Francorum illustris, ut, cum timeat ne vota diversa quæ in suorum emisit infirmitatibus filiorum, diuturnitate temporis ab ipsius memoria elabantur, animæ suæ saluti videre super hoc misericorditer dignaremur. Nos igitur, ipsius nobilis devotis precibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, ejus confessione plenius intellecta, vota præfata in alia opera misericordiæ commutare procures. Datum Laterani, XI kal. januarii, anno quinto.

CLIII

Ad abbatem Sancti Leodegarii et priorem de Veteri Partenaio.

22 decemb. 1220.

[Bouquet, loc. cit., p. 714; Regest., lib. V, ep. 290.]

Willelmo de Rupibus, Andegavensi senescallo, infestante Angliæ regis castrum de Rupeforti ad Ligerim, mandat Honorius ut Willelmus destruere castellum, quod adversus Angliæ regem erexerat, jubeatur; dein, si parere mandatis neglexerit, per censuram ecclesiasticam cohibeatur.

Honorius episcopus... dilectis filiis abbati Sancti Leodegarii et priori de Veteri Partenaio, Xantonensis et Pictavensis diœcesum, et subdecano Pictav., salutem, etc.

Gravem ad nos carissimus in Christo filius noster Henricus, rex Anglorum illustris, querimoniam destinavit, quod nobilis vir Willelmus de Rupibus, senescallus Andegaviæ, in proprio fundo regis ejusdem prope castrum de Rupeforti quoddam castrum violenter erexit, contra treugas initas inter claræ memoriæ patrem regis ipsius, et carissimum in Christo filium nostrum regem Francorum illustrem, temere veniendo; nec his contentus, illos qui sunt in prædicto castro de Rupeforti jam adeo coarctavit, quod nec inde audent exire, nec possunt sibi aliunde in victualibus providere. Nolentes igitur tantam regis ejusdem injuriam æquanimiter tolerare, qui potius tanquam propriam debemus prosequi causam ejus, quum crucesignatus, orphanus et custodiæ Sedis Apostolicæ derelictus, sub nostra protectione consistit, prædictum nobilem rogandum duximus et monendum, nostris sibi dantes litteris in mandatis, ut, castrum ipsum in præjudicium regis erectum penitus destruens, a vexatione hominum castri de Rupeforti omnino desistat. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, si dictus nobilis quod mandavimus neglexerit adimplere, vos eum ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Venerabilibus quoque fratribus nostris archiepiscopo Turonensi et suffraganeis suis, et dilectis filiis abbatibus et aliis ecclesiarum prælatis in Turonensi provincia constitutis, dirigimus scripta nostra, ut quotiens a prædicto rege fuerint requisiti, eum ad id spirituali et temporali districtione compellant. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XI kal. januarii, anno quinto.

CLIV

Ad Nicolaum clericum Tullensem.

23 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 293. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut præter beneficia quæ tum possidebat, aliud etiam possit obtinere.

Honorius, etc., dilecto filio Nicolao clerico Tullensi.

Cum ita de moribus et scientia commenderis, ut dignus gratia Sedis Apostolicæ habearis, nos venerabilis fratris nostri... episcopi Tullen. et tuis precibus inclinati, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut non obstante constitutione Concilii generalis præter beneficia, quæ nunc habes, tibi liceat adhuc unum recipere, si tibi canonice offe-

ratur. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, X kalendas januarii, anno quinto.

CLV

Ad episcopum Tullensem.

23 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 287. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut fructus beneficiorum diœcesis suæ infra triennium vacantium, biennio retinere possit ad extenuationem debitorum ecclesiæ suæ.

Honorius, etc., venerabili fratri Tullen. episcopo.

Quia episcopatus tuus tanto premitur onere debitorum aliquo remedio subveniatur eidem, extrema timeatur ei desolatio imminere, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut fructus beneficiorum tuæ diœcesis vacaturorum infra triennium tibi liceat biennio retinere in extenuationem debitorum hujusmodi convertendos, ita tamen quod interim ecclesiis in quibus beneficia ipsa vacare contigerit, per idoneos facias vicarios deserviri. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, X kalendas januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLVI

Ad priorem Hospitalis Hierosolymitani in Francia.

23 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 282. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem retinendi in suo Hospitali H. monachum egressum e monasterio ordinis Sancti Benedicti.

Honorius, etc., dilecto filio priori Hospitalis Hierosolymitani in Francia.

Devotionis tuæ precibus inclinati, H. presbyterum qui, ut asseris, cum olim tempore juventutis monasterium ordinis Sancti Benedicti per simoniacam pravitatem ingressus et pluribus annis conversatus ibidem, postmodum de consilio diœcesani sui monasterium ipsum exiens cum litteris diœcesani ejusdem, ut ad aliud monasterium se transferret, recepit habitum Hospitalis, in quo studet laudabiliter Domino famulari, tibi retinendi liberam, ex dispensationis nostræ gratia, licentiam indulgemus. Datum Laterani, X kal. januarii, anno quinto.

CLVII

Ad eumdem.

23 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 286. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem J. subdiaconum e monasterio canonicorum regularium egressum in hospitali suo retinendi.

Honorius, etc., dilecto filio priori Hospitalis Hierosolymitani in Francia.

Devotionis tuæ precibus inclinati, magistrum J. subdiaconum, latorem præsentium, qui in monasterio canonicorum regularium, habitu religionis assumpto, postmodum monasterio ipso egressus ad religionem Hierosolymitani se transtulit Hospitalis, tibi retinendi liberam, ex dispensationis nostræ gratia, licentiam indulgemus. Datum Laterani, X kalendas januarii, anno quinto.

CLVIII

Ad abbates, priores, etc., per Tullensem provinciam constitutos.

24 decemb. 1220.

[Regest., lib. V, epist. 294. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit eis, ut facta contributione pro facultatibus singulorum medietatem debitorum episcopi Tullensis solvant.

Honorius, etc., dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, capitulis, universo clero civitatis, et diœcesis Tullen.

Etsi quorumlibet proximorum onera supportanda sint ab his, qui adimplere desiderant legem Christi, specialiter tamen a subditis supportari decet onera prælatorum, cum membra capiti debeant compati patienti. Sane Tullen. episcopatus tanto, sicut accepimus, premitur onere debitorum, ut nisi aliquo remedio subveniatur eidem, extremæ desolationis ei timeatur periculum imminere, cum debita ejus summam trium millium marcarum attingant, et jugiter augeantur, usurarum voragine redditus ejus pene penitus absorbente. Cum igitur huic necessitati communicare vos deceat et episcopi vestri onera supportare, universitatem vestram monendam duximus et hortandam per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus, facta contributione pro facultatibus singulorum, medietatem solvatis debiti prætaxati, ut sic dictus episcopus de hujusmodi debitorum pelago, per auxilium vestræ caritatis, emer-

gat, et onus, cui una cervix succumberet, suppositis multorum cervicibus sine gravi cujusquam læsione feratur. Scientes nos dilectis filiis... Derven. monasterii, et Belli Loci abbatibus et priori Derven. monasterii, Trecen. et Catalaunen. diœcesum, mandavisse, ut si qui, quod non credimus, exceptis exemptis, contingentem renuerint solvere portionem, ipse eos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellat. Datum Laterani IX kalend. januarii pontificatus nostri anno quinto.

Scriptum est super hoc eisdem abbatibus et priori ut supra, in eumdem fere modum, verbis competenter mutatis, *usque* læsione feratur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si qui dictorum abbatum, priorum et aliorum, exceptis exemptis, quod mandamus neglexerint adimplere vos eos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Quod si non omnes, etc. Datum ut supra.

CLIX

Ad abbatem Johannem Sancti Victoris Parisiensis.

28 decemb. 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 714; Regest., lib. V, epist. 317.]

Mandat Honorius ut pecunia quædam, apud Sancti Victoris monasterium nomine suo deposita, Romam transmittatur per manus prioris monasterii.

Honorius episcopus... dilectis filiis abbati et priori S. Victoris Parisiensis, salutem, etc.

Discretionem tuam monemus attente, per Apostolica scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus dilectum filium monasterii tui priorem ad nostram præsentiam sine dilatione transmittas, pecuniam apud monasterium tuum, nomine nostro depositam, per eum ad nos, diligentia qua convenit, transmissurus (1). Datum Laterani, IV kalendas januarii, anno quinto.

CLX

Ad Johannem regem Svetiæ.

29 decemb. 1220.

[Liljegren, Svenskt diplomat., I, 216, n. 200.]

Instante Svetiæ rege, ad eum mittit Honorius legatum Apostolicum Gregorium de Crescentio diaconum cardinalem.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio... regi Svetiæ illustri, salutem, etc.

Ecce juxta precum tuarum instantiam et promissionem nostram, misimus ad te dilectum filium nostrum Gregorium de Crescentio Sancti Theodori diaconum cardinalem, Apostolicæ Sedis legatum, virum utique prudentia et honestate conspicuum, et a nobis, inter alios fratres nostros, suis exigentibus meritis, specialiter carum, concesso sibi plene legationis officio per omnes terras, quæ tuæ jurisdictionis existunt, ut extirpet nociva, et plantet salubria, prout quæquæ secundum datam sibi a Deo prudentiam viderit facienda. Rogamus igitur regiam Celsitudinem, quatenus ipsum, quinimo verius, nos in ipso recipias hilariter, et honorifice tractes, ac a subditis tuis ei facias dignam honorificentiam exhiberi, ut devotio, quam te ad Apostolicam Sedem habere confidimus, clareat in effectu, et nos, et fratres nostri per hoc merito in tua caritate crescamus, idemque legatus, qui per se ac suos qui magnum locum in urbe obtinere noscuntur, grata tibi poterit vicissitudine respondere, ad tuam dilectionem perpetuis temporibus obligetur. Datum Laterani, IV kalendas januarii, pontificatus nostri anno quinto.

In eumdem modum eodemque die scriptum est ad Otakarum regem Bohemiæ, *pariter ac* Waldemarum Daniæ regem.

CLXI

Ad Consentinum archiepiscopum Bisiniacensem et alios prælatos.

29 decemb. 1220.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, 57.]

Mandat ut cum abbas Joachim de ordine Floris firmiter confessus sit se illam fidem tenere quam Romana teneat Ecclesia, faciant nuntiari, eum esse virum catholicum.

Ex parte dilectorum filiorum abbatum et conventuum de ordine Floris, tam capitis, quam membrorum, fuit propositum coram nobis, quod is, qui saluti hominum invidet, et quieti, occasione assumpta, ex eo, quod libellus, quem abbas Joachim contra bonæ memoriæ magistrum Petrum Lombardum edidit, in generali fuit Concilio condemnatus, contra eos nonnullos, tam clericos, quam

(1) Non est dubium quin ea pecunia in monasterio Sancti Victoris nomine Honorii deposita fuerit pro compensatione votorum illustris Blanchæ, de quibus agitur in epistola CLII superiori.

laicos, prælatos, et subditos, concitavit: qui, ut ipsos ab otio contemplationis avertant, et funes extendentes in laqueum pedibus eorumdem, ponant eis scandalum juxta iter, ipsis objiciunt exprobrando, quod idem abbas, qui pater et institutor fuit ordinis eorumdem, hæreticus ab Ecclesia Dei habetur: propter quod non solum simplices lactis participes, a consortio ejusdem ordinis avertuntur, sed etiam fortes, qui uti cibo solito didicerunt, et ad discretionem boni et mali exercitatos pro consuetudine habent sensus, circa instituta ejusdem ordinis incipiunt fluctuare. Licet igitur prædictus libellus, sive tractatus, condemnatus fuerit in Concilio memorato, quia tamen idem Joachim omnia scripta sua Romano mandavit Pontifici assignari, Apostolico judicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, cui propria manu suscripsit, in qua firmiter confessus, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ, disponente Domino, cunctorum fidelium mater est, et magistra, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publice nuntiari, quod eum virum catholicum reputamus, et regularem observantiam, quam instituit, salutarem, eos qui ordini memorato ex hoc detrahere, vel insultare præsumpserint, monitione præmissa, sublato appellationis obstaculo, castigantes. Datum Laterani, XIII kalendas januarii, anno quinto.

CLXII

Ad capitulum ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Hagbi.

31 decemb. 1220.

[Liljegren, Svenskt diplomat., I, 218, n. 202.]

Capitulo ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Hagbi confirmat suos redditus.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... præposito et capitulo ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Hagbi, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit et, ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in presentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem quatuordecim solidos vestræ monetæ quos habet ecclesia vestra in villa de Hagbi; sex solidos quos habet in villa de Horsmiraland, et duos denarios, villam quæ dicitur Forsa; medietatem villæ quæ vocatur Eca; sex solidos in eadem villa, pratum quod vocatur Jormusi; sex solidos et dimidium quos habet in villa de Hyldinki; sedecim solidos quos habet in villa de Muabro; septem solidos quos habet in villa de Phileth; sex solidos quos habet in villa de Ecabolsa; sex solidos quos habet in villa de Brunnun; duos solidos quos habet in villa de Scornemme; quatuor solidos quos habet in villa de Porsedre; octo solidos quos habet in villa Eulsta; duos solidos quos habet in villa de Siuwat; duos solidos quos habet in villa de Esta; quatuor solidos quos habet in villa de Vrebagert; duos solidos quos habet in villa de Olanum; duos solidos quos habet in villa de Paruetione; unum solidum quem habet in villa de Aduluste, unum solidum et quatuor denarios quos habet in villa de Huum; possessiones et redditus pia vobis fidelium devotione collatos ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ipsi ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, II kalendas januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXIII

Ad Vincentium archiepisc. Gnesnensem, abbates, priores et alios prælatos.

31 decemb. 1220.

[Theiner, Monumenta Poloniæ, I, 11, n. 24.]

Mandat eis ut honorifice pertractent Gregorium de Crescentio Sancti Theodori diaconum cardinalem, Apostolicæ Sedis legatum, quem ad eos destinat.

Honorius episcopus, servus servorum

Dei, venerabili fratri archiepiscopo Gnesnensi, et dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prælatis per ejusdem diœcesim constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Suscepti cura regiminis, quæ nos omnibus constituit debitores, exposcit, ut qui officium speculatoris assumpsimus, non solum ad prope positos, sed etiam ad longe positos nostræ sollicitudinis aciem extendamus, ac de agro Dominico studeamus extirpare plantaria vitiorum, ne forte illis per nostram incuriam excrescentibus nobis possit adaptari, quod legitur : *Per agrum hominis pigri transivi, et ecce urticæ repleverant eum, et operuerant faciem ejus spinæ.* Quia vero humanæ conditionis natura non patitur, ut per nos ipsos cuncta nobis imminentia exsequantur, exemplo ejus, qui cum ubique sit præsens, spiritus angelos suos facit, et in diversa ministeria mittit illos, aliis ea exsequenda committimus, quæ per nos ipsos exsequi non valemus, majora majoribus, prout ratio singulorum expostulat, committentes. Ut igitur in persona ejus, quem ad vos destinare curavimus, plenius agnoscatis, quam et quantam de vobis sollicitudinem habeamus, ecce mittimus ad vos dilectum filium nostrum Gregorium de Crescentio, Sancti Theodori diaconum cardinalem, Apostolicæ Sedis legatum, virum utique prudentia et honestate conspicuum, ac nobis, inter cæteros fratres nostros, suis meritis exigentibus, specialiter carum, commisso sibi plene legationis officio, et concessa sibi plenaria potestate, ut evellat et destruat, ædificet atque plantet, prout quæquæ, secundum datam sibi a Deo prudentiam, viderit facienda. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus ipsum, immo verius nos in ipso recipientes hilariter et honorifice pertractantes, eidem tanquam personæ nostræ intendatis et obediatis humiliter et devote, ac ipsius salubria monita et statuta irrefragabiliter observetis. Alioquin sententiam, quam rationabiliter tulerit in rebelles, præcipimus usque ad satisfactionem inviolabiliter observari.

Datum Laterani, II kalendas januarii, pontificatus nostri anno quinto.

In eodem modo scriptum est... archiepiscopo Upsallensi et suffraganeis ejus, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prælatis in Upsallensi provincia constitutis; archiepiscopo Lundensi, etc.; episcopo Pragensi, etc.; episcopo Olomucensi, etc.; episcopo Missinensi, etc.; episcopo Noscensi et abbatibus, etc.; episcopis Lubecensi, Razeburgensi, Sverinensi et Caminensi, etc.

(1) Legendum : *Jurando.*

CLXIV

Ad Raimundum Rogerii comitem Fuxensem.

31 decemb. 1220.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 701 ; Vaisset. t. III, prob. 269.]

Raimundum Rogerii, comitem Fuxensem, et filium ejus, Rogerium Bernardum, benigne hortatur Honorius, ut desistant favere hæreticis, et redeant ad Ecclesiæ unitatem, monetque caveant, ne abjudicetur eisdem Fuxense castrum in manus Ecclesiæ Romanæ commissum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, nobili viro comiti Fuxensi et filio ejus, spiritum consilii sanioris.

Exspectavimus, ut excommunicationis sententiam, culpis vestris exigentibus, in vos latam, aliquando tandem, de vestra salute solliciti, cogitantes, hæreticos fovere atque defendere cessaretis, et rediretis ad sinum Ecclesiæ matris vestræ; sed vos, tanquam filii alieni pugnantes pertinaciter contra eam, sic in ipsorum hæreticorum favore ac defensione persistitis, ut non solum defensores ipsorum, sed etiam ex ipsis non immerito existimari possitis. Licet igitur tanta fuerit contumaciæ vestræ duritia, ut juste jamdudum potuerimus contra vos severius processisse; adhuc tamen experiri volentes, utque blanda coercitio vos ad viam rectitudinis valeat revocare, nobilitatem vestram monemus, rogamus et obsecramus in Domino, per Apostolica scripta mandamus, quatenus infra mensem redeatis ad ecclesiasticam unitatem, præcise juratam (1) in manibus venerabilis fratris nostri (Conradi) Portuensis episcopi, A. S. legati, ac præstando alias idoneas cautiones, quod parebitis mandatis omnibus quæ nos, vel Papæ legatus, vobis duxerimus facienda, scientes quod, si sano usi consilio nostris acquisieritis (2) monitis et mandatis, nos eam curabimus erga vos mansuetudinem exhibere, quod cæterum gaudebitis vos Apostolicæ

(2) Legendum : Acquieveritis.

Sedis jugo humiliter submisisse; alioquin pro certo noveritis, quod per sententiam vobis, sine spe restitutionis, expresse abjudicabimus castrum Fuxense ac alias terras vestras, quum castrum ipsum in ecclesiæ nostræ commissum inciderit, et alias, secundum constitutionem Concilii generalis promulgatam contra hæreticos et eorum fautores, abjudicari vobis possit et debeat terra ipsa. Nec confidatis...(*Cætera desunt.*)

CLXV

Ad universos Christi fideles in Narbonensi provincia.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 699; Vaisset., t. III, prob. 267.]

Magis ac magis frigescentibus catholicorum conatibus adversus Tolosanos, fideles universos provinciæ Narbonensis excitat Honorius ad relevandum fidei negotium, personarum vel rerum auxilio, ut peccatorum suorum veniam salubri compendio mereantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, tam clericis quam laicis, in terra legationis venerabilis fratris nostri (Conradi) Portuensis episcopi, salutem et apostolicam benedictionem.

Aliquando altitudo cœlestis consilii, de his quæ mala videntur, bona frequenter eliciens, negotium fidei, pro quo in Provinciæ partibus tanto jam tempore laboratur, quasi de summo ad ima corruere occulto judicio, sed utique justo, permisit forsan in ejus revelationem, salutem prævidens plurimorum, qui, subveniendo ipsi negotio in personis aut rebus, peccatorum suorum veniam hoc salubri compendio merebuntur. Hortamur igitur unumquemque vestrum et obsecramus in Domino, ac in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus aggredientes viam veniæ, quam divina providentia vobis offert, ad subventionem dicti negotii vos indefesso studio accingatis, collectam interim vos, prout Dominus inspiraverit, facientes, ut ii qui ad dicti negotii subventionem nequiverint proficisci, proficiscantur saltem per piæ subventionis auxilium, secundum devotionis ardorem et subsidii quantitatem, consecuturi suorum veniam peccatorum. Ut autem collecta hujusmodi ad subventionem dicti negotii et salutem vestram magis meliusque procedat, scribimus venerabili fratri nostro C. (1) Portuensi episcopo, A. S. legato, ut ipse ad id curam specialem impendat; quare devotionem vestram monemus et exhortamur in Domino, ut tam sibi quam illis quos huic ministerio duxerit deputandos, pro divina reverentia et salute intendatis et acquiescatis humiliter et devote. (*Cætera desunt.*)

CLXVI

Ad Conradum, Portuensem episcopum card., A. S. legatum.

[Bouquet, Recueil des Hist., t. XIX, p. 700.]

Queritur Honorius quosdam episcopos in Provincia et prælatos alios favorem, consilium et auxilium hæreticis occulte impendere atque legato mandat ut delinquentes corrigat et puniat, excepto quod ad eorum exauctorationem manus non extendat absque speciali mandato.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri C. Portuensi episcopo, A. S. legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Non sine amaritudine mentis audivimus et recipimus, quod quidam episcopi, aliique prælati et ecclesiastici viri adversari fidei negotio non verentur, hæreticis eorumque fautoribus impendendo favorem, consilium et auxilium, nunc publice vel occulte: quos si Sedis Apostolicæ reverentia, quæ tantum pro ipso negotio laboravit, ab illorum favore non revocat, diutius saltem timor et amor propriæ famæ ac salutis debuerat revocare. Cum igitur tantæ perversitatis malitia et tam malitiosa perversitas remanere non debeat impunita, inquirendi et corrigendi ac puniendi excessus talium, tam regularium et exemptorum quam aliorum quorumlibet, prout ipsi negotio videris expedire, privilegio seu appellationis effugio non obstante, liberam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem, eo dumtaxat excepto, ut ad depositionem episcoporum manum sine nostra speciali licentia non extendas (2) alias eos, prout res exegerit, libere puniturus. (*Cætera desunt.*)

(1) Conradus, Cisterciensis abbas, anno 1219, vadit Romam cum aliis abbatibus pro negotiis ordinis, ibique eligitur et consecratur in episcopum Portuensem; qui, non multo post legatione suscepta contra Albigenses pergit, scilicet anno 1220, tempore quadragesimæ, prout docet Guillelmus Brito, in additionibus ad ejus historiam regis Philippi: unde colligimus quo tempore data fuerit epistola, cui nec dies, nec annus adscripti sunt.

(2) Sequentes epistolas quinque ad Conradum A. S. legatum, ex archivo Narbonensis ecclesiæ, informes et nullo signatas anno ac die, nequaquam

CLXVII

Ad Conradum, Portuensem episcopum, A. S. legatum.

[Bouquet, loc. cit, p. 699.]

Honorius facultatem tribuit Conrado, A. S. legato, instituendi ordinem militum qui, ad instar Templariorum contra Sarracenos pugnantium, adversus perduelles Albigenses decertarent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri C. Portuensi episcopo, A. S. legato, salutem, etc.

Cum quidam Christianæ fidei zelatores ordinem militum institui desiderent in provincia, qui, sicut Templarii contra Sarracenos pugnant in partibus Orientis, ita in partibus illis decertent contra hæreticam pravitatem; nos, eorum laudabili desiderio favorem Apostolicum impendentes, constituendi hujusmodi ordinem, secundum aliquam de religionibus approbatis, liberam tibi concedimus auctoritatem pro facultate; illis, juxta morem quem elegerint vivere milites memorati, nullatenus per hoc jurisdictionem habituris in ipsos, nisi forte se illis subjicere voluerint spontanea voluntate. (*Cætera desunt.*)

CLXVIII

Ad decanum et capitulum Audomarensis.

31 decemb. 1220.

[Miræus, Diplomat. Belg. nova collectio, t. IV, 38.]

Confirmatio constitutionum et privilegiorum pro ecclesia Audomarensi.

Honorius, servus servorum Dei, dilectis filiis... decano et capitulo Sancti Audomari...

Præterea privilegia a felicis memoriæ, Innocentio II et Adriano Romanis Pontificibus, prædécessoribus nostris, et prædicto Alexandro vobis concessa, firma et illibata consistere decernentes, districtius inhibemus, ne quis super villis de Eska... Odenkieske et Anvringehem cum omnibus pertinentiis earumdem ad jus et proprietatem vestram spectantibus, prout instrumenta exinde confecta manifeste testantur, de cætero temere vos audeat molestare... Ne quis in burgo Sancti Audomari particulares scholas regere audeat, nisi de magistri scholarum ejusdem ecclesiæ licentia speciali.

Ordinationem quoque super quibusdam officiis, subpræpositi videlicet, magistri scholarum, coci, cellarii, et pistoris inter vos et præpositum vestrum habitam, prout ad utilitatem ipsius ecclesiæ provide facta est, et in authenticis scriptis exinde confectis plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem evidentiam, tenorem instrumentorum ipsorum de verbo ad verbum huic nostræ paginæ duximus inserendum...

« Gualterus, Dei gratia ecclesiæ Sancti Audomari præpositus, omnibus præsentem paginam inspecturis, in Domino, salutem. Universitati vestræ notum facio, quod ordinationem inter me ex una parte, decanum et capitulum Sancti Audomari ex alia, communicato consensu, fide utrinque interposita, de quinque officiis factam, videlicet subpræpositura, magisterio scholarum, pistoria, celleraria et chochia, super qua ordinatione jurisperitos Parisius residentes duximus consulendos, sicut ipsi eam approbaverunt, ita et nos eamdem ratam habemus et gratam.

« Est autem forma ordinationis illius talis, quod pistoria, celleraria et chochia ad communes usus ecclesiæ nostræ cedant ad servitium ejus augmentandum, secundum quod decedent illi qui sunt in prædictis officiis constituti; cum nullum jam exerceant officium, nec in aliquo ecclesiæ nostræ deserviant, cum ad hoc tamen olim fuerint instituti ut in suis officiis deservirent; quod est jam in prædicta ecclesia propter ipsius utilitatem penitus dissuetum. » Datum, etc.

CLXIX

Ad abbatem de Curc, ac præpositos Strigoniensem et Geuriensem.

2 januar. 1221.

[Monum. Hung. historica, VI, 75.]

Mandat ut ad terminum debitum perducant causam vertentem inter abbatem et conventum Sancti Martini de Pannonia ex parte una, et episcopum canonicosque Zagrabienses ex altera, super quasdam decimas.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

executioni datas fuisse arbitramur. Cum enim Honorius in fidei negotio adversus Albigenses moderatius ageret, dum acerbitate majori ac vi uteretur Conradus, pontificem legato, ut aliter se gereret, suasisse, habita locorum et temporis ratione, intelligimus ex Honorii litteris, 24 septembris hujus anni, col. 538.

dilectis filiis... abbati de Curc (Zircz) in Bokan Vesprimiensis diœcesis et... Strigoniensi et... Geuriensi præpositis, salutem et apostolicam benedictionem.

Olim inter dilectos filios... abbatem et conventum Sancti Martini de Pannonia ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum... episcopum et canonicos Zagrabienses ex altera, super decimis quarumdam possessionum et aliarum rerum in comitatu Simigiensi existentium quæstione suborta, tandem, post multas commissiones ab eodem abbate super his a bonæ memoriæ Innocentio papa prædecessore nostro ad diversos judices impetratis, venerabili fratri nostro... Geuriensi episcopo et conjudicibus suis de utriusque partis assensu, dedit idem prædecessor noster suis litteris in mandatis, ut infra mensem, lite legitime contestata, causam ipsam sufficienter instructam ad Concilium remitterent generale, quorum pars Zagrabiensis malitiose declinans examen recessit contumaciter ab eisdem, sicut in relatione judicum eorumdem ad ipsum directa continebatur expresse. Demum memorato abbate ac... procuratore partis adversæ in dilecti filii nostri G(regorii) Sancti Theodori diaconi cardinalis, tunc subdiaconi, et capellani dicti prædecessoris nostri præsentia constitutis, idem abbas pro se et conventu suo ab episcopo et canonicis memoratis decimas omnium frugum et aliarum rerum terræ cultæ ac incultæ, sylvarum, materinorum, porcorum et cæterorum animalium, apum et tributorum ac vectigalium partis comitatus Simigiensis, quæ est ultra fluvium Dravam, sicut ipsius cingitur limitibus comitatus, necnon decimationes capellarum Sancti Barnabæ, Sanctæ Crucis, et Sanctæ Trinitatis ex parte castri Simigiensis in diœcesi Vesprimiensi existentium cum fructibus perceptis ex eis, quibus fuerant, ut dicebatur, per eumdem episcopum spoliati, cum expensis quas in ejusdem prosecutione negotii usque ad illa tempora fecerant, ac facturi essent in posterum, sibi restitui postulavit, omne jus suum in judicium deducendo; privilegium sancti regis Stephani, et confirmationes felicis recordationis Alexandri, Urbani et Clementis Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum ad intentionem suam fundandam super principali producens. Memoratus autem procurator ex adverso respondens proposuit, episcopum supradictum decimas memoratas inconcusse diutius possedisse, asserens nihilominus, quod dicta pars, quæ ultra Dravam existit, tempore dati privilegii de comitatu non fuisset eodem, et quod prædictæ capellæ, quæ circa Dravam erant, cum parochianis suis essent in Zagrabiensi diœcesi constitutæ, quæ omnia obtulit se tunc temporis probaturum. Unde sæpedictus prædecessor noster, cum per assertionem eorum sibi de causæ meritis plenius liquere non posset, venerabili fratri nostro Waciensi episcopo et collegis suis causam eamdem commisit fine debito terminandam. Verum cum judices nominati, tum propter ipsius obitum mandatoris, tum propter alias causas multiplices, in negotio minime procederent memorato, nos ad instantiam abbatis præfati... præposito et... S... Vesprimiensi et... Albensi, Vesprimiensis diœcesis archidiaconis, nostris dedimus litteris in mandatis, ut super hoc et aliis negotiis suis a dicto prædecessore nostro judicibus diversis commissis, juxta tenorem mandatorum ipsius procedere procurarent, qui sicut ex relatione intelleximus eorumdem, in ipso negotio variis de causis minime procedentes, ipsum adhuc integrum ad Sedem Apostolicam remiserunt. Procuratore igitur abbatis jam dicti, ac dilecto filio magistro Ambrosio, archidiacono Vesprimiensi, nuntio partis adversæ, propter hoc in nostra præsentia constitutis, dilectum filium nostrum E., Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconum cardinalem, eis concessimus auditorem, cui cum de causæ meritis per ipsos non potuerit fieri plena fides, nos causam ipsam vobis duximus committendam, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandantes, quatenus in negotio ipso, non obstantibus aliquibus litteris super hoc a Sede Apostolica impetratis, usque ad definitivæ sententiæ calculum, sublato appellationis obstaculo, procedentes, causam ipsam, si de partium voluntate processerit, fine debito terminetis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Alioquin eam sufficienter instructam ad nostram præsentiam remittatis, præfigentes partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui repræsentent, justam, dante Domino, sententiam recepturæ. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesias-

ticam, cessante appellatione, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Laterani, IV nonas januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXX

Ad universos Christi fideles per regnum Sueciæ constitutos.

3 januarii 1221.

[Vastovius, Vitis aquil., 172.]

Hortatur hujus regni fideles ut fideliter solvant censum Apostolicæ Sedi annuatim debitum quod neglexerint a quinquennio.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus per regnum Sueciæ constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ex censu in quo Sedi Apostolicæ tenemini annuatim appareat manifeste, vos esse sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ filios speciales, et ob hoc speciali ejusdem protectione ac patrocinio gaudeatis, miramur non modicum, quod sicut venerabilis frater noster... Arusiensis episcopus suis nobis litteris intimavit censum ipsum jam a quinquennio et amplius, licet ab eodem episcopo fueritis requisiti, in animarum vestrarum periculum solvere neglexistis. Ut igitur divinam et beati Petri cui census debetur hujusmodi evitetis offensam, universitatem vestram monemus et hortamur in Domino in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus Deo et Apostolicæ Sedi satisfacientes congrue de subtracto, sic deinceps censum ipsum hilariter persolvatis, quod Dei qui datorem hilarem diligit, gratiam consequi, et Apostolicæ Sedis favorem mereamini plenius obtinere. Alioquin sententiam, quam idem episcopus propter hoc rationabiliter tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, tertio nonas januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXI

Ad Olaum archiepiscopum Upsalensem.

4 januarii 1221.

[Liljegren, Svenskt dipl. 219, n. 14.]

Ei tribuit licentiam absolvendi eos, qui clericis violentas manus intulerint, exceptis casibus gravioribus Sedi Romanæ reservatis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo Upsalensi, salutem et apostolicam benedictionem.

De salute subditorum tuorum sollicitus nobis humiliter supplicasti, ut, cum nulli de parochianis tuis adeo indomitæ cervicis existant, a se obedientiæ jugum excutientes omnino, quod plerumque in clericos excessus increpantes illorum manus injiciant violentas et interdum ex ipsis occidant, et tam propter locorum distantiam et expensarum defectum, quam personarum debilitatem, quamplures accedere nequeant ad Sedem Apostolicam absolvendi, super hoc saluti eorum misericorditer consulere dignaremur. Nos ergo tuis precibus inclinati auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut illis tuæ provinciæ, qui latæ sententiæ canonem incurrerunt, nisi forte excessus ipsorum adeo sit enormis quod ad Sedem Apostolicam merito sint mittendi juxta formam Ecclesiæ, beneficium absolutionis impendas, et injungas eisdem quod injungi talibus consuevit, attentius provisurus ne facilitas veniæ ipsis vel aliis incentivum tribuat delinquendi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, II nonas januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXII

Ad Bononiensem episcopum.

4 januarii 1221.

Notificat Honorius se post coronationem Friderici in imperatorem excommunicasse omnes hæreticos utriusque sexus et eorum fautores.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri Bononiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Noverit fraternitas tua, etc. Vide : *Quinta Compilatio*, lib. I, tit. 1, *de Constitutionibus*, cap. II, *Noverit fraternitas*, t. I, col. 118,

usque ad finem. *Postremo additur Decretali*:

Fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipimus mandantes, quatenus præscriptam sententiam per civitatem, et diœcesim tuam solemniter, et frequenter publicari facias, et inviolabiliter observari. Datum Laterani, II nonas januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXIII

Ad archipresbyterum et capitulum plebis Olubræ, Placentin. diœcesis.

6 januarii 1221.

[Campi, Hist. di Piacenza, II, n. 71.]

Confirmat statutum quo numerus quinque canonicorum, computato archipresbytero, in ecclesia plebis Olubræ stabilitur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, archipresbytero, et capitulo plebis Olubræ, Placentinæ diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiarum utilitati consulitur, cum numerus personarum servientium in eisdem earum facultatibus provide coaptatur. Hinc est, quod vestris precibus inclinati, numerum quinque canonicorum, archipresbytero computato, statutum in ecclesia vestra, et a diœcesano episcopo confirmatum sicut provide constitutus est, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio conmunimus. Inhibentes, ne quis ad majorem numerum vos compellat invitos, nisi forsan adeo excrescerent ipsius ecclesiæ facultates, quod numerus personarum esset merito ampliandus, salvo in omnibus Apostolicæ Sedis mandato. Datum Laterani, octavo idus januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXIV

Ad episcopum Lexoviensem.

7 januarii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 323. Mss. La Porte du Theil.]

Dat ei provinciam ad monasterium Gemeticense accedendi, ad negotium de quodam duello adversus maleficum quemdam, ab abbate et monachis ordinato, cognoscendum, et quod canonicum fuerit pronuntiandi.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Lexovien., salutem, etc.

Dilectus filius abbas Gemeticen. in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cum quidam maleficus, quæ segetes et vineas ac alia bona monasterii sui annis pluribus devastaverat, non posset per censuram ecclesiasticam a sua iniquitate compesci, dictus abbas de fratrum suorum consilio præcepit cuidam laico, procuratori monasterii memorati, ut dictum maleficum faceret per sæcularem potentiam coerceri. Cumque dictus procurator ad duellum cum ipso malefico faciendum se coram sæculari judice obligasset, quia desistere ab incœpto non poterat sine periculo capitali, dictus abbas ei expensas negotio necessarias ministravit. Unde cum maleficus ipse victus in ipso duello, et confessus denique culpam suam suspendio fuerit condemnatus, idem abbas timens se, ac fratres suos consilii istius facti causa, irregularitatis vitium incurrisse, supplicavit ut super hoc paterna providere sollicitudine dignaremur. Nos igitur volentes viam eligere tutiorem, sic duximus providendum, ut videlicet abbas ipse, et fratres ejus presbyteri, diaconi et subdiaconi, qui ei consilium et auxilium in prædicto negotio impenderunt, a ministerio altaris abstineant toto tempore vitæ suæ, nisi forte Apostolica Sedes processu temporis duceret providendum, nec illi ordines sacros suscipiant, qui in minoribus consistentes ordinibus opem vel operam impenderunt negotio memorato. Abbatem tamen in monasterii memorati regimine quantum ad temporalia, ac prædictos fratres ejus in monasterio ipso duximus tolerandos, concedentes ut diaconi et subdiaconi, post pœnitentiam certo temporis spatio cum humilitate peractam, quantum ad lectionem evangelii, et epistolæ sua officia exsequantur ab altaris ministerio, ut prædiximus, perpetuo cessaturi. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus personaliter ad locum ipsum accedens circa illos, quos in dicto facto inveneris culpabiles extitisse, prædicta facias observari, injuncta nihilominus ipsis pœnitentia competenti agenda eo temporis spatio, quod eis duxeris statuendum.

Datum Laterani, VII idus januarii, anno quinto.

CLXXV

Ad præpositum et capitulum de Novo Castro.

9 januarii 1221.

[Würtwein, Nov. Subs., XII, p. 147.]

Bona Novi Castri confirmat et in protectione sua suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, præposito et capitulo de Novo Castro, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem nostram ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum, justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Laterani, V idus januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXVI

Ad magistrum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum.

9 jan. 1221.

[Strehlke, Tab. Theuton., p. 280, n. 308.]

Confirmat ordini Theutonicorum usum mantellorum et aliarum vestium secundum statutum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, filiis Hermanno magistro et fratribus, etc., salutem et apostolicam benedictionem.

Ea, quæ statuta sunt provide et Apostolicæ Sedis munimine roborata, inconcussa decet et illibata servari et gaudere perpetua firmitate. Cum igitur ordinem fratrum Hospitalis Hierosolymitani circa pauperes et infirmos, fratrum vero militiæ Templi circa clericos et milites ac alios fratres in domo vestra statueritis observandum, idque sit Sedis Apostolicæ privilegio confirmatum; auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut, nullius contradictione obstante, libere utamini mantellis et aliis vestibus, secundum statutum ordinis vestri, nostro privilegio confirmatum, districtius inhibentes, ne quis id aliquatenus prohibere vel impedire præsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, V idus januarii, pontific. nostri anno quinto.

CLXXVII

Ad magistrum et fratres Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum.

9 jan. 1221.

[Strelhke, Tabulæ ord. Theuton., p. 281, n. 309.]

Ordini Theutonico concedit immunitates Hospitalis et Templi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hermanno magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Vestra religio, cujus bonus odor longe lateque diffunditur, specialem Apostolicæ Sedis favorem et gratiam promeretur. Cum igitur ordinem fratrum Hospitalis Hierosolymitani circa pauperes et infirmos, fratrum vero militiæ Templi circa clericos et milites ac alios fratres in domo vestra provide institutum laudabiliter observetis, nos volentes, ut sitis pares in assecutione Apostolici beneficii, quibus in operatione virtutum pio studetis proposito adæquari, omnes libertates, immunitates ac indulgentias, venerandis domibus prædictorum Hospitalis et Templi ab Apostolica Sede concessas, domui vestræ concedimus; et, ut eis utamini libere sicut illi, vobis auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, V idus januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXVIII

Ad potestatem et populum Perusinos.

11 jan. 1221.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., I, 64.]

Confirmat pacem initam inter Perusinos una parte et homines civitatis Castelli ex altera.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, potestati et populo Perusinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ex officii nostri debito teneamur his, qui prope, ac his qui longe sunt, pacis consilia cogitare, pacem inter fideles nostros, sedata præcedenti discordia, reformatam libenter volumus observari, et ut antiquis odiis occasio auferatur et dilectionis materia dilatetur, pacis fœdera expedit Apostolico munimine communiri. Cum igitur, suadente humani generis inimico, inter vos ex parte una et homines civitatis Castelli ex altera, gravi exorta discordia, rerum damna et personarum (utinam non animarum pericula evenissent!) sed tandem, faciente Domino, juxta mandatum nostrum inter vos et illos pacis sit concordia reformata, nos pacem ipsam, sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et in instrumentis publicis exinde confectis plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Laterani, III idus januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXIX

Ad potestatem et populum Castellanos.

11 jan. 1221.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., I, 65, n. 103.]

Mandat potestati ac Castellanis ut pacem prædictam observent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... potestati et populo Castellanis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad supplicationem et instantiam vestram dilectis filiis... potestati et populo Perusinis tam per litteras quam per dilectum filium Hermanum Cluscinum electum, tunc capellanum nostrum, sub debito juramenti et pœna excommunicationis dedimus firmiter in præceptis, ut captivos vestros sine mora qualibet liberarent, cum sicut fuerat ex parte vestra promissum, pactati essetis instrumenta et alia, quæ pro pace inter vos et ipsos servanda fuerant ordinata, præter demolitionem castrorum, duntaxat ad mandatum nostrum efficaciter observare; ac nos tam ea, quam quod prædictus H. pro his statuerat observandis, rata esse vellemus. Cum igitur et vobis expediat et nos deceat, ut præmissa firmiter observentur, universitatem vestram monemus, auctoritate vobis præsentium firmiter præcipiendo mandantes, quatenus tam ea, quæ inter vos et Perusinos pro pace servanda præter demolitionem castrorum acta sunt, quam quod dictus capellanus mandavit, firmiter observetis : alioquin si quid exinde vobis evenerit, quod nolitis, non nobis, sed vobis poteritis imputare.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, III idus januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXX

Ad universos Christi fideles per Svetiam constitutos.

11 jan. 1221.

[Liljegren, Svenskt dipl., I, 220, n. 205.]

Sollicitat eleemosynas ad claustrum ad honorem beatæ Virginis noviter in Lithuania constructum et indulgentiam viginti dierum qui ecclesiam claustri visitarent in festo Assumptionis.

Quoniam, ut ait Apostolus, *qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam* (Gal. VI, 8) : Cum igitur sicut accepimus in Lithuania quoddam claustrum ad honorem beatæ Virginis noviter sit constructum, non sine multis laboribus, et expensis, et ad substentationem fratrum inibi Domino famulantium propriæ non suppetant facultates, universitatem vestram rogamus, et monemus attente in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus claustrum ipsum divino cultui dedicatum gratis bene-

ficiis, et piis eleemosynis adjuvantes, illud ad cultum divini nominis ampliandum saltem in festo Assumptionis prædictæ Virginis devote visitare curetis. Nos enim de misericordia divina, et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus illuc in prædicto festo devote convenientibus viginti dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum apostolorum ejus Petri et Pauli, se noverit incursurum.

Datum Laterani, III idus januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXXI

Ad abbates, præpositos, decanos et universos clericos Bohemiæ.

11 jan. 1221.

[Bullarium Romanum, III, I, 220.]

Confirmatio privilegiorum et immunitatum a Bohemiæ rege ecclesiis et ecclesiasticis regni sui concessorum ac restitutorum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus, præpositis, decanis, et universis clericis per Bohemiam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quæstione super jurisdictione, decimis, et aliis diversis articulis inter venerabilem fratrem nostrum Pragensem episcopum, et dilectum filium magistrum Johannem procuratorem illustris regis, et baronum Bohemiæ coram nobis diutius agitata fuit. Idem procurator ipsorum regis et baronum nomine recognovit, et dimisit eidem episcopo, et ecclesiæ suæ omnem libertatem, et omnem jurisdictionem, quæ sunt ecclesiæ Bohemiæ sive de jure sive per privilegia, sive per approbatam consuetudinem acquisitæ, et specialiter illas, quas iste rex per privilegia sua ecclesiæ jam dictæ concessit, promittens quod de jurisdictione rusticorum ad ecclesias suæ diœcesis pertinentium, coram dilecto filio nostro Gregorio Sancti Theodori diacono cardinali, Apostolicæ Sedis legato, vel alio, cui hoc committendum duxerimus, exhibebit justitiæ complementum. Dimisit etiam, et recognovit memorato episcopo, et ecclesiæ Bohemiæ omnia spiritualia, institutiones, salvo patronis jure patronatus, et destitutiones, correctiones, et judicia clericorum, et omnia alia spiritualia, inter quæ visitationem intelligimus, et volumus comprehendi, eo salvo quod de Boleslavien., Melvicen. et Littomiricen. præpositis exhibebitur justitiæ plenitudo coram legato ipso, vel alio cui fuerit ab Apostolica Sede commissum. De decimis vero promittit, regis nomine ac baronum, quod plene, ac integre solvent eas præfato episcopo, et ecclesiæ suæ, ac aliis ecclesiis, et personis ecclesiasticis, sicut de jure debentur, justitia de populi decimis tam præteritis, quam futuris coram eodem legato, vel alio, cui hæc commiserimus facienda. Omnia quoque privilegia tam Romanorum pontificum, quam imperatorum et regum Bohemiæ, ac ducum, vel aliorum ecclesiis concessa Bohemicis, si exstant, restituentur eis, quorum fuisse noscuntur cum possessionibus, quæ ad Pragensem, et alias ecclesias, et personas ecclesiasticas pertinere, et esse ablata noscuntur. Quod si privilegia ipsius regis, vel prædecessorum suorum non exstant, vel sunt forte deperdita, rex ante relaxationem sententiarum excommunicationum et interdicti, quæ sunt in ipsum, et barones, ac regnum ejus prolatæ, eadem restaurabit secundum tenorem, quem dictus episcopus suo expresserit juramento. Si vero ea, quæ non sunt sua, vel prædecessorum suorum sunt deperdita, vel destructa, dabit operam bona fide, ut eadem restaurentur. Pro iis autem in perpetuum observandis ante relaxationem sententiarum ipsarum, præstabitur ex parte regis et baronum sufficiens cautio, secundum mandatum nostrum, quod legato fecimus sæpedicto, qua præstita, dictæ sententiæ relaxentur. Nos autem habentes rata prædicta, ne quid eis desit ad robur plenariæ firmitatis, de consilio fratrum nostrorum, auctoritatem nostram adjecimus, decernentes ea in perpetuum valitura. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Laterani, tertio idus januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXXII

Ad Guttormum Nidrosiensem archiepiscopum.

12 jan. 1221.

[Lange, Diplom. Norweg., IV, I, 16.]

Gratias agit de censu Parisius misso.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Guttormo Nidrosiensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitati tuæ dignas gratiarum referimus actiones, quod nobis duas armillas et viginti marcas sterlingorum novorum et quadraginta marcas boni argenti de censu Ecclesiæ Romanæ debito Parisiis destinasti, apud ecclesiam Sancti Victoris Parisiensis nostro nomine deponendas, quas prior ipsius ecclesiæ se recepisse suis nobis litteris intimavit. Datum Laterani, II idus januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXXIII

Ad abbatem S. Vincentii Wratislaviensis.

13 jan. 1221.

[Theiner, Mon. Polon., I, 12, n. 25.]

Arbitrium pro monasterio Sancti Vincentii Wratislaviensis latum confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio... abbati Sancti Vincentii Wratislaviensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis, etc., *usque* complere. Eapropter, etc., *usque* concurrentes assensu. Arbitrium quod inter te ex parte una... ac quosdam alios monachos ordinis Sancti Benedicti et fautores eorum Gnesnensis et Cracoviensis diœcesium ex altera, super monasterio tuo, et rebus aliis, de quibus coram dilectis filiis... præposito Glogaviensi et conjudicibus suis fuerat aliquandiu ex delegatione Apostolica litigatum... abbas de Andreov et collegæ ipsius electi a partibus arbitri, exigente æquitate, tulerunt, sicut est æquum, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli igitur, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXXIV

Ad Thomam Finlandiæ episcopum.

13 jan. 1221.

[Liljegren, Svenskt dipl., I, 220, n. 206.]

Prohibet ne Christiani victualia ferant barbaris, qui nituntur eradicare novellam christianismi plantationem.

Cum, sicut ex litteris venerabilis fratris nostri...Upsalensis archiepiscopi nostro est apostolatui reseratum, ecclesia tibi commissa de novo ad agnitionem venerit veritatis, et a circumadjacentibus barbaris nationibus, quæ plantationem novellam eradicare nituntur, tribulationes multas sustineat et pressuras, ac earum sævitia ex subtractione mercimonii possit non modicum cohiberi, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut christianos circum manentes, ne ad eos navigent, et victualia seu alia necessaria deferant, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescas. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, idibus januarii, anno quinto.

CLXXXV

Ad Herveum abbatem Sanctæ Mariæ Blesensis, et magistros Johannem de Feritate, Sancti Johannis in Vineis Suessionen. et Johannem de Monte Mirabili canonicos.

14 jan. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 353. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit eis ut crucesignatos per Remensem provinciam ad votum implendum cogant.

Honorius, etc., dilectis filiis Herveo abbati Sanctæ Mariæ Blesen., et magistris Johanni de Feritate, Sancti Johannis in Vineis Suessionen., et Johanni de Monte Mirabili, canonicis.

Quanto nos angit injuria Crucifixi, et comedit zelus terræ nativitatis ejusdem, tanto majori dolore turbamur, cum ea nostris auribus referuntur, per quæ ipsius terræ succursus potest multipliciter retardari. Ecce enim, sicut accepimus, nonnulli crucesignati fallentes semetipsos, illumque, cujus providentia in sua dispositione non fallitur, fallere se putantes, ad Sedem Apostolicam accesserunt, et illo instigante qui tentat ut tentatum præcipitet in gehennam, quidam ex eis paupertatem, vel impotentiam corporum mentientes, ac alii pro se senes

et debiles submittentes per hujusmodi fraudem a pœnitentiariis nostris, absolutionis vel dilationis litteras reportarunt. Nonnulli etiam ab iis, quibus absolutionem crucesignatorum commisimus, vel sunt per falsi suggestionem absoluti a voto, vel dilationis commodum impetrarunt, in quorum perniciosum exemplum multi potentes et divites causas remanendi quærentes, vel propter hoc ad Sedem Apostolicam accedentes transfretandi desiderium penitus amiserunt; quin imo prædictorum occasione circa negotium Crucis multorum devotio jam tepescit, præsertim cum crucesignati communi aliorum lege tractentur, nec defendantur ab Ecclesia juxta statuta Concilii generalis, et alii qui cum magno labore in verbum conveniunt ut audiant verbum crucis, de injunctis sibi pœnitentiis indulgentiam aliquam non reportent. Ad hæc super aliud impedimentum accedit, quod presbyteri vel decani in convocando populum, vel exsequendo mandatum Apostolicum, pro eo inobedientes vel negligentes existunt, quod coercendi eosdem nullam accepistis, ut asserunt, potestatem, sicque negotium crucis, quod dolentes referimus, multipliciter impeditur. Nos igitur de vestræ rectitudinis zelo gerentes fiduciam pleniorem, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, quum laborem Deus remuneret, non profectum, injunctum vobis officium exsequentes, juxta priorum continentiam litterarum, illos, qui quum sint utiles succursui Terræ Sanctæ, suumque prosequi votum possint, per hujusmodi fraudes absolutionem, vel inducias impetrarunt, ut crucis signaculo reassumpto usque ad proximum mensem augusti votum prosequentur emissum, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, crucesignatos nihilominus juxta statuta dicti Concilii defendendo, ac concedendo illis, qui ad vestram prædicationem convenerint humiliter et devote, illam cum modestia tantum indulgentiam peccatorum, quam videritis expedire, ita tamen quod indulgentia ipsa viginti dierum numerum non excedat. Nos enim venerabilibus fratribus nostris... archiepiscopo Remen., et suffraganeis ejus, ac aliis ecclesiarum prælatis per Remen. provinciam constitutis, nostris damus litteris in mandatis, ut vos recipientes benigne, ac vobis in necessariis providentes, parochianos suos fideliter moneant, et prudenter inducant, ut ad vestram prædicationem conveniant, et a nobis humiliter audiant verbum crucis. Datum Laterani, decimo nono kal. febr., anno quinto.

In eumdem modum scriptum est T. archidiacono Bajocen., et H. Rothomagen., et G. Lexovien. canonicis.

CLXXXVI

Ad archiepiscopos, episcopos, etc., ad quos litteræ istæ pervenerint.

15 jan. 1221.

[Strehlke, Tabulæ ord. Theuton., p. 282, n. 310.]

Interpretatur constitutionem Apostolicam, ut ordinis Theutonici novalia et aliæ terræ, quos fratres propriis manibus aut sumptibus excolant, seu animalium ejus nutrimenta minime decimis onerentur. Jubet qui violentas manus in fratres injiciunt excommunicari.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus et audientes mirati sumus, quod, cum dilectis filiis fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani duxerimus indulgendum, ut de laboribus, quos propriis manibus aut sumptibus excolunt, nemini decimas solvere teneantur, quidam ab eis nihilominus contra concessionem nostram decimas exigere ac extorquere præsumunt, et prava ac sinistra interpretatione privilegiorum nostrorum capitulum, pervertentes, asserunt de novalibus debere intelligi, ubi de laboribus noscitur esse scriptum. Quoniam igitur manifestum est omnibus, qui recte sapiunt, interpretationem hujusmodi perversam esse et intellectui sano contrariam, cum secundum capitulum illud a solutione decimarum tam de terris illis, quas duxerint vel deducunt ad cultum, quam de terris etiam cultis, quas propriis manibus vel sumptibus excolunt, liberi sint penitus et immunes, ne ullus contra eos materiam habebat malignandi, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus omnibus parochianis vestris auctoritate Apostolica prohibere curetis, ne a memoratis fratribus de novalibus vel de aliis terris,

quas propriis manibus aut sumptibus excolunt, seu de nutrimentis animalium ullatenus decimas exigere, vel quomodolibet extorquere præsumant. Quia vero non est conveniens vel honestum, ut contra Sedis Apostolicæ indulgentias temere veniatur, quæ inviolabilem firmitatem obtinere deberent, mandamus vobis firmiterque præcipimus, ut, si qui monachi, canonici, clerici vel laici contra privilegia Sedis Apostolicæ memoratos fratres super decimarum exactione gravaverint, laicos excommunicationis sententia percellentes, monachos, canonicos sive clericos contradictione, dilatione et appellatione cessantibus ab officio suspendatis, et tam excommunicationis quam suspensionis sententias faciatis usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter observari, salva semper in omnibus moderatione Concilii generalis. Ad hæc præsentium vobis auctoritate Apostolica præcipimus, quatenus, si quis eorumdem parochianorum vestrorum in sæpedictos fratres violentas manus injecerit, eum accensis candelis excommunicatum publice nuntietis, et tamquam excommunicatum faciatis ab omnibus cautius evitari, donec eisdem fratribus congrue satisfaciat, et cum litteris diœcesani episcopi veritatem continentibus Apostolico se conspectui repræsentet. Datum Laterani, XVIII kal. febr., pontificatus nostri anno quinto.

CLXXXVII

Ad magistrum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum.

15 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 283, n. 311.]

Concedit ordini Theutonico, quod si, contra privilegia ejus, quid a sede Apostolica fuerit decretum, non teneatur respondere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem, etc.

Cum vos tanquam speciales Ecclesiæ Romanæ filios, religionis intuitu et consideratione obsequii, quod in ultramarinis partibus in defensione nominis christiani Deo ferventer impenditis, semper Apostolica Sedes sincera caritate dilexerit et specialia curaverit privilegia indulgere; nostro imminet officio providendum, ut, si per falsam suggestionem aut tacendi fraudem litteræ a nobis contra ipsa privilegia emanaverint, nullum ex eis libertas vestra sustineat detrimentum. Eapropter, auctoritate vobis Apostolica indulgemus, ut, si contra privilegia vestra litteræ a quoquam per subreptionem contra privilegiorum ipsorum tenorem obtentæ, nisi ex certa conscientia nostra procedant, in judicio alicujus non teneamini disceptare, salva moderatione Concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XVIII kal. febr., pontificatus nostri anno quinto.

CLXXXVIII

Ad archiepiscopos et episcopos, etc.

15 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 283, n. 312.]

Vetat prælatos ordinem Theutonicum de eleemosynis vexare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, etc., salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto dilecti filii, fratres domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, majori religione et honestate præeminent et contra christiani nominis inimicos graviori jugiter labore decertant; tanto et universis christianam professionem tenentibus ferventiori caritate debent diligi et eorum jura ipsis propensiori sollicitudine conservari, ut, qui pro universorum salute extrema non dubitant experiri pericula, ab omnibus grata sentiant incrementa. Inde est, quod universitatem vestram monemus ac per Apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus prædictos fratres super eleemosynis, quæ ipsis a Dei fidelibus conferuntur, a nemine permittatis indebita præsumptione vexari, sed, si aliqui eos super his absque ordine judiciario gravare præsumpserint, ipsos, nisi commoniti infra triginta dies post commonitionem vestram destiterint, usque ad satisfactionem condignam, sublato appellationis remedio, ecclesiastica sententia feriatis. Datum Laterani, XVIII kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CLXXXIX

Ad archiepiscopos, episcopos, etc.

16 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 284, n. 314.]

Prælatis ordinem Theutonicum commendat ob eleemosynarum collectionem, etc.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dilectis filiis, fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, duxerimus indulgendum, ut semel in anno recipiantur in ecclesiis ad eleemosynas colligendas, quidam vestrum avaritiæ ardore succensi confratrias suas confratriis illorum eadem die in ipsorum adventu præponunt, et sic fratres ipsi confusi aut nihil exinde aut modicum consequuntur. Quia igitur hoc indecens est et in contemptum Dei et Ecclesiæ Romanæ redundat, universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, quum fratres ipsi ad loca vestra pro eleemosynis accesserint colligendis, benigne recipientes eosdem et honeste tractantes, ipsos in ecclesiis vestris admonere populum et eleemosynas libere quærere permittatis, confratrias vestras, quas facere potestis quotidie, ipsorum confratriis, quæ semel in anno fiunt, nullatenus præponentes, ne occasione illarum eleemosynæ Christi pauperum depereant et impediantur opera pietatis. Statuimus etiam, ut nemo excommunicet fratres ipsos vel eorum oratoria interdicat sine mandato Sedis Apostolicæ speciali, præsentium vobis auctoritate mandantes, ut ipsos excommunicare aut eorum ecclesias interdicere nullatenus præsumatis; de parochianis autem vestris, qui domos illorum invadunt per violentiam vel infringunt, aut indebitis molestiis opprimunt fratres ipsos, et tam deposita quam res diripiunt eorumdem, cum exinde querimoniam deposuerint coram vobis, tam districtam eis faciatis justitiam et ita jura eorum defendere et manutenere curetis, quod ipsi ad nos pro defectu justitiæ sæpe recurrere non cogantur, sed nos sollicitudinem et obedientiam vestram debeamus merito commendare, vosque beneficiorum, quæ in sancta domo eorum fiunt, participes existatis. Præterea liberas et absolutas personas, quæ se domui eorum in sanitate vel infirmitate reddiderunt, libere ac sine molestia recipi permittatis ab eis, nec ipsos super hoc tentetis aliquatenus impedire. Illud autem non mediocriter movet nos nec modicum ecclesiasticæ derogat honestati, quod quidam vestrum contra institutionem sanctorum patrum in Turonensi concilio editam fratrum ipsorum corpora, cum decedunt, nolunt sine pretio sepelire; unde, quia tam prava exactio et iniqua non est aliquatenus toleranda, in obedientiæ vobis virtute præcipimus, ut nullo modo a fratribus ipsis vel aliis pro sepultura quidquam exigere vel accipere, nisi quod spontanea decedentium liberalitas vel parentum devotio vobis contulerit, attentetis, sed absque ullo pretio sepeliatis corpora mortuorum, et, si quis hoc ulterius attentaverit, taliter animadvertatis in eum, quod amplius similia non præsumat. Ad hæc præsentium vobis auctoritate præcipimus, ne ab eis contra ea, quæ fratribus ipsis indulsimus, de nutrimentis animalium suorum, sive de ipsis animalibus decimas exigere præsumatis.

Cum autem oratoria vel cœmeteria, secundum quod eis concessimus, duxerint construenda, vos, fratres archiepiscopi et episcopi, eis pro se ac familia sua tantum oratoria dedicare ac cœmeteria benedicere procuretis, nec aliquis vestrum contra concessionem nostram id impedire audeat aliquatenus vel turbare.

De cætero fratres hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum in vestris episcopatibus constitutos, qui crucem et suum habitum deponentes per illecebras sæculi et vitiorum abrupta vagantur, et illos etiam, qui prioribus suis contumaces et rebelles existunt, et balivas detinent contra voluntates ipsorum, moneatis instanter et pro vestri officii debito compellatis, ut habitum depositum resumentes in obedientia prælatorum suorum devote ac humiliter perseverent et balivas sive alia officia per violentiam detinere nullo modo præsumant. Quicumque autem mandatorum nostrorum extiterint contemptores, excommunicationis eos sententia percellatis, quam faciatis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Præterea, quicumque de facultatibus sibi collatis a Deo fratribus subvenerit sæpe dictis, et in eorum sancta fraternitate statuerit se collegam, eisque beneficia persolverit annuatim, ei de beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi septimam partem injunctæ pœnitentiæ relaxamus.

Apostolica quoque auctoritate, ob reverentiam ipsius venerabilis domus, statuimus, ut iis, qui eorum fraternitatem assumpserint, si forsan ecclesiæ, ad quas pertinent, a divinis fuerint officiis interdictæ ipsosque mori contigerit, sepultura ecclesiastica non negetur, nisi excommunicati vel nominatim fuerint interdicti. Volumus autem, ut liceat eis confratres suos, quos ecclesiarum prælati apud ecclesias suas malitiose non permiserint sepeliri, nisi excommunicati vel nominatim fuerint interdicti aut etiam publici usurarii, tumulandos deferre ad ecclesias suas et oblationes tam pro eis quam pro aliis, qui in eorum cœmeteriis requiescunt, exhibitis, sine alieni juris præjudicio retinere; hoc etiam addito, ut receptores fraternitatis ejusdem seu etiam collectarum, salvo jure dominorum suorum, sub beati Petri et nostra protectione consistant. Adjicimus insuper, ut, si qui eorumdem fratrum, qui ad easdem fraternitates missi fuerint vel collectas, in quamlibet civitatem, castellum vel vicum advenerint, si forte locus ipse a divinis fuerit officiis interdictus, in eorum jucundo adventu semel aperiantur ecclesiæ annuatim, et excommunicatis ejectis divina ibidem officia celebrentur, salva in omnibus supradictis declaratione Concilii generalis.

Ad majorem quoque vestræ mercedis cumulum, nihilominus vobis mandando præcipimus, quatenus hanc nostram constitutionem per parochias vestras nuntiari propriis litteris faciatis. Mandamus etiam, ut, si qui de clericis ecclesiarum vestrarum præfati Hospitalis Theutonicorum fratribus, cum licentia prælati sui, sponte ac gratis per annum vel biennium decreverint deservire, nequaquam impediantur, et interim sua beneficia et ecclesiasticos redditus non amittant.

Datum Laterani, XVII kalend. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXC

Ad archiepiscopos, episcopos, etc.

16 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 286, n. 315.]

Vetat fratres ordinis Theutonici molestari de sepeliendis confratribus, de malefactoribus persequendis, de eleemosynis quærendis in aliorum ecclesiis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, nobis graviter sunt conquesti, quod vos confratres suos et eligentes in eorum cœmeteriis sepulturam ab ipsis non permittitis fratribus sepeliri, et eisdem exhibere justitiam de suis malefactoribus negligentes, in vestris non patimini ecclesiis fratres ipsos eleemosynas quærere, nec ad largiendum eis pias eleemosynas populum exhortari. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta, in virtute obedientiæ, districte præcipiendo mandamus, quatenus vos ipsi ab impedimentis hujusmodi penitus desistatis et vestros subditos taliter per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis desistere ab eisdem, quod dicti fratres super his non possint de cætero querelari. Datum Laterani, XVII kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXCI

Ad archiepiscopos, episcopos, etc.

16 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 287, n. 316.]

Vetat prælatos partem tertiam ordini Theutonico legatorum petere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, gravem contra vos in auditorio nostro deposuere querelam, quod vos tertiam partem eorum, quæ illis in testamento legantur, extorquetis pro vestræ voluntatis arbitrio

ab eisdem, et alia ipsis gravamina multimoda irrogantes, pro litteris nostris, nullam eis curatis justitiam exhibere. Quoniam igitur sic vobis adesse volumus, quod memoratis fratribus deesse in justitia minime videamur; universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus de his, quæ memoratis fratribus dantur ab aliquibus in sanitate vel in infirmitate, sive postea convaluerint aut apud alios fuerint tumulati, partem aliquam non quæratis; de aliis vero parochianis vestris, qui laborantes in extremis apud prædictos fratres eligunt sepeliri, quarta sitis testamenti parte contenti nec aliquid ab eis amplius exigatis. Sed nec sepulturam, quam per indulgentiam Apostolicæ Sedis habere noscuntur, occasione ista quisquam vestrum impedire præsumat. Taliter autem ab ipsorum molestiis et vos abstinere et parochianos vestros compescere studeatis, quod nec ipsi pro defectu justitiæ ad præsentiam nostram laborent, nec vos de negligentia vel contemptu mandati Apostolici possitis merito reprehendi. Nos enim, cum universis Christi fidelibus simus ex injuncto nobis officio debitores, prædictis fratribus tanto fortius tenemur adesse, quanto ea, quæ ipsis beneficia conferuntur, ad majorem orientalis ecclesiæ defensionem non est dubium provenire; nec parum potest divinum formidare judicium, quisquis eos, imo Christum in eis, fuerit persecutus, cum dicturus Dominus in fine legatur : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Datum Laterani, XVII kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXCII

Ad archiepiscopos et episcopos, etc.

16 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 288, n. 317.]

Vetat prælatos ab ordine Theutonico hospitationes exigere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Evangelicæ doctrinæ, quæ prohibet alterum alteri facere, quod sibi fieri nollet, et honestati ecclesiasticæ contradicit, aliquam religiosam domum in immensa multitudine visitare, et lautas epulas quærere illum, qui in domo propria procurationes sobrias vix interdum aliis sine scandalo exhiberet. Accepimus autem, quod quidam vestrum domos dilectorum filiorum fratrum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, in magna multitudine equorum et hominum adeuntes, in eis, fratribus contradicentibus, hospitantur et expensis gravissimis inquietant, quos debebant ad reverentiam nostram, ad cujus defensionem specialiter pertinent, et consideratione obsequii, quod defensioni christianitatis exhibent in partibus transmarinis, contra alios sollicite adjuvare. Quia igitur tolerare in patientia non debemus, ut in diebus nostris onera prædictis fratribus imponantur, quæ antea non portarunt; universitati vestræ auctoritate Apostolica districtius inhibemus, ne in domibus eorum ipsis quæratis renitentibus hospitari, nisi forte in concessione ipsarum domorum vobis vestrisque successoribus manifeste apparuerit reservatum, sed ea potius reverentia et obsequiis sitis contenti, quod per scriptum authenticum declaratur. Datum Laterani, XVII kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXCIII

Ad archiepiscopos et episcopos, etc.

16 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 288, n. 318.]

Vetat prælatos vicariorum, ab ordine Theutonico ad ecclesias ejus, vel fratrum ejus a patronis ad alias, præsentatorum institutionem denegare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex insinuatione dilectorum filiorum fratrum domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, ad apostolatus nostri audientiam est delatum, quod, cum in ecclesiis vacantibus, quæ in terris ipsorum fundatæ sunt, vel in aliis, quarum ad ipsos advocatio dignoscitur pertinere, pro ipsis volunt vicarios instituere, vel cum ipsi fratres ad ecclesias alias vacantes a patronis legitimis diœcesanis episcopis aut prælatis

aliis, ad quos earumdem pertinet institutio, præsentantur, ipsi vicarios, quos iidem fratres pro se præsentant, recipere vel ipsos fratres ab aliquibus præsentatos instituere contradicunt, et sic fratres ipsos impediunt et perturbant, ut ecclesias illas, secundum quod eis indulsimus pro subventione Terræ Sanctæ, non valeant in proprios usus convertere, seu aliam professionem canonicam adipisci, in quo fratres ipsi se asserunt incurrisse non modicum detrimentum. Cum igitur ipsis fratribus hoc præsertim tempore, cum laborant efficaciter in servitio Crucifixi, debeamus specialius Apostolicum præsidium impertiri et ad dilectionem ipsorum aliorum animos invitare, discretionem vestram rogamus, monemus et per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus eos in suis rationibus efficacius confoventes, sic permittatis eis in obtinendis et possidendis ecclesiis concessa ipsis a Sede Apostolica libertate gaudere, quod justam de vobis non possint habere materiam murmurandi et nos pro ipsis super hoc vobis scripta non cogamur dirigere duriora. Datum Laterani, XVII kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXCIV

Ad fratres Hospitalis S. Mariæ Theut.

16 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 289, n. 319.]

Decimas ab ordine Theutonico exigi vetat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, etc.

Ex parte dilectorum filiorum fratrum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, nobis est oblata querela, quod quidam vestrum occasione Concilii generalis pro suæ voluntatis arbitrio decimas laborum de possessionibus habitis ante Concilium memoratum, quos ipsi propriis manibus aut sumptibus excolunt, et nutrimentis suorum animalium ab eis, contra ea quæ a nobis indulta sunt, non metuunt extorquere. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta, in virtute obedientiæ, districte præcipiendo mandamus, quatenus non obstante longa violentia super dictis exactionibus eisdem fratribus irrogata et vos ipsi ab extorsione hujusmodi penitus desistatis, et vestros subditos taliter per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis desistere ab eisdem, quod dicti fratres super his non possint de cætero querelari. Datum Laterani, XVII kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXCV

Ad magistrum Hospitalis S. Mariæ Theut.

16 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 290, n. 320.]

Concedit ordini Theutonico, ut quemvis crucesignatum, dummodo non obstet impedimentum canonicum, inter fratres recipere ei liceat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, præsentis scripti pagina vobis duximus indulgendum, ut liceat vobis quemlibet sanctæ crucis signaculo signatum in fratrem recipere, si impedimentum aliquod canonicum non obsistat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XVII kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXCVI

Ad archiepiscopos, et episcopos, etc.

16 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 290, n. 321.]

Ordinis Theutonici benefactoribus concedit indulgentiam ipsique facultatem, ut in fratrum adventu semel in anno ecclesiæ interdicto subjectæ aperiantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Milites Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, novi sub tempore

gratiæ Machabæi, abnegantes sæcularia desideria et propria relinquentes, tollentes crucem suam, Dominum sunt secuti; ipsi sunt, per quos Deus orientalem ecclesiam a paganorum spurcitiis liberat, et christiani nominis inimicos expugnat; ipsi pro fratribus animas ponere non formidant et peregrinos ad sancta loca proficiscentes, tam in eundo, quam in redeundo, defensant ab incursibus paganorum. Et, quoniam ad tam sanctum et pium opus explendum eis propriæ non suppetunt facultates, universitatem vestram præsentibus litteris exhortamur, quatenus populum, vobis a Deo commissum, collectas facere commoneatis, ex quibus eorum inopia suppleatur. Quicumque vero de facultatibus sibi a Deo collatis ipsis subvenerit, et in eorum sancta fraternitate statuerit se collegam, eisque beneficia persolverit annuatim, septimam ei partem injunctæ sibi pœnitentiæ confisi de beatorum Petri et Pauli apostolorum meritis indulgemus. Cui etiam, quum eum mori contigerit, si tamen nec excommunicatus nec nominatim fuerit interdictus, aut publice usurarius, sepultura ecclesiastica non negetur.

Cum autem fratres ipsius Hospitalis Theutonicorum, qui ad collectam suscipiendam destinati fuerint, in civitatem, castellum vel vicum advenerint, si forte locus ille interdictus sit, in eorum jucundo adventu pro ipsius Hospitalis honore et eorumdem militum reverentia, semel in anno aperiantur ecclesiæ, et, excommunicatis et nominatim interdictis exclusis, divina officia celebrentur. Quæ vero de non excommunicatis et nominatim interdictis, eorumdem militum fratribus ecclesiasticæ sepulturæ tradendis, et ecclesiis in eorum adventu, excommunicatis et nominatim interdictis exclusis, semel aperiendis a nobis statuta sunt, vobis archiepiscopis et episcopis mandando præcipimus, ut per vestras parochias faciatis irrefragabiliter observari, salva in omnibus moderatione Concilii generalis. Præterea fraternitati vestræ rogando mandamus, quatenus personas et bona eorum pro reverentia beati Petri et nostra manuteneatis, et nullam eis irrogare læsionem vel injuriam permittatis. Datum Laterani, XVII kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXCVII

Ad archiepiscopos et episcopos, etc.

16 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 291, n. 322.]

Jubet ordinis Theutonici molestatores ecclesiasticis sententiis coerceri.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri religiosi et hi maxime, qui per Sedis Apostolicæ privilegia majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustinent et rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat, et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, tam de frequentibus injuriis quam de ipso quotidiano defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt Apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores suos prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent, et pressuris, vestro possint præsidio respirare; ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus illos, qui possessiones, vel res, seu domos prædictorum fratrum vel hominum suorum irreverenter invaserint vel ea injuste detinuerint, quæ prædictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsos fratres contra Apostolicæ Sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti præsumpserint promulgare, vel decimas laborum de possessionibus habitis ante Concilium generale, seu nutrimentis ipsorum, spretis privilegiis Apostolicæ Sedis, extorquere, monitione præmissa, si laici fuerint, publice candelis accensis, excommunicationis sententia percellatis; si vero clerici, vel canonici regulares, seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis, neutram re-

laxaturi sententiam, donec prædictis fratribus plenarie satisfaciant, et tam laici quam clerici sæculares, qui pro violenta manuum injectione anathematis vinculo fuerint innodati, cum diœcesani episcopi litteris ad Sedem Apostolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem, in quibus bona prædictorum fratrum vel hominum suorum detenta fuerint, quamdiu ibi sunt, interdicti sententiæ supponatis. Datum Laterani, XVII kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CXCVIII

Ad archiepiscopum Rothomagensem et suffraganeos ejus aliosque ecclesiarum prælatos.

16 jan. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 382. Mss. La Porte du Theil.]

Hortatur ut Christianos ad arma pro religione capessenda inflamment.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus Rothomagensi archiepiscopo et suffraganeis ejus et aliis ecclesiarum prælatis per Rothomagensem provinciam constitutis.

Cum prædicationis officium pro subsidio Terræ Sanctæ per Rothomagen. provinciam dilectis filiis T., archidiacono Bajocen., H. Rothomagen., et G. Lexovien. canonicis, duxerimus committendum, universitatem vestram rogandam duximus et monendam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus cum nullus propriis cogatur stipendiis militare, ipsos, cum ad vos venerint, recipientes honeste, et in necessariis providentes eisdem, parochianos vestros moneatis fideliter, et prudenter inducere procuretis, ut ad eorum prædicationem conveniant, et ab eis humiliter audiant verbum crucis. Datum Laterani, XVII kalendas februarii, anno quinto.

In eumdem modum scriptum est archiepiscopo Remen. et suffraganeis ejus, et aliis ecclesiarum prælatis per Remen. provinciam constitutis: Cum prædicationis officium pro subsidio Terræ Sanctæ per Remen. provinciam dilectis filiis Herveo abbati S. Mariæ Blesen., et magistris Johanni de Feritate, S. Johannis in Vineis Suessionen., et Johanni de Monte Mirabili canonicis duxerimus committendum, universitatem..., *ut supra* usque in finem.

CXCIX

Ad archiepiscopos, et episcopos, etc.

17 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 292, n. 323.]

Jubet parochianos cogi ecclesiastica disciplina, ut ordini Theutonico justitiam præstent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a religiosorum virorum pressuris et molestiis illi, quorum pedes sunt veloces ad malum, severitate debeant ecclesiastica cohiberi et inferiorum culpæ merito ad prælatos desides referantur, quia facientis culpam habet, qui, quod potest corrigere, negligit emendare; miramur, sicut possumus de ratione mirari, quod, sicut dilectis filiis fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani significantibus accepimus, parochianos vestros, de quibus apud vos querelam deponunt, non compellitis ad justitiam exhibendam; si vero aliquos excommunicationi interdum vel interdicto supponitis, sententiam vestram remittitis fratribus inconsultis et satisfactione congrua prætermissa. Quia igitur sustinere nolumus incorreptum, quod in nostrum et subjectorum nostrorum periculum attentatur, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus, cum a jam dictis fratribus acceperitis de vestris parochianis querelam, eos ad exhibendam justitiam, omni gratia et timore postposito, contradictione quoque et appellatione remota, ecclesiastica districtione cogatis attentius provisuri, ne sententiam, quam tuleritis, fratribus ignorantibus absque satisfactione congrua relaxetis, scituri a vobis damna ipsorum districtius requirenda, si præceptum neglexeritis, quod non credimus, adimplere. Datum Laterani, XVI kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CC

Ad eosdem.

17 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 293, n. 324.]

Vetat liberam sepulturam in ordinis Theutonici cœmeterio impediri benefactoresque molestari.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcop. et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Gravem ex parte dilectorum filiorum fratrum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani querelam accepimus, quod, cum ipsi ex indulgentia Sedis Apostolicæ liberam habeant in suo cœmeterio sepulturam, parochianis vestris, ne ibidem debeant sepeliri, præsumitis inhibere, omnes illos, qui in eorum ecclesia officiis divinis intersunt, aut eleemosynas offerunt, asserentes excommunicationis sententiæ subjacere. Quia igitur nulla ratione sustinere possemus, ut eis tantam injuriam inferretis, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus ab hujusmodi præsumptionibus desistentes omnino super damnis et injuriis irrogatis, omni contradictione et excusatione cessantibus, congrue satisfacere non tardetis. Datum Laterani, XVI kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCI

Ad magistrum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum.

17 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 294, n. 325.]

Concedit ordini Theutonico, ut jura sua fratrum testimonio probare et tueri possit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem, etc.

Quotiens postulatur a nobis, quod rationi conveniat et canonice consonet sanctioni, petentium desideriis facilem debemus præbere consensum, ne in eo difficiles videamur, quod convenit celeriter indulgeri. Eapropter, vestris postulationibus inclinati, ut jura vestra testimonio vestrorum fratrum probare et tueri possitis, liberam vobis concedimus facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XVI kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCII

Ad episcopum et cantorem Cabilonenses, et abbatem de Firmitate Cabilonen.

17 jan. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 349. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam ad ecclesiam Eduen. accedendi, et canonicos ad debitum numerum canonicorum implendum cogendi.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo et dilectis filiis cantori Cabilonen., et... abbati de Firmitate, Cabilonen. diœcesis.

Ex parte venerabilis fratris nostri... episcopi Eduen. fuit propositum coram nobis, quod canonici Eduen. propriis commodis inhiantes, præbendarum numerum ab antiquo in ecclesia Eduen. statutum, licet non sint ejus diminuti redditus, restrinxerunt, ut sic in temporalibus magis abundent, dum ea, de quibus sustentari valeret canonicorum numerus consuetus, tali prætextu nituntur in augmentum convertere præbendarum, et in facti sui tuitionem super hoc confirmationis a nobis dicuntur litteras impetrasse. Nolentes igitur divini nominis cultum hujusmodi occasione in ecclesia prædicta diminui, sed potius augmentari, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, antiquum numerum facientes auctoritate nostra servari, præbendas, quas a tempore ultimo constituti inveneritis in ecclesia memorata vacantes, non obstante aliqua constitutione super hoc a canonicis ipsis facta, vel confirmatione a nobis ab eisdem obtenta, personis idoneis cum consilio ejusdem episcopi, sublato appellationis obstaculo, conferatis. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XVI kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCIII

Ad magistrum Hospitalis S. Mariæ Theut.

18 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 294, n. 326.]

Concedit fratribus ordinis Theutonici, ut ob excessus in ipsos vel alios religiosos aut clericos commissos etiam ante susceptum habitum a diœcesanis episcopis absolutionem adipisci possint.

Honorius episcopus, servus servorum

Dei, dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Ea, quæ pro defensione nominis christiani sustinetis, discrimina, nos inducunt, ut, vos et ordinem vestrum favore continuo prosequentes, quieti vestræ propensius intendamus, et studeamus vobis auferre materiam gravaminis et laboris. Hinc est, quod vobis auctoritate præsentium indulgemus, ut, si qui e fratribus vestris in se invicem, sive in alios religiosos quoslibet, seu etiam in clericos sæculares, manus injecerint violentas, per diœcesanos episcopos absolutionis beneficium assequantur, etiamsi eorum aliqui, priusquam habitum vestrum susciperent, tale aliquid commiserunt, propter quod, ipso actu, excommunicationis sententiam incurrissent, nisi excessus eorum esset difficilis et enormis, utpote si esset ad mutilationem membri vel sanguinis effusionem processum, aut violenta manus in episcopum vel in abbatem injecta, cum excessus tales et similes sine scandalo nequeant præteriri.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XV kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCIV

Ad archiepiscopos et episcopos, etc.

17 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 295, n. 327.]

Jubet prælatos ab ordine Theutonico ad ecclesias suas præsentatos vicarios, dummodo sufficientes redditus pro sustentatione et episcopi justitia assignentur, recipere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis, et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto dilecti filii... magister et fratres domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, propriis derelictis, ferventius pro christianitatis commodo jugiter elaborant, nec ponere pro fratribus animas reformidant, tanto ipsis in suis manutenendis justitiis diligentius adesse nos convenit, et eorum incommoditatibus paterna sollicitudine providere, ne, si fuerimus, quod absit, in eorum manutenenda justitia negligentes, a Sarracenorum impugnatione, qui christianum nomen insufflant et fidelium effundere sanguinem moliuntur, desistere compellantur, et amplius adversus christianos eorum insolentia convalescat. Cum autem prænominatis fratribus, de indulgentia Sedis Apostolicæ misericorditer duxerimus indulgendum, ut fructus ecclesiarum, quæ ad eorum donationem pertinent, assignato vicariis unde congrue valeant sustentari, et diœcesano episcopo ejusque officialibus de suis possint justitiis respondere, debeant in subventionem terræ Hierosolymitanæ convertere; quidam episcopi, archidiaconi et decani, ad quos illarum ecclesiarum investitura pertinet, clericos, quos iidem fratres idoneos repræsentant, recipere pro sua voluntate contemnunt, nisi easdem ecclesias clericis, qui de eorum mensa fuerint, seu aliis, licet minus existant idonei, largiantur, si vero iidem fratres, easdem ecclesias, prout desiderant, non assignant, ut libere possint redditus earum percipere, illos per longa tempora faciunt a divinorum celebratione cessare, ut sic fratres ipsi voluntates eorum exsequi compellantur. Nos igitur tantæ prædictorum fratrum incommoditati prospicere cupientes, ne tantam jacturam malitiose cogantur de cætero sustinere, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus clericos idoneos, quos iidem fratres ad ecclesias suas vobis duxerint præsentandos, amodo benignius admittatis; alioquin noveritis, quod ipsis auctoritate Apostolica liberam indulsimus facultatem, ut fructus earumdem ecclesiarum, donec prædicta occasione vacaverint, in subventionem Hierosolymitanæ terræ convertere, et illos valeant libere detinere. Præterea, quia quidam vestrum fratres ipsorum et eorum clericos contra privilegium Sedis Apostolicæ ipsis indultum, sicut dicitur, interdicere et excommunicare præsumunt, districtius inhibemus, ne ipsos fratres vel eorum clericos de cætero taliter interdicere et excommunicare aliquatenus attentetis. Quod si ammodo, quod non cre-

dimus, fuerit attentatum, eamdem volumus sententiam non tenere. Datum Laterani, XV kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCV

Ad eosdem.

18 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 296, n. 328.]

Vetat ab ordinis Theutonici novalibus vel terris post Concilium acquisitis, quas fratres propriis aut manibus aut sumptibus colunt, decimas exigi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus [patriarchis] (1), archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia plerumque veritatis integritas per minorem intelligentiam aut malitiam hominum depravatur, non videtur incongruum, si ea, quæ non manifesta dicta videntur, ad omnem ambiguitatis scrupulum amovendum evidentius exponantur, et turbatoribus veritatis omnis auferatur contradictionis occasio, quatenus ea, quæ dicta sunt, nulla valeant obumbratione fuscari. Accepimus autem, quod, cum dilectis filiis... magistro et fratribus domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani duxerimus concedendum, ut de laboribus, quos propriis manibus vel sumptibus excolunt, de possessionibus habitis ante Concilium generale nemini decimas solvere teneantur, quidam ab eis nihilominus post celebrationem generalis Concilii, contra indulgentiam Sedis Apostolicæ, decimas de prædictis possessionibus exigere ac extorquere præsumunt, ac prava et sinistra interpretatione Apostolici privilegii capitulum pervertentes asserunt de novalibus debere intelligi, ubi noscitur de laboribus esse scriptum. Quoniam igitur manifestum est omnibus, qui recte sapiunt, interpretationem hujusmodi perversam esse et intellectui sano contrariam, cum secundum capitulum illud a solutione decimarum tam de terris illis, quas deduxerunt vel deducunt ad cultum, quam de terris etiam cultis, quas propriis manibus vel sumptibus excolunt, liberi penitus sint et immunes, ne ullus contra eos materiam habeat malignandi vel quomodolibet ipsos contra justitiam molestandi, vobis per Apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus omnibus parochianis vestris auctoritate Apostolica prohibere curetis, ne a memoratis fratribus de novalibus, vel aliis terris post dictum Concilium acquisitis, quas propriis manibus vel sumptibus excolunt, seu de nutrimentis animalium suorum, nullatenus decimas exigere vel extorquere præsumant. Nam si de novalibus tantum vellemus intelligi, ubi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus. Quia vero non est conveniens vel honestum, ut contra statuta Sedis Apostolicæ veniatur, quæ obtinere debent immobilem firmitatem, mandamus vobis firmiterque præcipimus, ut, si qui canonici, clerici, monachi vel laici contra privilegia Sedis Apostolicæ prædictos decimarum de novalibus, vel terris prædictis, exactione gravaverint, canonicos, clericos sive monachos, contradictione et appellatione cessante, sicut justum fuerit, monitione præmissa ab officio suspendatis, laicos excommunicationis sententia percellatis, et tam excommunicationis quam suspensionis sententiam faciatis usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter observari, salva moderatione Concilii generalis. Ad hæc vobis præsentium auctoritate mandamus atque præcipimus, quatenus, si quis in prædictos fratres manus violentas injecerit, eum accensis candelis tam diu sicut excommunicatum publice nuntietis et faciatis ab omnibus cautius evitari, donec congrue satisfaciat prædictis fratribus, et cum litteris diœcesani episcopi rei veritatem continentibus Apostolico se conspectui repræsentet. Datum Laterani, XV kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

(1) Duellius.

CCVI

Ad magistrum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum.

18 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 297, n. 329.]

Ordinem Theutonicum sub Apostolicæ Sedis protectione jubet esse, conceditque ut undique clericos suscipiat et liberæ sepulturæ privilegio fruatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, magistro et fratribus Hospitalis S. Mariæ

Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Quotiens a nobis petitur, quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et domum vestram, in qua estis ad Dei laudem et gloriam et defensionem suorum fidelium et liberandam Dei Ecclesiam congregati, cum omnibus possessionibus et bonis suis, quæ in præsentiarum legitime habere cognoscitur, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, tam trans mare quam cis mare, vobis auctoritate Apostolica confirmamus, ut perpetuis futuris temporibus sub Apostolicæ Sedis tutela et protectione consistant. Ut autem vobis ad curam animarum vestrarum et salutis plenitudinem nihil desit, atque ecclesiastica sacramenta et divina officia vestro sacro collegio exhibeantur commodius, statuimus, ut liceat vobis honestos clericos et sacerdotes, secundum Deum, quantum ad vestram conscientiam ordinatos, undecumque ad vos venientes suscipere et tam in principali domo vestra quam etiam in obedientiis et locis sibi subditis vobiscum habere, dummodo, si e vicino sint, eos a propriis episcopis expetatis, iidemque nulli alii professioni vel ordini teneantur obnoxii. Præterea nulli personæ extra vestrum capitulum sint subjecti, tibique, dilecte in Domino fili magister, tuisque successoribus, tanquam magistro et prælato suo deferant, secundum vestri ordinis instituta. Quicunque vero in cœmeterio vestro elegerint sepeliri, ad sepulturam recipiendi, educendi et sepeliendi, nisi forte excommunicati vel nominatim fuerint interdicti, aut etiam publici usurarii, facultatem liberam habeatis, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XV kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCVII

Ad archiepiscopos, episcopos, etc.

18 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 298, n. 330.]

Vetat de ordinis Theutonici rebus caucagium (1) exigi; jubet clericos interdictum ob violatos fratres emissum despernentes compesci.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Religiosos viros, fratres Hospitalis domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, pro religione et honestate sua tanto propensius a malignorum incursibus protegere volumus et tueri, quanto puriorem devotionem circa nos et Romanam Ecclesiam exhibere noscuntur. Inde est, quod vobis per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus universis parochianis vestris sub interminatione anathematis prohibere curetis, ne a præfatis fratribus vel eorum hominibus, de victualibus, vestimentis, pecudibus, seu de aliis rebus eorumdem fratrum usibus deputatis, caucagium, seu aliquamlibet consuetudinem, exigere vel extorquere præsumant. Si qui autem contra prohibitionem nostram venire præsumpserint, eos a præsumptione sua non differatis per excommunicationis sententiam coercere, et in terris eorum, si quas habent, omnia divina præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium prohibeatis officia celebrari. Ad hæc, quia, sicut prædicti fratres asserunt, quidam presbyteri et alii clerici vestræ jurisdictionis in ecclesiis illis, quæ pro excessibus in domum prædictorum fratrum commissis sub interdicto tenentur, divina celebrare præsumunt, eos, si res ita se habet, a suæ præsumptionis audacia per suspensionis et excommunicationis sententiam compescatis. Datum Laterani, XV kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

(1) Redevance pour l'entretien des chemins.

CCVIII

Ad archiepiscopos, episcopos, cæterosque ecclesiarum prælatos.

18 jan. 1221.

[Ripolli, Bull. Prædicatorum, I, II, n° 18.]

Commendat Dominicum canonicum ordinis fratrum Prædicatorum (1).

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem, etc.

Quoniam abundavit iniquitas et refrigescit caritas plurimorum, ecce ordinem dilectorum filiorum fratrum Prædicatorum Dominus suscitavit, qui non quæ sua, sed quæ sunt Christi quærentes, tam contra profligandas hæreses, quam contra pestes alias mortiferas, extirpandas se dedicarunt evangelisationi verbi Dei, in abjectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum sanctum propositum et necessarium ministerium favore benevolo prosequentes, caritatem vestram rogamus et exhortamur in Domino ac per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus dilectum filium fratrem Dominicum, latorem præsentium canonicum ordinis memorati, pro reverentia divina, ad officium prædicandi, ad quod deputatus est, recipiatis benigne ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsius verbi Dei semen devote suscipiant, sedulo admomentes pro nostra et Apostolicæ Sedis reverentia, in suis ei necessitatibus liberaliter assistatis quatenus, ad illud suscipiendum vestris exhortationibus populi præparati tanquam bona et fructifera terra pro vitiorum tributis incipiant segetem germinare virtutum, et dictus canonicus per cooperationem vestram, suscepti ministerii cursum felicius consummando, optatum reportet sui laboris fructum et finem, salutem videlicet animarum. Datum Laterani, XV kal. febr., pontificatus nostri anno quinto.

CCIX

Ad eosdem.

19 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 299, n. 331.]

Confirmat ordini Theutonico liberas confratrum sepulturam eleemosynarumque quæstionem.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Apostolica Sedes dilectis filiis fratribus domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani indulserit, ut corpora fratrum suorum ecclesiasticæ possint tradere sepulturæ, dignum est, ut super hoc Apostolica statuta serventur. Mandamus itaque vobis atque præcipimus, quatenus memoratis fratribus nullam molestiam inferatis vel a subditis vestris permittatis inferri, quominus confratres suos, nisi excommunicati vel nominatim interdicti decesserint, libere more aliorum fidelium, quandocunque ipsos mori contigerit, valeant sepelire. Eosdem quoque fratres ad quærendas eleemosynas pauperum juxta indulgentiam nostram in ecclesiis vestris recipi faciatis et, si qui subditorum vestrorum eis super hoc impedimentum præstiterint, sublato appellationis obstaculo, censura canonica compescatis. Datum Laterani, XIV kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCX

Ad eosdem.

19 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 300, n. 332.]

Vetat prælatos de bonis ordini Theutonico collatis pro expeditionibus et excubiis faciendis vicesimam vel alias exactiones extorquere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum de viris ecclesiasticis, quibus plurimum expedire dignoscitur, ut in cunctis actibus suis modum ordinemque conservent, nobis aliqua referuntur, quæ illos reprehensibiles reddant, paterno dolemus affectu et de ipsorum emendatione curam volumus gerere pastoralem. Significantibus sane dilectis filiis, fratribus domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, accepimus, quod de possessionibus,

(1) Cf. Epistola CXXV, ad archiepiscopum Tarragon., lib. IV, col. 424.

quæ ipsis a vivis sive defunctis rationabiliter conferuntur, pro vestris expeditionibus et excubiis faciendis, vicesimam quæstam et exactiones ab ipsis indebitas præsumitis extorquere. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus ab hujusmodi exactionibus penitus desistentes, jura prædictorum fratrum in aliquo lædere nullatenus præsumatis, sed ita ipsos sua permittatis libertate gaudere, quod nec ipsi de vobis habeant justam materiam conquerendi nec nos ea districtius requirere compellamur. Datum Laterani, XIV kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXI

Ad magistrum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum.

19 jan. 1221.

[Strelhke, l. c., p. 300, n. 333.]

Vetat quemquam fratrum ordinis Theutonici, præter magistri licentiam, specialem observantiam facere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum vobis secundum apostolum cor unum et anima una debeat esse, nolentes, ut ex diversitate votorum vestræ religionis identitas pati valeat sectionem, auctoritate vobis præsentium inhibemus, ne aliquis fratrum vestrorum, absque sui magistri licentia speciali, abstinentiam vel observantiam faciat præter illam, quæ a capitulo vestræ domus regulariter observatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XIV kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXII

Ad archiepiscopos, episcopos, etc.

19 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 301, n. 334.]

Vetat de ordinis Theutonici possessionibus vicesimam aut alias exactiones extorqueri.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii... magister et fratres domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani nostro apostolatui sunt conquesti, quod quidam magnates, comites et alii nobiles in vestris diœcesibus constituti, de possessionibus, quæ ipsis a vivis sive defunctis rationabiliter conferuntur, pro suis expeditionibus et excubiis faciendis, vicesimam quæstam et exactiones ab ipsis indebitas extorquere præsumunt. Quorcirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus jam dictos molestatores, ut ab hujusmodi molestatione omnino desistant et jura prædictorum fratrum in aliquo lædere non præsumant, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Datum Laterani, XIV kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXIII

Ad eosdem.

19 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 301, n. 335.]

Vetat prælatos de hæreditate hominum ordinis Theutonici partem sibi vendicare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectorum filiorum, fratrum domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, fuit propositum coram nobis, quod, cum ipsi tertiam partem omnium bonorum suorum hominum, qui post se relinquunt hæredes, soliti sint percipere ac medietatem illorum, qui absque hæredibus vel uxore decedunt, etiam homines ipsi ad hoc fide interposita teneantur; presbyteri et clerici tertiam partem portionis, quæ ipsos fratres de jure contingit, sibi præsumunt contra justitiam vendicare, prædictos fratres super ea molestatione indebita fatigantes. Cum igitur eisdem fratribus, qui

præsertim hoc tempore pro servitio Jesu Christi exponunt se multis laboribus et expensis, indebita nolumus inferre gravamina, sed grata subsidia ministrare; universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus presbyteros et clericos antedictos, ut ab indebita molestatione nominatorum fratrum super portione jam dicta penitus desistentes, eam permittant ipsis fratribus pacifice possidere, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellatis, mandatum Apostolicum taliter impleturi, quod non possitis de inobedientia reprehendi, immo potius de obedientia commendari. Datum Laterani, XIV kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXIV

Ad eosdem.

19 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 302, n. 336.]

Concedit ordini Theutonico, ut undique presbyteros ad servitium suum assumere possit et in locis sibi collatis oratoria et cœmeteria pro usu proprio construere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Militia Dei, quæ dicitur domus fratrum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, quam sit orientali ecclesiæ commoda, digna meritis, Deo grata, universitatem vestram credimus non latere. Fraterna igitur caritas nos hortatur, ut, in quantum possumus, necessaria eis subsidia ministremus. Et, quoniam religiose viventes devote student divinis officiis interesse, liberam eis concedimus facultatem idoneos presbyteros ad suum servitium assumere undecunque, qui tamen rite sint in presbyteros ordinati et a propriis episcopis licentiam impetrarint. Ad hæc eisdem fratribus cupientes commodius providere, minuere tamen nullius vestrum jus parochiale volentes vel decimas, sive oblationes, aut sepulturas auferre, in locis sibi collatis, ubi familia videlicet habitat, eorumdem construendi eis oratoria licentiam dedimus, in quibus celebrationi divinorum intersint, et, si quis de ipsis fratribus aut eorum servientibus mortuus fuerit, tumuletur. Est enim indecens et parit interdum periculum animarum, si viri religiosi, occasione ecclesiæ adeundæ se virorum turbis et frequentationibus immisceant mulierum. Quapropter universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus, cum vos, fratres patriarchæ, archiepiscopi vel episcopi, ab eisdem fratribus fueritis requisiti, oratoria eorumdem dedicetis absque aliqua pravitate ac pro sepelienda eorum familia in præfatis locis cœmeteria benedicere procuretis, sine juris præjudicio alieni. Presbyteros quoque manere sinatis in pace, quos ipsi pro exhibendo sibi divino servitio sociarunt. Ad hoc ergo complendum vestra fraternitas opem consilium præbeat et assensum, nec eos in oratoriis construendis impediat aut impediri permittat. Datum Laterani, XIV kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXV

Ad Berengariam Anglorum quondam reginam.

19 januar. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 360. Mss. La Porte du Theil.]

Pactis inter eam atque Henricum, Angliæ regem, de illius dote initis auctoritatem suam adjungit.

Honorius, etc., carissimæ in Christo filiæ B., quondam Anglorum reginæ illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex injuncto nobis officio servitutis incumbit, quum illius vicem licet immeriti geramus in terris, qui non est dissensionis Deus, sed pacis, ut his qui amicabili sunt compositione sopita munimen Apostolicum apponamus, ne relabantur in iteratæ scrupulum quæstionis, et oriatur dissensio inter eos, quos debet unire vinculum caritatis. Inde est quod cum carissimus in Christo filius noster H., rex Anglorum illustris, suis nobis litteris supplicavit, ut compositionem inter te, ac ipsum super observatione compositionis, qua super dote tua, et quibusdam aliis cum claræ memoriæ J. rege patre ipsius inieras, et arreragiis quatuor millium et quingentarum librarum sterlingorum, quæ tibi debebantur ex compositione prædicta amicabiliter initam, robur faceremus habere perpetuæ firmitatis, appositis quas viderimus severitatibus expedire, ac ex parte tua postulatum fuit illud idem, nos tam ipsius

regis, quam tuis precibus annuentes, compositionem ipsam provide factam, et ab utraque sponte parte receptam, sicut in ejusdem regis authentico continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem evidentiam, tenorem ejusdem de verbo ad verbum huic nostræ paginæ duximus inserendum :

H. Dei gratia rex Angliæ, dominus Henricus dux Normanniæ, Aquitaniæ et comes Andegaviæ, omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem. Universitati vestræ notum facimus, quod cum pater noster Johannes, rex Angliæ bonæ memoriæ, quamdam compositionem fecerit cum domina Berengaria, quondam illustri Angliæ regina, relicta [vidua] regis Ricardi, patrui nostri claræ memoriæ, super ejus dotalitio in Anglia, quod ab ipso eadem repetebat, ita quod secundum tenorem ejusdem compositionis, quam nos ratam habuimus et habemus, a dicto patre nostro pro se et hæredibus suis factæ, et in animam suam jurare [non renuit], dicta domina Berengaria ab eodem, et suis hæredibus, in domo novi Templi Londonii mille libras bonorum et legalium sterlingorum deberet recipere annuatim, prout hoc cum quibusdam aliis articulis in carta patris nostri plenius continetur, et ipsa regina compositionem eamdem sibi peteret observari, et quatuor millia et quingentas libras sterlingorum pro arreragiis suis, ea scilicet ratione, quia per tantum temporis cessatum fuit a solutione prædictarum mille librarum, super præmissis taliter, pro nobis et successoribus nostris, convenimus cum eadem, scilicet, quod de prædicta summa arreragiorum mille marcas ei reddidimus in præsenti, et ipsa regina de præmissa summa nobis remisit quingentas libras, et de residuo arreragiorum reddemus ei quolibet anno quingentas marcas, donec tota summa eorumdem arreragiorum plenarie sit soluta. Nihilominus reddemus ei annis singulis mille libras bonorum et legalium sterlingorum sibi debitas ex compositione præmissa, et ita quolibet anno recipiet duo millia marcarum pro compositione et arreragiis, propter quæ assignavimus eidem stagnarias nostras de Cornubia, et Devonia cum omnibus exitibus, qui ex eis provenient, et exitus cambii monetæ nostræ, et eam posuimus in corporalem possessionem earumdem, ex quarum proventibus solutiones suas recipit, sicut superius est præmissum. Si autem contigerit, quod aliquid ultra duo millia marcarum ex prædictis provenerit, nobis remanebit, et, si ad solutionem præmissam non sufficerent, supplebimus ei de redditibus nostris Londoniarum, et, si illud etiam non sufficeret, reddemus ei residuum ad schacarium nostrum Londoniarum. Prædictos autem redditus percipiet et tenebit absque nostra, vel nostrorum contradictione vel impedimento, sicut prædictum est, sed nos assignabimus nomine reginæ ad prædictos redditus colligendos et reddendos eidem reginæ viros fideles et discretos, qui jurabunt, quod fideliter de omnibus exitibus dominæ reginæ, vel attornatis suis respondebunt in domo novi Templi Londoniarum usque ad prætaxatam summam duorum millium marcarum, scilicet mille marcas in festo Omnium Sanctorum, et mille marcas in festo Ascensionis Domini. Finita autem solutione arreragiorum domina regina in prædictis redditibus, et prædicto loco recipiet, ut superius dictum est, singulis annis mille libras tantum bonorum et legalium sterlingorum ex compositione sibi debita prædicta. Poterit autem ipsa regina disponere de prædictis arreragiis ad voluntatem suam quandocumque sibi placuerit sive in vita, sive in morte, et nos ei, vel eis, quibus ipsa concesserit, eodem modo tenebimus sicut et ipsi. Si autem contingeret aliquo modo, quod domina regina prædictam solutionem, sicut supra dictum est, non reciperet, quod salvo sacramento nostro non possit fieri, sit totum negotium in eo statu, in quo erat quando præsens carta fuit confecta, et quingentæ libræ quas nobis remisit, sicut pro non remissis, compositione præmissa a patre nostro cum eadem regina facta, et omnibus aliis rescriptis apostolicis in suo robore permanentibus, et tenebimur reddere eidem reginæ omnes expensas rationabiles et moderatas et honestas, quas in prosecutione istius negotii fecerit pro defectu nostro. Nos autem de consilio domini Pandulfi domini papæ camerarii, Norwicen. electi, Apostolicæ Sedis legati, et archiepiscoporum, episcoporum et baronum nostrorum asserentium nobis et terræ nostræ hoc expedire, promisimus dictæ dominæ reginæ, et in animam nostram Johannem Rossellum senescalcum nostrum jurare fecimus, quod

omnia prædicta et subsequentia ei observabimus illibata bona fide, et warantizabimus et defendemus contra omnem hominem seu feminam toto tempore vitæ nostræ, et in pacifica possessione prædictorum eam conservabimus pro posse nostro bona fide. Et ad majorem hujus rei securitatem ad mandatum nostrum juraverunt archiepiscopi, episcopi, barones et alii clerici, et laici, quod pro posse suo modis omnibus facient, procurabunt, et dabunt operam efficacem, quod omnia sicut scripta sunt plenarie observentur et nullo modo contra fiet, et de hoc faciendo, et conservando quilibet eorum dedit litteras suas patentes eidem reginæ, et si aliqui de prædictis juratis decesserint, successores eorum loco eorum faciemus hoc idem jurare, et alios, quos domina regina causæ suæ viderit necessarios, et litteris eorumdem patentibus confirmare. Volentes igitur dominæ reginæ super prædictis plene cavere, supplicamus domino papæ fideliter quod omnia ista confirmet et apponat omnes securitates, quas viderit expedire, et nos eas ratas habebimus. Actum London, anno Dominicæ Incarnationis MCCXX, mense julii, anno regni nostri quarto.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XIV kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

In eumdem modum scriptum est ad Stephanum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, archiepiscopum Cantuariensem, et episcopum Saresberiensem, *usque :* quas videremur securitatibus expedire. *Deinde prosequitur :* « Nos tam ipsius regis quam ejusdem reginæ precibus annuentes, compositionem ipsam provide factam, et ab utraque parte sponte receptam auctoritate Apostolica confirmavimus, sicut in ejusdem regis authentico continetur. Ne igitur compositionem eamdem Apostolico munimine roboratam cujusquam temeritas violare præsumat, fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ipsam facientes auctoritate nostra suffulti firmiter observari, quotiens fueritis requisiti, eos, qui contra venire præsumpserint monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, compescatis. Quod si non ambo, etc., alter vestrum, etc.

CCXVI

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates, priores et alios ecclesiarum prælatos.

19 januarii 1221.

[Strehlke, Tab. ord. Theut., p. 303.]

Vetat ordinis Theutonici homines pecuniaria pœna puniri et ecclesiis aut presbyteris exactiones indebitas imponi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Querela dilectorum filiorum fratrum domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani ad nos transmissa pervenit, quod homines eorumdem, quos adulterio vel alio crimine deprehenditis irretitos, contra libertates a regibus et aliis principibus ipsis indultas pecuniaria pœna punitis, presbyteros etiam ecclesiarum suarum et omnes alias, quas tenent, non dubitatis ut dicitur indebitis exactionibus aggravare. Quia igitur gravamen prædictorum fratrum dissimulare non possumus nec debemus, quos propter pauperes Christi, quorum sunt obsequiis mancipati, in suis volumus justitiis confovere, universitati vestræ auctoritate Apostolica inhibemus, quatenus homines ipsorum contra libertatem eis indultam pœna pecuniaria non mulctetis nec ecclesiis eorum aut presbyteris exactiones indebitas imponatis, sed ab eorum molestiis desistentes contra injurias malignantium, vestrum curetis patrocinium exhibere, ita quod querela super hoc ad audientiam nostram iterata venire non debeat, nec vos possitis de avaritia merito vel contemptu Sedis Apostolicæ reprehendi. Datum Laterani, XIV kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXVII

Ad eosdem.

20 januarii 1221.

[Strehlke, l. c., p. 303.]

Jubet vicarios ad servitium in ordinis Theutonici ecclesiis obligatos in propriis personis id præstare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et

episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis, præpositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii, fratres domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, gravem ad nos querimoniam destinarunt, quod quidam eorum vicarii, qui tenentur in suis ecclesiis personaliter deservire, contra voluntatem ipsorum et inhibitionem Sedis Apostolicæ, vicarios alios in eisdem ecclesiis instituere non formidant, bona illa, quæ de suis percipiunt vicariis, in usus extraordinarios expendentes. Quia vero, sicut temporalia metimus, ita et spiritualia serere nos oportet, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus dictos vicarios, ut in ecclesiis eorumdem fratrum vicarios alios instituere minime præsumant, immo personaliter, ut tenentur, deserviant in eisdem, monitione præmissa, per ipsorum beneficiorum subtractionem, appellatione remota, cogatis. Datum Laterani, XII kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXVIII

Ad eosdem.

20 januarii 1221.

[Strehlke, l. c., p. 304.]

Honorius vetat homines ordinis Theutonici pecuniaria pœna puniri.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem, etc.

Dilecti filii, fratres domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, transmissa nobis insinuatione monstrarunt, quod archidiaconi et decani in vestris partibus constituti, tam per se quam per officiales suos homines prædictorum fratrum pro excessibus suis ad judicium ecclesiasticum pertrahunt, ut eorum potius pecuniam tollant, quam ut dignam eis pœnitentiam pro peccatis injungant, cum indignum sit, ut prædicti fratres, qui ad defensionem orientalis ecclesiæ pias ab aliis eleemosynas quærunt, dispendium aliquod vel gravamen in rebus, quæ ad eos pertinent, patiantur; ideoque fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus prædictos archidiaconos et decanos, seu quoslibet officiales eorum, appellatione et excusatione cessantibus, per censuram ecclesiasticam compescatis, ne homines prædictorum fratrum pro excessibus suis pœna pecuniaria puniant, sed alia eis imposita pœnitentia bona eorum ad usus prædictorum fratrum in pace ac quiete dimittant. Datum Laterani, XIII kalend. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXIX

Ad eosdem.

20 januarii 1221.

[Strehlke, l. c., p. 304.]

Honorius vetat ordinis Theutonici apostatas ad aliam religionem transituros recipi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Militum domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani professio, sicut in scriptis eorum et privilegiis continetur, est talis, ut ne cui post factam professionem semel assumptam crucem Dominicam et habitum ipsius abjicere, vel alium locum, seu etiam monasterium majoris sive minoris religionis obtentu, invitis sive inconsultis fratribus aut eo, qui magister extiterit, liceat transmigrare nullique ecclesiasticæ sæcularive personæ ipsos suscipere liceat vel tenere. Cum enim ad defendendam orientalem ecclesiam et paganorum sævitiam reprimendam relictis pompis sæcularibus Dei sint servitio mancipati, si transeundi ad alia loca et sumptum habitum relinquendi daretur eis licentia, magnum Ecclesiæ Dei posset exinde contingere detrimentum, ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus, si, quis ex ipsis in parochiis vestris vel locis vobis commissis id attentare præsumpserit, tam ipsum quam qui eum ausu temerario retinere tentaverit, omni occasione remota, excommunicationis vinculo innodetis. Datum Laterani, XIII kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXX

Ad eosdem.

20 januarii 1221.

[Strehlke, loc. cit., p. 305.]

Honorius vetat prælatos ordinem Theutonicum ratione generalis Concilii molestare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Non sine gravi Apostolicæ Sedis injuria et grandi contumelia Creatoris quidam, qui ponunt lucem tenebras et tenebras lucem, dilectos filios fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani ab Ecclesia Romana specialis privilegii prærogativa donatos, et deputatos specialiter servitio Jesu Christi, occasione Concilii generalis plus debito et amplius solito gravare præsumunt, novis et inexquisitis eos molestiis affligentes, propter quod eleemosyna, quæ solebat proficere pauperibus Christi et subsidio Terræ Sanctæ, sic est per iniquitatis dispendium angustata, quod eadem est ex parte maxima diminuta. Præterea libertates et indulgentias eis ab Apostolica Sede concessas per malitiosæ interpretationis calumniam pervertentes, ipsis temere se opponunt nec confratres eorum et eligentes in eorum ecclesiis sepulturas, qui nec excommunicati sunt nec etiam nominatim interdicti, permittunt apud se libere sepeliri. Exhortationem quoque ad populum pro recipiendis eleemosynis consuetis, confratrias etiam ipsorum, quæ præcipuæ nullis aliis interpositis esse debent, impediunt pro suæ arbitrio voluntatis, propter hoc tantum eorum profectibus invidentes, quia vident eos causam pauperum, imo ejus, qui simul in unum voluit esse dives et pauper, relictis mundi vanitatibus procurare. Cum igitur præfati fratres post Deum nullum habeant præter Romanum pontificem defensorem: universitati vestræ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus eos, imo Christum in eis, cujus sunt servitio deputati, recipientes honorifice et benigna caritate tractantes, ipsos occasione Concilii nec gravetis indebite nec patiamini ab aliquibus temere molestari. Et, quum ipsius sit interpretari jura, qui condere ipsa potest, a superstitiosa interpretatione Concilii curetis vos ipsos et alios cohibere, ac confratres ipsorum et alios eligentes ex pietate in eorum ecclesiis sepulturas, dummodo non sint excommunicati vel nominatim interdicti aut publice usurarii, dimittatis apud eos libere sepeliri, salva justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Et, si dicti fratres vel eorum nuntii semel in anno ad vos vel ad ecclesias venerint vestræ jurisdictioni subjectas, eleemosynas in pace quærere ac exhortari populum permittatis, nullis confratriis aliis interpositis ea die; populum nihilominus vestrum moneatis et efficaciter inducatis, ut eorum fraternitates assumere, ac legata eis in ultima voluntate relicta, et alia illis beneficia sine difficultate studeant exhibere. Nos vero eis, qui dictis fratribus manum porrexerint pietatis, si vere fuerint pœnitentes, juxta devotionis affectum et subsidii quantitatem suorum peccaminum veniam pollicemur, præsentium vobis auctoritate mandantes, ut præsentes litteras, quotiens a dictis fratribus fueritis requisiti, per vestras faciatis diœceses et parochias publicari et subditos vestros, qui super præmissis eis impedimentum præstiterint vel gravamen, censura canonica secundum officii vestri debitum compescatis. Dat. Laterani XIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXXI

Ad eosdem.

21 jan. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 306.]

Jubet Honorius, ornatos false nigris ordinis Theutonici crucibus ad eleemosynas colligandas ecclesiastica disciplina coerceri.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis, et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Decet pastoralis sollicitudinem dignitatis, pravas et enormes iniquitates evellere et vitia, quæ periculum pariunt animarum, radicitus amputare. Detestandum siquidem

facinus et plurimum abhorrendum per diversas mundi partes accepimus pullulare, quod quidam avaritiæ amore cæcati, potius quam zelo religionis accensi, nigras cruces, quas fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani deferunt, sibi imponere et eas portare minime verentur, ut sic possint sub tali velamento eleemosynas pauperibus deputatas colligere et sibi animarum perniciem generare. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eos, qui crucem nigram portandam assumunt aut signum, quod dictorum fratrum homines deferunt et oblati, cum non sint de professione ac collegio ipsorum fratrum, omni cum districtione compellere studeatis, ut a tanta stultitia et errore desistant et crucem aut dictum signum nulla ratione ulterius deferre præsumant. Si quis vero a vobis commonitus a sua noluerit temeritate cessare, in eum ecclesiasticæ animadversionis gladium auctoritate nostra, omni occasione et appellatione postpositis, exeratis. Datum Laterani XII kalend. februarii pontificatus nostri anno quinto.

CCXXII

Ad præpositum et capitulum S. Juniani Lemovicen.

23 jan. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 358. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit eis ut H. David, et W. Goet compatriotas ipsorum, juxta mandatum Apostolicum de hoc jam olim datum, in canonicos et fratres recipiant.

Honorius, etc., dilectis filiis... præposito et capitulo Sancti Juniani Lemovicen., salutem, etc.

Saltem his, qui de terra vestra ducunt originem non solum caritatis obtentu, verum etiam naturalis amoris intuitu, ita vos exhibere decuerat liberales, ut ipsos pro eo quod de nostra eis potestis gratia elargiri, non pateremini ad Sedem Apostolicam laborare. Unde non sine causa miramur, quod cum pro pauperibus clericis compatriotis vestris, H. David primo ac postmodum, W. Goet semel et iterum vobis direxerimus scripta nostra, ut eos in ecclesia vestra reciperetis in canonicos et in fratres, diversis eis monitoribus deputatis, vos eos recipere non curastis, sicut ipsorum nobis instantia lacrymabilis patefecit, in occasionem, ut iidem asserunt, prætendentes quod ecclesia vestra de mandato nostro fuerat ordinata, et unus in ea in canonicum est receptus, quamvis ille receptus a prædecessore nostro litteras executorias impetrasset, et post ordinationem hujusmodi tres canonici viam sint universæ carnis ingressi, nec loco eorum sit aliquis substitutus. Nolentes igitur quod de ipsis inchoavimus propter Deum relinquere inexpletum, universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus loco defunctorum ipsorum præfatos H. et W. recipiatis in canonicos et in fratres, quum non intendamus pro aliis de cætero vos gravare. Alioquin nolentes ut ad nos verbum nostrum vacuum revertatur, dilectis filiis..., archidiacono de Sigalonia, Bituricen. diœcesis, et magistro Bono Amico, et Stephano de Flori canonicis Bituricen., nostris damus litteris in mandatis, ut vos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant. Datum Laterani, X kalendas februarii, anno quinto.

Scriptum est super hoc eisdem.

CCXXIII

Ad priorem et fratres S. Angeli de Monte Foliano.

23 jan. 1221.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, p. 209.]

Concedit monasterio Sancti Angeli de Monte Foliano licentiam suscipiendi regulam Sancti Benedicti, sicut in ordine Cisterciensi observatur.

Gaudemus in Domino, quod æmulantes charismata meliora, et adhuc excellentiorem viam aggredi cupientes, nobis humiliter supplicastis, ut suscipiendi regulam Sancti Benedicti, sicut in Cisterciensi ordine observatur, vobis licentiam concedere dignaremur. Nos igitur vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, vobis concedimus postulata, et tibi, fili prior, ut novitiis post regularem probationem, consueta benedictione præmissa, cucullam tribuas, auctoritate præsentium litterarum indulgemus. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, X kalend. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXXIV

Ad priorem et fratres ordinis Prædicatorum.

23 jan. 1221.

[Ripolli, Bull. Prædicat., 12, 19.]

Prohibet ne quis votis solemnibus adstrictus, sine prioris sui licentia, ab ordine discedat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus ordinis Prædicatorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum is qui ecclesiam suam nova semper prole fœcundat, volens hæc moderna tempora conformare prioribus, et regularem vitam professi, verbi Dei exhortationi vacetis, evangelizantes per orbem nomen Domini Jesu Christi, auctoritate præsentium inhibemus, ne quis post ordinis vestri professionem sine prioris sui discedat licentia, et discedentem absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Nulli ergo, etc.

Datum Laterani, X kalendas februarii, pontificatus anno quinto.

CCXXV

Ad Robertum Vesprimiensem et Thomam Agriensem episcopos.

24 jan. 1221.

[Koller, *Episc. Quinqueeccles.*, II, 31.]

Ex testium depositionibus invenitur Bartholomæus electus Quinqueecclesiensis episcopus sufficientis fuisse ætatis tempore electionis, ac proinde de hoc absolvit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Vesprimiensi et... Agriensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.

Depositionibus testium receptorum super eo, quod venerabilis frater noster Quinqueecclesiensis episcopus dicebatur ætatis sustinere defectum, quando fuit in episcopum ecclesiæ Quinqueecclesiensis electus, diligenter inspectis : quia invenimus sufficienter probatum, illum ipsius electionis tempore fuisse sufficientis ætatis, ipsum super hoc de fratrum nostrorum consilio duximus absolvendum; ideoque fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus illos, quibus episcopatus sui cura noscitur esse commissa, non permittatis super ejusdem episcopatus justitiis ab aliquibus temere molestari; molestatores, si qui fuerint, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, ratione prævia compescentes. Datum Laterani, IX kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

In eumdem modum scriptum est ad Bartholomæum electum eodem die.

CCXXVI

Ad Hugonem Lingonensem et Gerardum Valentinensem.

25 jan. 1221.

[Gallia Christiana, IV, inst. 203.]

Mandat eis ut de vita et miraculis Roberti, qui fuit primus abbas conventus Molismensis, informent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Lingonensi et Valentinensi, Matisconensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Gloriosus Deus in Sanctis suis, quorum animas jam glorificavit in cœlis nonnunquam corpora honorat in terris, faciens ea quasi participantia supernæ gloriæ divinis miraculis coruscare, quibus, tanquam veridicis linguis, sancti notam faciant filiis hominum Dei potentiam, et gloriam magnificentiæ regni ejus, et nos ad venerationem eis debitam exhibendam, eorumque suffragia imploranda merito incitemur. Unde gaudemus in Domino, et in ejus laudibus delectamur, quod sicut dilecti filii universi abbates Cisterciensis ordinis in generali capitulo congregati, nec non abbas et conventus Molismensis suis nobis litteris intimarunt felicis recordationis Robertus, qui primus Molismensis monasterii fuit abbas, primusque fecit Cisterciensis ordinis fundamentum, quod divina gratia faciente crevit in templum sanctum in Domino, religiose vivens, tanta fulsit gratia meritorum, quod Dominus tunc multa et magna per eum miracula operatus, adhuc post ejus felicem obitum, ad sepulchrum ipsius, ad ostensionem sanctitatis ejusdem dignatur operari majora, ut quem virtus morum honestavit in via, miraculorum virtus nobis insinuet in patria honorari. Quare iidem nobis supplicarunt instanter, ut cum luce clarius pateat ipsum in ordine confessorum regnare in ecclesia triumphanti, eum in militanti ecclesia sanctorum catalogo adscribere deberemus. Ve-

rum, quia in tam sancto negotio non est nisi cum gravitate plurima procedendum, nos de fide ac discretione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tam de vita, quam de miraculis Sancti prædicti perquirentes sollicite veritatem, quam inveneritis per vestras nobis litteras fideliter intimetis, ut ex vestra relatione sufficienter instructi, procedamus exinde prout secundum Deum viderimus procedendum. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, VIII kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXXVII

Ad universos Christi fideles nobiles et alios per Angliam constitutos.

25 jan. 1221.

[Martene, Thes. Anecd., I, 938, sine signo chronologico.]

Significat Honorius quod Stephanus, archiepiscopus Cantuariensis, S. R. E. cardinalis, translaturus est in locum honorabiliorem corpus sancti Thomæ Cantuariensis martyris, et exhortatur fideles ut sese præparent ad celebrandam hanc solemnitatem.

Honorius, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus nobilibus, et aliis per Angliam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Rex cœlestis, Dominus angelorum, regnum Angliæ cæteris altius nostris temporibus honoravit, dum mundo posito in maligno, et malitia hominum crescente, virum sibi exinde sine macula præelegit, qui non solum in tempore iracundiæ reconciliatio factus est ut sacerdos, verum etiam ad cœleste convivium invitatus illum saporare meruit, quem bibebat Dominus calicem passionis. Et quia inventus est Deo gratus, coronavit eum gloria et honore, coronam quidem ipsius capiti superponens de lapide pretioso ut sic unus ex angelicis inter angelos super opera manuum Domini constitutus, pro peccatis populorum omnium fieret intercessor. Cantet igitur novum Domino canticum felix Cantuariensis ecclesia, cujus aram suo purpuravit pretioso sanguine martyr Thomas; quin immo civitas ipsa tota Deo potest exultationis voce non immerito jubilare, quæ, cruore roseo sui martyris rubricata, pulchra facta est et apparuit speciosa; unde diversarum multitudo gentium ex omni fere quæ sub cœlo est natione celebritatem ipsius summopere venerans quodam quasi felici præsagio suum esse videtur sortita vocabulum ex eventu ac si dicatur expresse : Cantuaria, cantus ara.

Vos, inquam, diligenter attendatis hunc honorem, gratiarum actiones Largitori bonorum assiduas exsolvatis, cui vos ex impensæ benedictionis gratia terræ vestræ cognoscere potestis debitores, ut ingratitudinis evitetis vitium et possitis devoti filii nuncupari. Et quidem si omni tempore puro corde benedicere et honorare Deum debeatis : isto tamen præcipuo vos oportet vestes induere nuptiales, et cum jucunditate in laudes vestro assurgere creatori, cum venturæ festivitatis veneranda solemnitas id exposcat. Sane fratre nostro Cantuariensi episcopo, S. R. E. cardinali, nuper accepimus insinuante, quod idem volens ostendere in effectu quanto devotionis fervore martyris supradicti memoriam veneretur, sacratissimum corpus ejus sublevare proponit de terra, ipsumque translatum honorabilius collocare, condignum sibi et condecens videatur illum quantum in eo est exaltare in terra, quem in cœlo Dominus exaltavit. Nos igitur, pium et laudabile archiepiscopi memorati propositum acceptantes, universitatem vestram monendam duximus et hortandam, per Apostolica scripta vobis mandantes, quatenus pacem mutuam et concordiam in caritatis vinculo conservantes, vestras conscientias cunctis perversitatibus expietis, et sic vos in bonis operibus studeatis exercere, ut cum dies ipsius solemnitas advenerit, in occursu vestri sanctissimi martyris et patroni, ipsum possitis honorificentia debita taliter venerari, quod doceatis alios per exemplum quantum esse debeat celebris per diversa mundi climata præfati martyris memoria gloriosa.

In eumdem modum scriptum est Stephano Cantuariensi archiepiscopo, mutandis mutatis.

CCXXVIII

Ad Ambianensem episcopum.

27 jan. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 369. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem excommunicatos propter violentam manuum in clericum injectionem, modo satisfaciant, absolvendi.

Honorius, etc., vener. fratri Ambianen. episcopo.

Quum sicut ex parte tua fuit nostris auribus intimatum nonnulli tuæ diœcesis pro injectione manuum in clericos et alias religiosas personas in canonem latæ sententiæ incidentes, tum propter loci distantiam, et difficultatem itineris, tum propter expensarum defectum, venire non possunt ad Sedem Apostolicam absolvendi, ac per hoc in excommunicatione decedant, nos hujusmodi periculo remedio volentes occurrere salutari, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut si tuæ diœcesis sacrilegæ manus injector, infra quindecim dies maxime postquam fuerit requisitus, injuriam passo satisfecerit competenter, ei juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendas, nisi tam gravis fuerit et enormis excessus, ut merito sit ad Sedem Apostolicam destinandus, vel injuriator talis extiterit qui alias similem commisisset excessum, unde juramentum in absolutione sua præstitum violarit, propter quod hujusmodi gratia reddiderit se indignum. Datum Laterani, sexto kal. februarii, anno quinto.

CCXXIX

Ad eumdem.

27 jan. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 310. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem sacerdotes, qui excommunicationem propter inobedientiam statutis quibusdam cardinalis Sancti Martini incurrerant, modo resipiscant, absolvendi.

Honorius, etc., eidem venerabili fratri Ambianen. episcopo.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum quibusdam sacerdotibus, clericis, et aliis personis ecclesiasticis, quæ pro eo excommunicationis sententiam incurrerunt, quod contra inhibitionem dilecti filii nostri G. tituli Sancti Martini in Monte, presbyteri cardinalis, officio legationis in Gallicanis partibus tunc fungentis, cappas manicatas deferre, ac retinere concubinas publice præsumpserunt, nec non et cum illis, qui tali excommunicatione ligati divina non sunt veriti celebrare, aliquibus discretis dispensandi licentiam concedere dignaremur. Nos igitur de discretione tua plenam fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sacerdotibus, et aliis supradictis, juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendas, et injuncto eis quod de jure fuerit injungendum cum illis, qui præmissis de causis vinculo excommunicationis adstricti, divina præsumpserunt officia celebrare, de misericordia, quæ superexaltat judicio, auctoritate nostra dispenses. Datum Laterani, sexto kalendas februarii, anno quinto.

CCXXX

Ad Angelum Gradensem patriarcham.

27 jan. 1221.

[Ughelli, Italia sacra, t. V, p. 1135.]

Petente patriarcha, ecclesiam Gradensem sub beati Petri et sua protectione suscipit Honorius.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Graden. patriarchæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis, etc. Ea propter, in Christo frater, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, ad exemplar felicis recordationis Innocentii papæ prædecessoris nostri ecclesias S. Sylvestri, S. Jacobi de Lupino et S. Martini de Geminis, S. Matthæi, SS. Cantiani et Cancianillæ, S. Mariæ de Cruciariis, S. Clementis in Venetia, ecclesiam etiam S. Akidani baptismalem in Constantinopoli, cum omni jure institutionis earum, et decimis burgensium parochianorum suorum, qui in prædicta ecclesia S. Akidani ecclesiastica percipiunt sacramenta, et justitias, quas habes in capellis monasteriorum S. Nicolai, S. Felicis, et S. Georgii, et omnibus aliis pertinentiis earumdem, sicut eas juste possides et quiete, tibi, ac per te Graden. ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo, etc. Datum Laterani, VI kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXXXI

Ad episcopum Glasguensem.

27 januarii 1221.

[Theiner, Mon. Hibern. et Scotor., p. 18.]

Mandat episcopo Glasguensi, ut religiosos suæ diœcesis, qui sententias excommunicationis per eum latas non observent, per subtractionem beneficiorum coerceat.

Honorius episcopus.... venerabili fratri... episcopo Glasguensi, salutem, etc.

Cum enormes excessus relinqui non debeant impuniti, ne forte trahantur a præsumptoribus in exemplum : nos, qui licet immeriti super universam ecclesiam pastoralis officii sollicitudinem exercemus, summo debemus studio providere, ne, quod contra disciplinam ecclesiasticam attentatur, in derogationem ipsius remaneat incorrectum. Oblata siquidem nobis ex parte tua petitio continebat, quod cum in canonicos de Gedeworde, et quosdam alios religiosos tuæ diœcesis pro suis duntaxat excessibus excommunicationis aut interdicti sententias rationabiliter promulgaris, iidem in ventum elationis erecti, sententiis ipsis temere vilipensis, divina non verentur officia celebrare in plurimorum scandalum et suarum perniciem animarum. Ne igitur tantæ temeritatis excessus, si remanserit impunitus, similia committendi quibuslibet tribuat incentivum, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus talium et similium contumaciam per subtractionem beneficiorum suorum, quousque resipuerint, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra studeas coercere. Datum Laterani, VI kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXXXII

Ad priorem et capitulum S. Pauli Bisuntin.

28 jan. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 562. Mss. La Porte du Theil.]

Indulgentiam decem dierum, omnibus ipsorum ecclesiam solemnitate B. Pauli visitantibus concedit.

Honorius, etc., dilectis filiis, priori et capitulo Sancti Pauli Bisuntin.

Quanti meriti beatissimus Paulus apostolus, et doctor gentium sit in cœlis, ostendit fervor caritatis eximiæ quam habuit constitutus in terris, propter quod Christi fideles ad ejusdem gloriosissimi Apostoli veneranda solemnia debent devote concurrere, ac precum ejus suffragia humiliter implorare, ut ab eo cujus nomen coram regibus et gentibus, ipso illum sibi vas electionis providente, portavit, ejus interventu mereantur clementius exaudiri. Volentes igitur ipsos fideles ad ejus provocare obsequia, et ad promerenda ejus suffragia, incitare, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et ejus de quo loquimur Pauli apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus, et confessis, qui ad ecclesiam vestram in solemnitate conversionis ejusdem beati Apostoli devote convenerint, decem dies de injunctis sibi pœnitentiis, pro ipsius gloriosissimi Apostoli reverentia, misericorditer relaxamus. Datum Laterani, V kal. febr., pontificatus nostri anno quinto.

CCXXXIII

Ad decanum et capitulum Sancti Stephani Bisuntin.

29 jan. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 363. Mss. La Porte du Theil.]

Declarat se per innovationem privilegii a Calixto papa in favorem ecclesiæ Sancti Johannis concessi, ipsorum ecclesiæ jus lædere non voluisse.

Honorius, etc., dilectis filiis, decano et capitulo Sancti Stephani Bisuntin.

Licet olim innovaverimus privilegium felicis memoriæ Calixti papæ prædecessoris nostri ecclesiæ Sancti Johannis Bisuntin. concessum, præsenti tamen pagina declaramus, quod nostræ intentionis non fuit, ut jus ecclesiæ vestræ per hoc in aliquo læderetur, cum per innovationes hujusmodi non acquiratur jus novum, sed antiquum solummodo conservetur. Unde præsentes litteras super hoc vobis in testimonium duximus concedendas. Nulli ergo, etc., nostræ declarationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, IV kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXXXIV

Ad episcopum Cabilonensem et abbatem de Firmitate.

29 jan. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 336. Mss. La Porte du Theil.]

Matisconensis episcopi cessionem ab episcopatu admittit.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo

Cabilonen., et dilectis filiis ..... abbati de Firmitate, Cistercien. ordinis, Cabilonen. diœcesis.

Multiplicatis precibus venerabilis fratris nostri.... quondam Matisconen. episcopi benignius annuentes, ipsum a cura regiminis ecclesiæ Matisconen. absolvimus, eidem ut pontificalibus utatur insignibus concedentes. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfato episcopo, et bene merito, de proventibus Matisconen. episcopii provisionem congruam assignetis, ita quod ejus provisio nec sibi nimium tenuis, nec ejus successori nimium pinguis merito videatur. Datum Laterani, IV kalend. februarii, anno quinto.

CCXXXV

Ad episcopum Matisconensem.

30 jan. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 382. Mss. La Porte du Theil.]

Cessionem ejus ab episcopatu admittit.

Honorius, etc., venerabili fratri P. episcopo quondam Matisconen.

Multiplicatis precibus tuis tandem benignius annuentes te a cura regiminis ecclesiæ Matisconen. absolvimus, concedentes, ut pontificalibus utaris insignibus, ac mandantes ven. fratri nostro... Cabilonen. episcopo et dilecto filio... abbati de Firmitate Cistercien. ordinis, Cabilonen. diœcesis, ut de proventibus Matisconen. episcopii, cui laudabiliter præfuisti, congruam tibi provisionem assignent. Datum Laterani, tertio kalendas februarii, anno quinto.

CCXXXVI

Ad episcopos Trecensem et Lingonensem.

30 jan. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 364. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam de G. Lausanensi electo, qui ad sedem Bisuntinam a canonicis vocabatur, inquirendi, et si idoneus videretur, ipsum confirmandi.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus Trecen. et Lingonen. episcopis.

Ecclesia Bisuntina pastoris solatio destituta, dilecti filii S. Stephani, et... S. Johannis Bisuntin. decani, et canonici, convocatis qui fuerant convocandi, de more convenientes in unum, potestatem providendi sibi personam idoneam canonice in pastorem, in... priorem S. Pauli... cantorem S. Stephani... archidiaconum de Salinis et... camerarium Bisuntin. unanimiter contulerunt. Quibus concorditer nominantibus dilectum filium G. Lausanen. electum, a Sede Apostolica postulandum, præfati decani et canonici procuratores suos ad nostram præsentiam destinantes postularunt concorditer et instanter, ut eumdem electum eis in pastorem concedere dignaremur. Licet autem tam ipsi, quam nonnulli alii, qui super hoc nobis suas litteras direxerunt, electum ipsum multipliciter de litteratura, prudentia et honestate commendent, et nos ad provisionem ipsius ecclesiæ jamdudum pastoris solatio destitutæ, debita sollicitudine intendamus, quia tamen circa personam suam non solum aliis, sed etiam episcopis præferendam impensiorem diligentiam convenit adhibere, in negotio ipso, quum dicti electi persona sit nobis incognita, duximus cum maturitate debita procedendum. Ideoque fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus electum ipsum circa litteraturam, et alia, quæ in pontifice requiruntur, diligenter examinare curetis, et si eum ecclesiæ Bisuntinæ regimine inveneritis esse dignum, ipsum eidem auctoritate nostra in pastorem et episcopum concedatis, a cura Lausanen. ecclesiæ absolutum. Datum Laterani, III kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXXXVII

Ad Andream archiepiscopum Lundensem.

30 jan. 1221.

[Celse, Apparat. 59, n. 18, fragm.]

Mandat ut recipiat et custodiat pecuniam quam Upsalensis archiepiscopus assignare debet.

Honorius, servus servorum Dei, archiepiscopo Lund. (Andreæ), salutem, etc.

Fraternitati tuæ mandamus, quatenus pecuniam, si quam tibi nostro nomine venerabilis frater noster Upsalensis archiepiscopus assignabit, recipias et custodias diligenter, donec super hoc a nobis mandatum receperis iteratum, etc.

(Excerpsit Lagerbring, H. S., t. II, p. 416, ex apographo per Malletum, prof. Hafn. Romæ cum aliis Pontificum epistolis, regnorum septentrionalium historiam illustrantibus, transmisso.)

CCXXXVIII

Ad Olaum archiepiscopum Upsalensem.

31 jan. 1221.

[Liljegren, Svenskt dipl., I, 221.]

Mandat ut diligenter colligat vicesimam et alia Ecclesiæ Romanæ debita et mittat per fideles nuntios, vel assignet Lundensi archiepiscopo.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Olao archiepiscopo Upsalensi.

Fraternitati tuæ præsentium auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus vicesimam ecclesiasticorum proventuum, nec non et censum de Suecia Ecclesiæ Romanæ debitum colligens diligenter, tam ea quam alia nobis si commode poteris per fideles nuntios studeas destinare. Alioquin venerabili fratri nostro..., Lundensi archiepiscopo, fideliter assignare procures, quantitatem eorum nobis fideliter rescripturus. Datum Laterani, II kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXXXIX

Ad abbates Sancti Vincentii Metensis et de Vilers, et ad priorem de Vilers Metensis diœcesis.

1 febr. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 412. Mss. La Porte du Theil.]

Injungit eis ut mandatum Apostolicum de Viviano clerico in ecclesia Metensi providendo, executioni dari provideant.

Honorius, etc., dilectis filiis Sancti Vincentii Meten., et de Vilers abbatibus, et... priori de Vilers, Meten. diœcesis.

Scripsimus olim dilectis filiis, Meten. capitulo, ut dilectum filium Vivianum clericum reciperent in canonicum et in fratrem, ac demum abbati Sancti Michaelis, et conjudicibus ejus dedimus in mandatis, ut eos ad id ecclesiastica districtione compellerent, nisi forte aliquid canonicum obviaret. Cumque eorum ipsis fuisset diutius disceptatum, demum dilectis filiis primicerio Meten., et præfato clerico propter hoc in nostra præsentia constitutis sic duximus providendum, ut videlicet idem capitulum quindecim libras provenientium Franciæ ipsi clerico conferat annuatim, quousque sibi providerit in æquivalenti ecclesiastico beneficio, vel majori, super receptione præfatum capitulum absolventes. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod super his a nobis est æquitate suadente provisum faciatis firmiter observari. Contradictores si qui fuerint monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXL

Ad Guttormum Nydrosiensem archiepiscopum.

1 febr. 1221.

[Lange, Dipl. Norvegicum, VI, I, 17.]

Concedit licentiam ab excommunicatione absolvendi juxta formam Ecclesiæ eos qui non possent ad Sedem Apostolicam adire.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... Nydrosiensi archiepiscopo, salutem, etc.

De subditorum tuorum salute sollicitus supplicasti, ut cum nonnulli eorum pro violenta manuum injectione sententiam excommunicationis incurrerint, et propter longinquitatem viæ vel paupertatem, seu etiam duritiam suam, ad Apostolicam Sedem non veniant absolutionis beneficium petituri, sed plerique in excommunicationem decedant, super hoc providere misericorditer dignaremur. Volentes igitur eorum providere saluti, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut talibus postquam passis injuriam satisfecerint competenter, impendas juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium vice nostra, nisi forsan aliquorum esset adeo gravis et enormis excessus, quod merito essent ad Sedem Apostolicam destinandi. Datum Laterani, kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXLI

Ad episcopum et capitulum Catalaunen.

3 febr. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 468. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit eis ut Rogerum clericum Catalaunensem non obstante quod pro aliis scribi potuisset, in canonicum et fratrem recipiant.

Honorius, etc.. venerabili fratri episcopo et dilectis filiis, capitulo Catalaunen.

Si de provisione illorum solliciti qui adscripti clericali militiæ nullum sunt adhuc ecclesiasticum beneficium assecuti, vos, et alios ecclesiarum ministros ad id Apostolicis

exhortationibus invitamus, officii nostri debitam prosequentes actionem, nec ad hoc vos credimus difficiles invenire, quum id facere dignoscamur, non solum meritis personarum, sed intuitu pietatis. Hinc est quod pro dilecto filio Rogero, clerico Catalaunen., nullum adhuc, sicut asserit, ecclesiasticum beneficium assecuto, universitatem vestram rogandam duximus et monendam per Apostolica scripta mandantes, quatenus non obstante quod pro aliis vobis scripserimus, quum ob reverentiam beati Petri et nostram, si idoneus est, recipiatis in canonicum et in fratrem. Datum Laterani, tertio nonas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXLII

Ad abbatem Walderbac et de Howe et de Garg. præpositos Ratisponensis et Salzeburgens. diœces.

3 febr. 1221.

[Ried, Cod. diplom. Ratispon. I, 329.]

Mandat ut inducant Henricum de Ortempere comitem ad satisfaciendum ecclesiæ Ratisponensi pro damnis ab hominibus ejus irrogatis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati de Walderbac et... de Howe et... de Garg. præpositis, Ratisponens. et Salzeburgens. diœces., salutem, etc.

Venerabilis frater noster episcopus Ratisponensis sua nobis conquestione monstravit, quod homines nobilis viri Henrici comitis de Ortempere Patavien. diœcesis, diripientes bona ecclesiæ suæ, damna ei gravia irrogarunt et irrogant incessanter, quos ad satisfaciendum eidem et ad cessandum ab hujusmodi gravaminibus comes ipse non curat compellere multotiens requisitus; ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictum comitem moneatis prudenter, et efficaciter inducatis, ut de damnis ab ejus hominibus ipsi ecclesiæ irrogatis eidem satisfieri faciat competenter, et ipsos homines ab ejusdem ecclesiæ indebita vexatione compescat; quod si facere non curaverit, vos homines ipsos ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota ratione prævia compellatis. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, III nonas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXLIII

Ad suffraganeos ecclesiæ Nydrosiensis.

3 febr. 1221.

[Lange, Dipl. Norvegicum, VI, I, 17.]

Mandat eis ut cum honorificentia digna recipiant Nydrosiensem archiepiscopum Metropolitanum visitantem suam provinciam.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis Nydrosiensis ecclesiæ suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum deceat vos omnibus reddere debita, cui tributum, tributum, et cui honorem, honorem, universitatem vestram sollicitandam duximus et hortandam per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus venerabilem fratrem nostrum... Nydrosiensem archiepiscopum suam provinciam visitantem, curetis prout tenemini cum honorificentia digna recipere, eique procurationes debitas liberaliter exhibere, ipsius salubria monita et statuta recipientes humiliter et servantes.

Datum Laterani, III nonas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXLIV

Ad eosdem.

3 febr. 1221.

[Lange, Dipl. Norvegicum, VI, I, 17.]

Mandat ut impendant metropolitano censum beati Petri collecturo consilium et auxilium.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Nydrosiensis ecclesiæ suffraganeis, salutem, etc.

Cum venerabili fratri nostro.... Nydrosiensi archiepiscopo metropolitano vestro incumbat, censum beati Petri colligere et ad Sedem Apostolicam destinare, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad id impendatis ei consilium et auxilium opportunum. Datum Laterani, III nonas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXLV

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, archidiaconos, decanos et alios prælatos.

4 febr. 1221.

[Ripolli, Bullarium Prædic., p. 12, n. 20.]

Mandat ut Fratres Prædicatores, quos laudibus celebrat, habeant commendatos.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, et dilectis filiis universis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiat; universitati vestræ viros Prædicatores Ecclesiæ sanctæ pernecessarios, pro eo quod ministrant pabulum Verbi Dei, merito commendamus, ut ex hoc mercedem vobis incomparabilem comparetis. Hinc est quod dilectos filios prædicatores, qui paupertatem, et regularem vitam professi, Verbi Dei sunt evangelizationi totaliter deputati, vobis duximus propensius commendandos, universitatem vestram rogantes, et hortantes attentius, ac per Apostolica scripta vobis mandantes, quatenus, cum ad partes vestras accesserint ad prædicandi officium, ad quod deputati sunt, caritative recipiatis eosdem, et populo vobis commisso, ut ex ore ipsorum Verbi Dei semen devote suscipiant, sedulo admonentes, pro divina et nostra reverentia in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, benigne permittentes presbyteris eorumdem, cum expedierit, pœnitentium confessiones audire, et consilium eis injungere salutare, cum iidem fratres animarum intendentes profectibus discretos, et cautos dirigant sacerdotes, per quos salutare potest consilium præberi, et remedium adhiberi: et propter occasiones multiplices partiri expediat interdum in alios sollicitudinem pastoralem. Illum autem super his studeatis eisdem exhibere favorem, ut per cooperationem vestram suscepti ministerii cursum feliciter consummando, optatum obtineant sui laboris fructum, et finem, salutem videlicet animarum. Quia vero vitia sæpe sub specie virtutum occulte subintrant, et angelus Satanæ in angelum lucis se plerumque simulate transformat, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus, si qui de Prædicatorum Fratrum ordine se dicentes in vestris partibus prædicaverint, ad quæstum se pecuniarum convertendo, per quod religionem eorum qui paupertatem professi sunt contingeret infamari, vos tanquam falsarios capiatis, et condemnetis eosdem. Datum Laterani, II nonas febr., pontificatus nostri anno quinto.

CCXLVI

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates, etc., et alios ecclesiarum prælatos.

4 februarii 1221.

[Strehlke, Tabulæ ord. Theutonici, p. 307.]

Honorius vetat ab ordine Theutonico ad munitiones erigendas vicesimam extorqueri.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum bona fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani fidelium devotione collata, defensioni terræ orientalis et pauperum receptioni ac sustentationi proficiant, providere, quantum possumus, nos oportet, ne ab aliis minus necessariis præsumptione aliqua usurpentur. Pervenit autem ad nos, quod quidam ab eis et hominibus eorum ad claudendas villas atque castella et erigendas munitiones vicesimam extorquere præsumunt et, si non dederint, auferunt violenter et ecclesiam orientalem et pauperes sepulchrum Domini visitantes indebite pro magna parte sustentatione defraudant, quam fratres Hospitalis ipsius multo studio et labore acquirere moliuntur. Unde, quia per vos ista convenit emendari, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, ne prædictæ super eos ulterius et eorum homines fiant exactiones, districtius inhibere curetis. Si quis autem contra inhibitionem nostram venire præsumpserit, per excommunicationis et interdicti sententias a tanto eum revocetis excessu et taliter ad emendationem eorum susceptæ administrationis exerceatis officium, ut sæpedicti fratres non cogantur longius proferre querelam, et vos de tuitione pauperum Christi retributionem æternam in extremo examine recipere valeatis. Datum Laterani, II nonas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXLVII

Ad eosdem.

5 febr. 1221.

[Strelhke, Tabulæ ord. Theutonici, p. 308.]

Mandat prælatis, ut ordinis Theutonici privilegia diligenter perlecta accurate observanda curent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Attendentes, quam devote dilecti filii fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, Domino inspirante, intendant operibus pietatis et quam ferventer se et sua infirmorum pauperum susceptioni et sustentationi exponant, paterna eos affectione diligimus, et petitiones, in quibus cum justitia possumus, clementer admittimus et profectibus ipsorum et commodis per vos et per alios efficaciter debemus et volumus imminere. Eapropter universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus privilegia, quæ fratribus ipsis, intuitu pietatis indulsimus, cum vobis exhibita fuerint, diligenter legatis, fideliter exponatis et inviolabiliter remoto appellationis diffugio faciatis ab omnibus, quantum in vobis fuerit, observari, ita quod iidem fratres de acceptis privilegiis fructum obtineant et vos pauperum necessitatibus compati videamini et eorum velle utilitatibus propter Deum utiliter subvenire. Datum Laterani, nonas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXLVIII

Ad magistrum S. Mariæ Theutonicorum.

5 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., 309, n. 347.]

Concedit ordini Theutonico vacantium ecclesiarum per viginti dies retentionem.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Attendentes, quam devote et laudabiliter pietatis operibus et defensioni christiani nominis in transmarinis partibus insistatis, justis petitionibus vestris libenter annuimus vobisque contra indebitas molestias, quantum cum Deo possumus, providemus. Unde, quia ad audientiam apostolatus nostri pervenit, quod decedentibus ecclesiarum vestrarum rectoribus, episcopi et officiales eorum ipsarum nonnunquam ordinationem differunt et fructus in usus proprios pro sua voluntate convertunt, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut, cum ecclesiæ vestræ vacaverint, liceat vobis eas per viginti dies in manibus vestris sine contradictione aliqua retinere, ita quod infra eumdem terminum a vobis rector idoneus diœcesano episcopo præsentetur. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, nonas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXLIX

Ad archiepiscopos, episcopos, etc., et alios prælatos.

5 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., 309, n. 348.]

Vetat ordinem Theutonicum impediri, quominus confratribus suis in cœmeteriis suis sepulturam præbeat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dilectis filiis, fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, duxerimus indulgendum, ut his, qui eorum confratriam assumpserint, si forte locus, in quo decedunt, interdictus fuerit, nisi vinculo excommunicationis teneantur adstricti, aut nominatim sint interdicti, sepultura ecclesiastica non debeat denegari; nimis graviter excederetis, si, quod fratribus eisdem concessimus, præsumeretis infringere, qui alios ad observanda Ecclesiæ Romanæ statuta verbo et exemplo debetis propensius informare. Infringi namque sustinere nolentes, quod fratribus indulsimus antedictis, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus nullo tempore quisquam vestrum impedire præsumat, quominus corpora ipsorum, qui confratriam prædictorum fratrum assumpserint, vel assument in posterum, nisi excommunicati vel nominatim fuerint interdicti, aut etiam publice usurarii, in eorum valeant cœmeteriis sepeliri, si

etiam locus, in quo decedunt, fuerit interdictus, sed ita in hoc et in aliis statuta Sedis Apostolicæ integra et illibata servetis, quod devotio vestra possit et debeat non immerito commendari, nec nos inveniamus in vobis in hac parte, quod merito corrigere debeamus. Datum Laterani, nonas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCL

Ad magistrum S. Mariæ Theutonicorum.

5 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., 310, n. 349.]

Concedit ordini Theutonico, ut confratrum corpora, per prælatos ab ecclesiis eorum prohibita, apud suas sepelire liceat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Ea, quæ vobis superni Conditoris intuitu ad prosequenda opera pietatis, quibus intenditis, duximus indulgenda, in sua convenit firmitate persistere, et, ne ipsorum evacuetur auctoritas, contra quorumlibet calumniantium pravitatem præsidium vobis debet Apostolicum non deesse. Quoniam igitur quidam de prælatis ecclesiarum vobis contra indultum privilegium contradicunt, ne confratres vestros libere possitis tradere sepulturæ, præsenti vobis pagina duximus concedendum, ut liceat vobis confratrum vestrorum corpora, quæ prælati ecclesiarum apud ecclesias suas malitiose non permiserint sepeliri, nisi excommunicati vel nominatim fuerint interdicti, aut etiam publice usurarii, ad ecclesias vestras auctoritate nostra tumulanda deferre et sine contradictione aliqua in vestris cœmeteriis sepelire et in ecclesiis vestris pro eorum animabus missarum solemnia celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, nonis februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLI

Ad eumdem.

5 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., 310, n. 350.]

Concedit ordinis Theutonici fratribus, ut ad januas suas expositos vel natos pueros in pelvi vel alio vase modico baptizent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi universorum justas preces admittere debeamus, eos tamen volumus et debemus facilius exaudire, qui sub religionis observantia caritatis sunt et hospitalitatis obsequio deputati. Cum igitur pueros, qui ad januam vestram alendi sæpius deportantur vel in vestra domo nascuntur, contingat pluries sine baptismatis sacramento decedere, nos vestris justis postulationibus inclinati, ac tantæ incommoditati misericorditer providere volentes, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut liceat vobis pueros, qui ad januas domus vestræ projiciuntur alendi, seu ibidem nascuntur, causa necessitatis, sine alicujus præjudicio, in pelvi vel alio vase modico baptizare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, nonis februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLII

Ad eumdem.

5 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 311, n. 351.]

Vetat ordini Theutonico exactiones pro murorum, pontium, vallorum reparatione, cæteris, imponi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in

Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate vobis præsentium duximus indulgendum, ne quis vobis aut ecclesiis vestris pro reparatione murorum, pontium vel vallorum, seu pro quibuslibet publicis functionibus aliquas exactiones imponat. Nulli igitur liceat vim et libertatem eorum, quæ vobis et domui vestræ indulsimus per litteras aliquas auferre vel temeritate aliqua vacuare. Nulli ergo omnino, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, non. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLIII

Ad eumdem.

5 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 311, n. 352.]

Concedit ordini Theutonico jus appellandi ad Sedem Apostolicam, dummodo et causa recipiat appellationem, nec hujusmodi remedium jam commissione fuerit denegatum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad nos, quod in causis, quas alii contra vos vel vos contra alios exercetis, vobis frequenter intercluditur appellationis auxilium, quamvis illud in commissionis litteris vobis minime denegetur. Cum itaque vobis non debeat subtrahi, quod communiter conceditur universis, præsentibus vobis litteris duximus indulgendum, ut in quacunque causa vel a quocumque judice, libere vobis liceat a manifestis gravaminibus ad Sedem Apostolicam appellare, nisi forsan talis sit causa, quæ appellationem non recipiat, vel in commissionis litteris appellationis remedium fuerit denegatum. Datum Laterani, non. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLIV

Ad archiepiscopos, episcopos, etc., et alios prælatos.

5 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 312, n. 353.]

Vetat ordinis Theutonici apostatas foveri.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Quam laudabiliter dilecti filii fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani per opera pietatis servitio conditoris immineant et quot de subventione ipsorum infirmi et pauperes sustententur, neminem, qui christiana lege censetur, utilitas, quæ de operibus ipsis provenit, patitur ignorare. Sane conquerentibus ipsis accepimus, quod quidam fratres ipsorum sæpius de domibus propriis exeuntes contra magistros suos damnabili rebellione ducuntur, et in hoc frequenter a viris ecclesiasticis et sæcularibus roborantur; quidam etiam ab ipsis fratribus pecuniam recipiunt præter conscientiam aliorum, eamque in præjudicium Hospitalis detinent et reddere contradicunt, depositores ipsius in sua malitia defendentes. Quia vero tam graves injurias prædictorum fratrum sustinere nec volumus, nec debemus, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus neminem prædictorum fratrum quisquam vestrum præsumat defendere vel eis in rebellione sua et contumacia favorem aliquem damnabiliter exhibere, nec pecuniam a quoquam fratrum recipiat, vel receptam retineat, nisi ei fuerit de communi fratrum consilio commendata. Si vero aliquis, quod non credimus, contra hujus Apostolicæ jussionis tenorem venire tentaverit, nisi commonitus infra viginti dies errorem suam debita satisfactione correxerit, eum usque ad satisfactionem congruam excommunicationi decernimus subjacere. Datum Laterani, nonas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLV

Ad magistrum S. Mariæ Theutonicorum.

5 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 313, n. 354.]

Concedit ordini Theutonico, quod ei legata duorum vel trium testium verbo probare possit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut evangelica veritate attestante didicimus, stat in ore duorum vel trium testium

omne verbum. Quia ergo piis et Deo dicatis locis ex administratione suscepti regiminis benignum debemus conferre consultum, paci et humilitati vestræ in posterum clementer providere volentes præsenti decreto statuimus, ut ea, quæ in testamentis vel quolibet relicti genere a devotione fidelium vestro xenodochio rationabili providentia dimittuntur vel largiuntur in præsentia duorum vel trium testium legitimorum, auctoritate nostra suscipiendi habeatis liberam facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, nonas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLVI

Ad archiepiscopos, episcopos, etc., et alios prælatos.

8 febr. 1221.

[Strelhke, l. c., p. 313, n. 355.]

Commendat prælatis ordinis Theutonici confratrias, ecclesias, clericos tuendos.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad injurias et molestias propulsandas, quæ religiosis hominibus inferuntur, nullos magis quam prælatos ecclesiarum convenit congruam sollicitudinem adhibere. Sicut autem dilecti filii fratres domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani suâ nobis insinuatione monstrarunt, quod vos de novo quasdam confratrias in vestris ecclesiis statuentes, eorumdem confratrias fieri prohibetis et contra ea, quæ ipsis indulsimus, tam ecclesias quam clericos eorumdem occasione qualibet emergente supponitis interdicto; illos quoque, qui in dictos fratres manus injiciunt violentas, domos eorum diruunt vel invadunt, eis res alias auferentes, vel ipsos quomodolibet aggravantes corrigere non curatis. Quoniam igitur officio nostro multum detrahitur, si viris religiosis gravamen aliquod inferatur, nec eos ab eorum molestiis defensêtis, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus opera pietatis, quæ fiunt in illo fratrum prædictorum xenodochio venerando, diligentius attendentes super confratriis eorum nullum damnum eisdem fratribus per quaslibet alias confratrias seu præjudicium inferatis nec ab aliis permittatis inferri, nec eorum ecclesias vel clericos contra privilegia, quæ ipsis Apostolica Sedes indulsit, aliquatenus aggravetis. Illos autem, quos vobis constiterit prædictis fratribus detrimentum vel injuriam irrogasse, satisfacere vel exhibere plenam justitiam moneatis, et, si necesse fuerit, appellatione remota, censura ecclesiastica compellatis. Datum Laterani, VI idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLVII

Ad eosdem.

8 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 314, n. 356.]

Vetat de ordinis Theutonici ante Concilium possessis bonis, sive de ejusdem hortis, virgultis, piscationibus, animalium nutrimentis primitias vel decimas extorqueri.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dilecti filii fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani pro suæ religionis observantia et zelo fidei, quam defendunt, per Sedem Apostolicam magna sint libertatis prærogativa donati, quidam, qui aquam vino miscent et de scripturis falsum eligunt intellectum, privilegia ipsorum ultra quam deceat pro sua voluntate restringunt, et querentes extraneum intellectum ab ipsis primitias et decimas de possessionibus et novalibus habitis ante Concilium generale, sive de hortis, virgultis et piscationibus eorum, vel de suorum animalium nutrimentis extorquere præsumunt. Volentes igitur dictorum fratrum indemnitatibus providere, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus ab extorsione decimarum et primitiarum super præmissis

omnibus desistatis, et vestros subditos appellatione remota ab eadem desistere compellatis. Datum Laterani, VI idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLVIII

Ad eosdem.

8 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 314, n. 357.]

Monet prælatos, ut excitent populos ad subsidium de bonis eorum ordini Theutonico cito ferendum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, etc.

Gravis illa et nimis dolenda ruina, quam dilecti filii fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani pro defensione fidei christianæ diebus novissimis pertulerunt, illum debet ipsis et suis domibus in oculis omnium impetrare favorem, ut ad eorum consolationem et remedium, tam importabilis excidii detrimento, piæ compassionis adhibendæ obtentu, singuli sponte currere debeant potius, quam aliorum expectent suggestionibus invitari. In hoc enim articulo per experimenti certitudinem evidentius apparebit, quis zelum Dei habeat, quis injuriam populi christiani et tam enorme orientalis populi detrimentum pro amore Domini et fidei christianæ constantia desideret propulsari. Cum igitur retributionem largitatis exoptare divinæ secura confidentia valeat, quisquis tam gravis necessitatis articulo prædictæ domui ad tanti reparationem exterminii subsidium de bonis temporalibus studuerit impertiri, universitatem vestram hortamur in Domino, rogamus etiam attentius et mandamus, quatenus subjectos vestro regimini populos moneatis et per urgentissimæ pulsationis instantiam inducatis, sicut fieri posse celerius et commodius cognoscetis, ut ob peccatorum suorum remissionem non eis tantum, sed potius universitati catholicæ de bonis suis, quæ de manu divini beneficii perceperunt, subsidium non differant exhibere. Res enim tam urgentis et immensi discriminis moram non patitur, sed in ictu oculi, si posset fieri, remedium exigeret festinatum. Datum Laterani, VI idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLIX

Ad eosdem.

8 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 315, n. 358.]

Jubet ordinis Theutonici violatores censura ecclesiastica coerceri.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto major ab universis Dei fidelibus Apostolicæ Sedi reverentia exhibetur et quanto ab eisdem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ et nobis ipsis honor et majus vinculum caritatis offertur, tanto amplius in eorum tuitione nos convenit esse sollicitos atque, ex nostri auctoritate officii, de eorumdem utilitatibus attentius cogitare et tam ipsos quam eorum bona protegere a malignorum incursibus et rapinis. Illos autem summi pontificatus officium nos admonet et hortatur in suo jure fovere specialiter atque a pravorum incursione defendere ac tueri, quos in caritate ferventes agnoscimus et in opere perpendimus efficaces. Qualiter autem dilecti filii fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani parentes, patriam et propinquos intuitu æternorum reliquerint et, qualiter de terra sua et cognatione egressi, ad terram viventium, terram videlicet promissionis, quam monstravit Deus diligentibus se, ardenti desiderio et ferventi caritate aspirent, vobis non exstat incognitum, cum universo orbi fere sit manifestum. Ipsi nimirum vivificæ crucis signum, ad ignitorum serpentum et malignorum spirituum expulsionem, et defensionem animæ, et etiam corporis, portantes in pectore, Salvatorem mundi sequuntur et eleemosynas per diversas partes orbis colligere et illas ad terram, quam Dominus corporaliter visitavit, ad opus pauperum, refectionem infirmorum ac illorum sustentationem, qui non habent ubi caput reclinent, student diligentissime transportare. Inde est, quod tam fortes Christi athletas in suo sancto proposito volentes attentius confovere, ad defensionem eorumdem sollicitudinem vestram duximus commendandam, ut magis ac magis possint ad promovendum propositum, quod sumpserunt, intendere,

cum fuerint, sollicitudine prælatorum Ecclesiæ, a malignantium inquietatione securi. Monemus itaque universitatem vestram, hortamur atque præcipimus, quatenus, si quando parochiani vestri in aliquem prædictorum fratrum, ipsum capiendo vel de suis equitaturis dejiciendo, vel alias inhoneste tractando, violentas manus injiciunt, hujusmodi præsumptores, sublato appellationis remedio, candelis accensis, dilatione et occasione postpositis, excommunicatos publice nuntietis et tam diu faciatis sicut excommunicatos arctius evitari, donec passo injuriam satisfaciant competenter et pro absolutionis beneficio impetrando Apostolico se conspectui cum diœcesani episcopi litteris repræsentent. Eos vero, qui in dictos fratres manus injiciunt violentas et equitaturas, aut alia bona eorum diripiunt violenter, si a vobis commoniti ablata eis noluerint restituere, et de illatis injuriis satisfactionem congruam exhibere, vinculo anathematis astringatis et ipsos usque ad satisfactionem condignam teneatis adstrictos. Datum Laterani, VI idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLX

Ad magistrum S. Mariæ Theutonicorum.

8 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 316, n. 359.]

Confirmat ordini Theutonico ecclesias contra oblocutionem episcoporum quorumdam asserentium se ab initio consensum non præstitisse.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Significantibus vobis ad audientiam apostolatus nostri pervenit, quod, cum nonnullas ecclesias habeatis, quibus archiepiscopi et episcopi chrisma, oleum sanctum, ordinationes clericorum, consecrationes altarium et alia pontificalia sine quæstione ad postulationem vestram diutius contulerunt, quidam eorum movent vobis super ipsis ecclesiis quæstionem dicendo videlicet, quod ab initio vobis super illis ecclesiis consensum suum minime præstiterint. Quia igitur occasiones hujusmodi frivolas reputamus, nos, quieti vestræ paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate vobis Apostolica indulgemus, ut tali occasione nequaquam obstante, si aliud canonicum non obsistat, liceat vobis ecclesias taliter acquisitas auctoritate Apostolica libere possidere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VI idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXI

Ad archiepiscopos, episcopos, etc., et alios prælatos.

9 febr. 1221.

[Strehlke, Tabulæ ord. Theuton., p. 317, n. 360.]

Vetat ordinis Theutonici apostatas foveri.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, etc., salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nemo manum mittens ad aratrum et retro aspiciens aptus sit regno Dei, nec, qui supra tectum ascendit, descendere debeat in domum, ut resumat tunicam derelictam, grave nimis gerimus et indignum, quod quidam fratres domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, sponte a sui propositi tramite discedentes, habitu religionis abjecto, ad nuptias transeunt sæculares, et ponentes in cordibus suis quod non sit Deus nec sit scientia in excelso, nec requirat ista, qui scrutator est cordium et etiam medullarum, deserta cœlestis regis militia, cingulum sæcularis militiæ recipere non verentur, et frequenter quidam de ipsis fratribus exterioris religionis signo retento, cum intus se a totius religionis observantia abdicarint, ad personas se transferunt ecclesiasticas vel mundanas, quæ ipsos non tam fovent in suæ rebellionis contumacia quam defendunt. Nonnunquam etiam iidem fratres, ducti animi levitate potiusquam religionis ardore, ut evitent regularis observantiæ disciplinam, cum potius velint religionem fugere quam mutare, ad aliam regulam simulant se transferre, ubi sic mentito religionis habitu, fructu primi propositi careant et secundi. Cum igitur plantationes hujusmodi pestilentes de agro Domini sint extirpandæ, ne forte, quod absit, alios as-

pectu inficiant venenoso; universitatem vestram monemus et hortamur attentius, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus, nisi tales ad monitionem vestram se correxerint et ad suum ordinem et viam redierint veritatis, ipsos excommunicationis vinculo publice innodetis, sub interminatione anathematis omnibus prohibentes, ne dictos apostatas recipere vel retinere receptos aut in sua malitia confovere vel, quod absit, eis in suarum animarum periculum communicare præsumant. Datum Laterani, V idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXII

Ad eosdem.

9 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 318, n. 361.]

Jubet ordinis Theutonici violatores censura ecclesiastica compesci.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi Apostolicæ servitutis officium nos constituat omnibus in justitia debitores, viris tamen religiosis et eis maxime, quos per Sedis Apostolicæ privilegia majori donavimus libertate, specialiter adesse tenemur, ne iidem, quod absit, malignorum incursibus exponantur, si non fuerit, qui pro eis se murum defensionis opponat. Cum igitur dilecti filii magister et fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani ex eo nobis graviter sint conquesti, quod, cum ipsi a malefactoribus suis passim injurias sustineant et rapinas, vix invenitur, qui congrue illis protectione subveniat, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus et in obedientiæ virtute districte præcipimus, quatenus illos, qui fratres prædictos et eorum homines in personis vel rebus offenderint, vel ipsorum domos violenter invaserint, aut rapuerint bona sua, tamdiu excommunicatos publice nuntietis, et loca, in quibus eorumdem bona detenta fuerint, supponatis ecclesiastico interdicto, donec malefactores ipsi ablata universa restituant et de illatis injuriis satisfaciant competenter. Datum Laterani, V idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXIII

Ad eosdem.

9 febr. 1221.

[Strehlke, l. c., p. 318, n. 362.]

Commendat prælatorum populorumque munificentiæ ordinem Theutonicum propositis indulgentiis. Clericis concedit, ut retentis beneficiis per annum vel biennium ei serviant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem, etc.

Quam amabilis Deo et quam venerandus hominibus locus existat, quam etiam jucundum et utile receptaculum peregrinis et pauperibus præbeat xenodochium Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, hi qui per diversa maris pericula, piæ devotionis intuitu, sanctam civitatem Hierusalem et sepulchrum Domini visitant, assidue recognoscunt. Ibi enim indigentes et pauperes reficiuntur, infirmis multimoda sanitatis obsequia adhibentur, et diversis laboribus et periculis fatigati resumptis viribus recreantur, atque, ut ipsi ad sacrosancta loca Domini nostri Jesu Christi corporali præsentia dedicata securius valeant proficisci, servientes, quos fratres ejusdem domus ad hoc officium specialiter deputatos propriis sumptibus retinent, cum opportunitas exigat, devote ac diligenter efficiunt. Quia ergo eisdem fratribus ad tantorum sumptuum immensitatem propriæ non sufficiunt facultates, caritatem vestram duximus rogandam et hortandam, quatenus de vestra abundantia eorum inopiam suppleatis, et populum vobis commissum ipsorum fraternitatem assumere, et ad peregrinorum sustentationem collectas facere, in peccatorum suorum remissionem, frequentibus exhortationibus moneatis, hoc scientes, quoniam dictum Hospitale Theutonicorum cum omnibus ad ipsum pertinentibus sub beati Petri tutela suscepimus, et quicumque de facultatibus sibi a Deo collatis fratribus eisdem subvenerit, et in tam sancta fraternitate statuerit se collegam, eique beneficia persolverit annuatim, secundum quantitatem subsidii et devotionis effectum pecca-

torum suorum veniam, confisi de beatorum Petri et Pauli apostolorum meritis, pollicemur. Ob reverentiam quoque ipsius venerabilis domus auctoritate Apostolica constituimus, ut his, qui eorum fraternitatem assumpserint, si forte ecclesiæ, ad quas pertinent a divinis fuerint officiis interdicti eosque mori contigerit, dummodo nec excommunicati nec nominatim fuerint interdicti aut etiam publice usurarii, sepultura ecclesiastica non negetur, hoc etiam addito, ut receptores fraternitatis ejusdem seu etiam collectarum, salvo jure dominorum suorum, sub beati Petri et nostra protectione consistant, adjicientes insuper, ut, si qui eorumdem fratrum, qui ad recipiendas easdem fraternitates missi fuerint vel collectas, in quamlibet civitatem, castellum vel vicum advenerint, si forte locus ipse a divinis fuerit officiis interdictus, in eorum adventu semel in anno aperiantur ecclesiæ, et excommunicatis ejectis, divina ibi officia celebrentur. Ad majorem quoque vestræ mercedis cumulum nihilominus vobis mandando præcipimus, quatenus hanc nostram constitutionem per vestras parochias nuntiari propriis litteris faciatis. Mandamus etiam, ut, si qui de clericis ecclesiarum vestrarum præfati hospitalis fratribus, cum licentia prælati sui, sponte ac gratis per annum vel biennium servire decreverint, nequaquam impediantur et interim sua beneficia vel ecclesiasticos redditus non amittant. Ad hæc, universitatem vestram litteris præsentibus exhortamur, ut ad subventionem eorumdem fratrum debitæ caritatis affectibus intendatis, et tam his quam aliis modis, quibus eisdem servis Dei prodesse poteritis, ipsos juvare et fovere curetis. Datum Laterani, V idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXIV

Ad episcopum Karleolensem.

9 febr. 1221.

[Theiner, Mon. Hibern., 18.]

Mandat Honorius ut concessiones ecclesiarum contra statuta Concilii generalis in Scotia factas revocandas curet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Karleolensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Insinuante dilecto filio..... abbate de Iederd Glasguensis diœcesis, nostris est auribus intimatum, quod quidam prædecessorum suorum quasdam ecclesias tuæ diœcesis vacantes, viventibus adhuc rectoribus earumdem, filiis ipsorum in ætate minus legitima constitutis contra statuta Lateranensis Concilii concesserunt, et authentico scripto sui capituli confirmaruntin ecclesiæ suæ præjudicium et gravamen. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus concessiones et confirmationes hujusmodi contra dicti statuta Concilii temere attentatas, inquisita et cognita veritate, cures canonice revocare. Contradictores, etc. Testes autem, si favore, vel odio, vel timore se subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas veritatis testimonium perhibere. Nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus, etc. Datum Laterani, V idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXV

Ad priorem Sancti Victoris et R. fratrem militiæ templi Parisien.

9 feb. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 589. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit eis ut Clementem diaconum, juxta tenorem mandati Apostolici de hoc jam dati, præbenda in ecclesia Belvacensi provideant.

Honorius, etc., dilectis filiis priori Sancti Victoris et R. fratri militiæ templi Parisien.

Laborum angustiæ quas sustinuit, et expensarum gravamina quæ subiit pro sua provisione dilectus filius Clemens diaconus de Passi, Laudunen. diœcesis, qui ab ipso quasi nostræ promotionis initio, apud nos institit ut providerimus eidem, ex quadam necessitate, cum eo clementer agere nos compellunt. Cum enim sibi petenti provisionem a nobis, quem per multorum fide dignorum comperimus testimonia scientia et moribus adjuvari, exauditionis nostræ janua pluries patuisset, ex casu, non ipsius vitio, semper contigit quod provisione reperit se frustratum, propter quod multos ad nos iterare labores et graves expensas est subire coactus. Unde supplicante ipso humiliter dudum nobis, ut ei faceremus in Belvacen. ecclesia provideri, quum obtenta provisione ibidem paratus sit quod habet ecclesiasticum beneficium resignare, nos

votis ejus annuimus, existimantes quod eidem ecclesiæ suum sit consortium fructuosum. Cum igitur mandaverimus vobis olim ut præbendas ipsius ecclesiæ, cum se facultas obtulerit, personis idoneis conferatis, discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus præbendam, si qua in prædicta ecclesia vacat, vel quam cito ad id obtulerit se facultas, eidem diacono, cujus provisionem [non] differri volumus, conferatis, eique, vel nuntio suo ipsius nomine, stallum in choro et locum in capitulo assignetis. Præceptum nostrum taliter impleturi, quod et ipse de labore provisionis quietem, et de sumptibus consolationis fructum se reportasse lætetur, ac nos commendare vos de obedientia valeamus. Datum Laterani, V idus febr., anno quinto.

CCLXVI

Ad priorem et fratres ordinis Prædicatorum.

10 febr. 1221.

[Ripolli, Bull. Prædicatorum, I, II, p. 12, n. 21.]

Ne fratres discedant ab ordine sine prioris licentia.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus ordinis Prædicatorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum paupertatem et vitam profiteamini regularem, insistentes, ex pio, quem vos Dominus inspiravit, affectu, evangelizationi verbi Dei, quo populus Christianus numero et merito ampliatur, auctoritate præsentium inhibemus, ne quis post ordinis vestri professionem sine prioris sui discedat licentia, et discedentem absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, IV idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXVII

Ad episcopum Claromontensem.

11 febr. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 394. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem archipresbytero de Rupe Forti parochialem ecclesiam conferendi, quam dictus archipresbyter una cum archipresbyteratu suo retinere posset.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Claromontensi.

Quum, sicut accepimus, dilectus filius S. archipresbyter de Rupe Forti nullos ratione sui archipresbyteratus ultra quatuor libras Claromonten. monetæ habeat redditus, nec aliud assecutus sit beneficium, ex quo ad ipsum cura pertineat animarum, nos, tuis et ejus supplicationibus inclinati, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut eidem archipresbytero, quem significasti nobis virum bonæ opinionis et conversationis existere, parochialem conferre possis ecclesiam, quam cum eodem archipresbyteratu libere valeat retinere, præsertim cum credere te proponas, quod ex hoc idem S. prodesse tibi et sibi in archipresbyteratus officio plus valebit. Datum Laterani, III idus februarii, anno quinto.

CCLXVIII

Ad patriarcham Gradensem.

13 febr. 1221.

[Theiner, Vetera Monum. Slavorum, t. I, p. 71, n. 81.]

Ut Tristensem (Tergestinum) episcopum, qui nuntios regis Hungariæ ad Sedem Apostolicam adeuntes spoliaverat, ad curiam Romanam veniendum citet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri patriarchæ Gradensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Contristati sumus de his quæ in nos dicitur.... Tristensis episcopus attentasse, videlicet quod in rebus nostris prædo esse didicerit, tractando illos insuper inhoneste, qui ad nostram dirigantur præsentiam, non obstante quod se ac sua nostræ protectioni subjiciunt, et Apostolicum implorant auxilium appellando. Ita enim dilecti filii...... abbas de Peles et... archidiaconus Albensis, nuntii carissimi in Christo filii nostri Hungariæ regis illustris, ac... Nitriensis archidiaconus, Strigoniensis archiepiscopi procurator, exposuere graviter conquerendo, quod cum Clemonam post multa viarum discrimina pervenissent, dictus episcopus ibi eos fecit invitos a medietate unius diei usque ad medietatem alterius detineri, atque cum postmodum suppliciter postulaverunt, ut liberos ipsos permitteret pro reverentia Ecclesiæ Romanæ, ad quam transmittebantur, recedere, nec id potuerint obtinere, se ac sua nostræ supposuere protectioni, et ad cautelam insuper ad Sedem Apostolicam appellarunt. Quumque idem episcopus in furore proponeret hoc eis valere appellationis objectum, quod de puriori

argento, quod habebant, quadraginta duas marcas auferret eisdem, et ipsi se non habere aliam quam ad nos transmissam ab eodem rege pecuniam respondissent, præfatus adjecit episcopus, quod in camera nostra, si ibi eam inveniret, auferret eamdem, nisi a nobis expressius arceretur: tandem opere studuit adimplere quod dixerat, quia, misso fratre suo, per eum quadraginta duas marcas argenti purissimi ad pondus Viennense ab ipsis, quantumcumque renitentibus et invitis, extorsit. Quare fraternitati tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus super hoc episcopum ipsum ad præsentiam nostram cites eum, ut usque ad *Lætare Jerusalem* nostro se conspectui repræsentet, satisfactionem super his congruam impensurus, monitione præmissa, per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compellendo. Datum Laterani, III idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXIX

Ad Jacobum de Valeda.

13 febr. 1221.

[Campi, Historia di Piacenza, t. II, p. 125.]

Jacobo de Valeda, canonico Papiensi, mandat ut capitulum ecclesiæ Placentinæ excommunicationis sententia absolvat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Jacobo de Valeda, salutem, etc.

Exhibita nobis capituli ecclesiæ Placentinæ petitio continebat, quod quum olim præbendam quamdam ipsius ecclesiæ, quæ fuit venerabilis fratris nostri Placentini episcopi, dilecto filio R. de Gumula duxerimus concedendam, venerabili fratre nostro Mediolanensi archiepiscopo tunc electo sibi super hoc executore concesso : licet ipsi mandatis ejusdem archiepiscopi se minime opposuerint, quin potius prædictum R. devote receperint in canonicum et fratrem; nihilominus tamen S. prædicti archiepiscopi nuntius, asserens eos ipsius mandatis non paruisse, excommunicationis tulit sententiam in eosdem. Quocirca discretioni tuæ, etc.

CCLXX

Ad universos præsentes litteras inspecturos (1).

18 febr. 1221.

[Muratori, Antiq. med. ævi, t. I, p. 175-177.]

Castrorum et terrarum comitissæ Mathildis, pro Ecclesia Romana recuperatio.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis præsentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ne rerum gestarum memoria cum tempore labente labatur, et in oblivionem veritas veniens vagetur incerta, si ei fuerit fides adempta, inventum est authenticarum remedium scripturarum, quæ factorum perpetuantes memoriam, indubitatam fidem faciant veritati, quæ sua luce clarescens non patitur justitiam falsis calumniis obumbrari. Unde ad universorum notitiam volumus pervenire, quod cum magna pars comitatus comitissæ Mathildis, qui totaliter ad Romanam Ecclesiam pertinet pleno jure, et a multis et variis personis detineretur indebite occupata, et tam cives Spoletani, quam fere totus ducatus Spoletanus nobis nullatenus responderint, nos, in illo spe nostra totaliter posita, qui adest in veritate invocantibus nomen ejus, quamquam infinitis et arduis essemus negotiis inevitabiliter occupati, ad recuperanda jura Ecclesiæ sollicite intendentes, venerabili fratri nostro Ostiensi episcopo, tunc legationis fungenti officio in partibus Lombardiæ, direximus scripta nostra, ut duo castra, videlicet Medicinam et Argellatam, quæ Bononienses tunc temporis detinebant, ad demanium Sedis Apostolicæ revocaret. Qui juxta mandatum nostrum, illa recipiens, dilecto filio Henrico de Paragnano subdiacono nostro, quamdiu nobis placeret, commisit fiducialiter gubernanda; et homines castrorum ipsorum eidem nomine nostro fidelitatis juramenta præstantes, ei de rationibus nostris responderunt integre, ac respondent. Deinde cum inter Spoletanos, Narnienses, Cocoronenses, et adjutores eorum ex parte una, et Interamnenses, Tudertinos, Fulginates, et adjutores

(1) Florentinius, lib. II, *Vitæ Mathildis*, titubans suspicabatur, eamdem comitissam dominatam quoque fuisse ducatui Spoletano et Marchiæ Anconitanæ; sed tabulis destitutus rem statuere non potuit. Est mihi nobilis charta e manuscripto regesto Cencii Camerarii deprompta, unde satis lucis affulgere potest ad agnoscendum, utrique provinciæ (quæ tamen olim una fuit) comitissam præfuisse: quod et ab ejus patre Bonifacio, aliisque ante eum principibus factum est. Intentis oculis sequentia lege, quæ quanquam ultra centum annos a morte ipsius Mathildis scripta fuerint, ei tamen subjectas aliquot olim terras in ea regione aperte indicant.

eorum ex altera, gravi guerra suborta, ita quod præter stragem virorum et multimoda rerum damna, et quod est gravius, animarum pericula, quæ utraque pars incurrerat, multi detinerentur hinc inde captivi, nos eis paterno compatientes affectu, licet quidam ex illis viderentur filialem obedientiam abjecisse, dilectum filium Pandulphum subdiaconum et notarium nostrum illuc curavimus destinare, ut omnes ad pacis fœdera inienda, tam spirituali quam temporali districtione compellens, captivos utrimque faceret liberari. Qui mandatum nostrum diligenter adimplens, studuit in manu forti corripere inquietos, et pusillanimes consolari, et quorumdam rebellium pertinacia congrue castigata, et captivis redditis libertati, potestatibus civitatum et castrorum fere omnium de ducatu, quos apud Bevaniam ad suam præsentiam evocarat, sub debito fidelitatis, et pœna mille librarum injunxit, ut in octavis apostolorum Petri et Pauli quælibet potestas cum tribus vel quatuor de civitate sua, vicem omnium habentibus, se apud Urbem Veterem nostro conspectui præsentaret. Quibus in præfixo termino in nostra præsentia constitutis, post tractatum diutinum tam super pace inter ipsos plenius reformanda, quam super ducatu ad manus Ecclesiæ retinendo, quod et cum prædicto subdiacono tractaverant diligenter; tandem Perusini, Assisinates, Fulginates, Nucerini, et Interamnenses juxta mandatum nostrum, munitiones, castra et regalia, sicut ea unquam habuit aliquo tempore claræ memoriæ dux Conradus, in manibus nostris libere resignarunt. Et licet Spoletani super iis, quæ de ducatus demanio detinebant, exhibuerint se difficiles, asserentes quod si prædictus dux ea possedit, aliquando possessor fuerit violentus, tandem tamen super iis nostris paruerunt beneplacitis et mandatis. Et sic toto ducatu ad manus Sedis Apostolicæ revocato, tam ducatui, quam Assisii et Nuceriæ comitatibus dilectum filium nostrum R[aynerium] Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem præfecimus in rectorem. Qui omnia, quæ in iis ad Romanam Ecclesiam pertinent, obtinens pacifice ac quiete, cuncta pro voluntate sua disposuit et disponit, juramentis fidelitatis ab hominibus ducatus et comitatuum sine difficultate receptis.

Ad hæc cum quidam Theutonicus marescalcus castrum Præcense detinuisset diutius occupatum, nos missis illuc nuntiis nostris, amoto exinde marescalco prædicto, recuperavimus castrum ipsum, universis habitatoribus ejus dilecto filio S.... camerario nostro ad hoc a nostro latere destinato, et ab eis honorifice et devote recepto nomine nostro fidelitatis exhibentibus juramenta. Unde nos tam idem castrum, quam Radicofanum et Aquampendentem dilecto filio Muscæ, potestati Viterbiensi fideli nostro commisimus, quandiu nobis placuerit, gubernanda. Præterea cum carissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum imperator, tunc rex, veniens suscepturus de manibus nostris imperii diadema, venerabilem fratrem nostrum Metensem episcopum, imperialis aulæ cancellarium, in Italiam præmisisset, misimus ad eum dilectum filium Raynaldum Monaldi, subdiaconum et capellanum nostrum, ut ei vice nostra comitatum comitissæ Mathildis libere resignaret, sicut a rege ipso fuerat sibi jussum. Et licet cancellarius ipse petitionem ejusdem subdiaconi usque ad adventum regis circa partes Bononiæ distulisset; tandem tamen idem rex tam de castro Gonzagæ, quam de aliis castris, scilicet Pepugnano, Bondeno Veteri, et Bondeno Novo, necnon de toto comitatu et podere, ac terris comitissæ prædictæ, magistrum Alatrinum, subdiaconum et capellanum nostrum, qui erat cum eo, et eumdem Raynaldum Ecclesiæ Romanæ nomine investivit, et eos constituit possessores, mandans ipsos per venerabilem fratrem nostrum episcopum Taurinensem, vicarium suum, in corporalem possessionem induci; et præcipiens tam omnibus militibus et habitatoribus castrorum ipsorum quam aliis vassalis de ipso comitatu seu terris et poderis, ut omnes ab omni juramento, quo ipsi tenebantur ratione terrarum ipsarum, penitus absoluti, eisdem capellanis vel eorum alteri, seu cuilibet alii ab Ecclesia Romana misso, fidelitatis juramenta præstarent, et abjurarent ab iis contraria juramenta. Quod si non facerent, scirent se ex tunc omnibus bonis comitatus sive poderis seu terrarum ab ipsis possessis, regia sententia, perpetuo esse privatos. Præterea injunxit firmiter et mandavit potestatibus, consulibus et rectoribus civitatum, sub pœna mille marcarum, ut omnes possessiones comitatus prædicti

detentas ab ipsis, sine difficultate ac molestia qualibet restituerent, et absolverent omnes de comitatu et terris prædictis ab omni juramento, districtu et obligationibus, quibus ratione alicujus jurisdictionis, quam in eis hactenus exercuerant, tenerentur eisdem. Et removerent consules et rectores, bajulos, et si quos officiales ipsis præfecerant : et extraherent quoscumque posuerant de terris ipsis, et de cætero memoratis capellanis vel eorum alteri, seu cuilibet alii a Sede Apostolica destinato ad retinendam possessionem, quam habent, et recuperandam quam non habent, præstarent consilium, auxilium et favorem. Et sic factum est, quod multi barones, milites, et alii terrarum ipsarum eisdem capellanis nomine nostro fidelitatis juramenta præstantes, recognoverunt, se omnia, quæ de comitatu prædicto tenebant, pro Romana Ecclesia possidere.

Verum quia nobiles viri filii comitum Alberti et Neresii, qui castrum Gonzagæ cum pertinentiis suis detinebant invasum, prædictus cancellarius eis sub pœna mille marcarum injunxit, ut castrum ipsum sine difficultate qualibet resignarent : quia id efficere renuerunt, nec voluerunt in regis præsentia comparere, idem rex de consilio suorum principum bannum ipsius cancellarii confirmavit, et personas eorum sub perpetuo imperii banno ponens, bona ipsorum, ubicumque inventa forent, confiscari præcepit, nisi usque ad diem Dominicum proxime tunc venturum resignarent in manibus capellanorum ipsorum, vel eorum alterius castrum ipsum. Præcepit quoque Cremonensibus, Parmensibus, Reginis, Mutinensibus, Bononiensibus, et generaliter universis fidelibus suis, ut prædictis nobilibus, adjutoribus, et fautoribus, vel aliis detentoribus castri prædicti facerent vivam guerram. Inhibuit etiam Mantuanis, Veronensibus, Ferrariensibus, Brixiensibus, et aliis fidelibus suis sub obtentu fidelitatis et certa pœna, ne ipsis impenderent consilium, auxilium vel favorem, sicut in litteris regio sigillo munitis prospeximus plenius contineri. Et quia castrum Bondeni Veteris dirutum erat, nuper reædificatum est, et ab Ecclesiæ Romanæ fidelibus pacifice habitatur. Dilectus quoque filius Albertus comes Pratensis, fidelitatis nobis præstito juramento, terram Vallesi, roccam Gonflenti, Monticellum, Arigazzam, Bargam, Pidierlam, Casale, roccam de Vico, Castreolum, Limognum, Græcum, Mugonum, Pillianum, Monticellum, Fossatum, Torrem, Batum, et Savignanum cum pertinentiis suis recepit a nobis in feudum, unum asturem et duos braccos pro eisdem castris Ecclesiæ Romanæ annis singulis redditurus, quos etiam nobis pro uno anno persolvit. Præterea licet Marchiam Anconitanam ad manus suas Ecclesia Romana pro majori parte teneret, nihilominus tamen prædictus imperator eam nobis omnino quietans et refutationem faciens, prout in ipsius litteris plenius continetur, præcepit omnibus de Marchia, ut nobis tanquam Domino suo de cætero plenarie responderent. Cumque nos postmodum dilecto filio nobili viro Azoni Marchioni Estensi, eam in feudum duxerimus concedendam, præsente imperatore investientes eumdem de ipsa Marchia per vexillum, nos prænominatum Pandulphum subdiaconum et notarium nostrum, et imperatoris, venerabilem fratrem nostrum... patriarcham Aquileiensem illuc curavimus destinare, ut eum in possessione Marchiæ inducentes, ei facerent de omnibus rationibus suis integre responderi : Civitate tamen Anconitana, quamdiu nobis placuerit in nostris manibus reservata, et universo patrimonio beati Petri a Ponte Ceperani usque Radicofanum possesso et disposito pacifice ac quiete pro nostræ beneplacito voluntatis. Datum Laterani, XII kalendas martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXXI

Ad Eisteten. episcopum et de Waltsahsen et de Hailsbrunne abbates.

18 febr. 1221.

[Ried, Codex episcopatus Ratisponen., t. I, p. 330.]

Commissorium ac mandatum Papale, quod archiepiscopus Salisburg. et fidejussores sui teneantur promissa præstare circa bona ab episcopo Ratisponensi archiepiscopo vendita.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... Eisteten. episcopo et dilectis filiis... de Waltsahsen et... de Hailsbrunne abbatibus, Cistercien. ordinis, Ratisponensis et Eisteten. diœcesum, salutem et apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster Ratisponensis episcopus sua nobis petitione monstravit,

se quasdam possessiones jure ad eum hæreditario pertinentes venerabili fratri nostro... Salisburgen. archiepiscopo vendidisse, apposita ex parte ipsius episcopi certa pœna ét fidejussoribus datis, si pretium earumdem non solveretur terminis constitutis ; unde petiit, ut archiepiscopum ipsum et fidejussores ejus ad observationem prænotati contractus cogere dignaremur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quod decreveritis, auctoritate nostra firmiter observari. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, tu, frater episcope, cum eorum altero ea nihilominus exsequaris. Datum Laterani, XII kalendas martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXXII

Ad archiepiscopum Remensem.

19 febr. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 428. Mss. La Porte du Theil.]

Tertio ei mandat et præcipit ut Cinthio clerico, nato Odonis de Sancto Eustachio, præbendam in ipsius ecclesia conferat.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Remen.

Ecce jam tertio, sicut accepimus, pro Cinthio clerico, nato nobilis viri Odonis de Sancto Eustachio, tibi dirigimus scripta nostra, ex quo satis tua intelligere potest prudentia quod plenam super illius provisione gerimus voluntatem, quum nonnisi de exuberanti procedat mandantis affectu replicatio mandatorum. Certe quum non sit dubium nobilem ipsum antecessori tuo grata obsequia impendisse, devotionem ipsius congruam te decet retributionem prosequi meritorum, quando in ejusdem prædecessoris tui successisti onus pariter, et honorem. Quum ergo jam secundo a nobis preces susceperis, et mandatum, ut præbendam in ecclesia tua clerico conferres eidem, et ille hactenus sub spe liberalitatis tuæ se provisione repererit, nosque pro ipso minus quam decuerit fuerimus exauditi, fraternitatem tuam hac tertia vice monemus et hortamur, ac per Apostolica tibi scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus præbendam, si qua in ecclesia dicta vacat, prædicto clerico, vel verius nobis in ipso, concedas. Alioquin quum quod de eodem incœpimus nolimus dimittere imperfectum, præbendam in ecclesia tua nunc vacantem, vel si non vacat, proximo vacaturam, nostræ donationi servamus, irritum decernentes quidquid super eadem post susceptionem præsentium fuerit attentatum. Datum Laterani, XI kalendas martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXXIII

Ad Stephanum Cantuariensem archiepisc.

26 febr. 1221.

[Wilkins, Concilia Magnæ Britan. et Hibern., t. I, p. 584.]

De beneficiis ecclesiasticis extraneis in Anglia residentibus non conferendis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Cantuariensi archiepiscopo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum hi, qui Sedi Apostolicæ tanquam capiti Ecclesiæ generalis fideliter famulantur, singulis quasi membris utiliter servire probentur, dignum est eos congruis beneficiis honorari, ne si tantum propriis stipendiis militantes sperati fructus fraudarentur solatiis, redderentur ad obsequia tardiores : unde factum est, quod clerici apud Sedem Apostolicam non sine multis laboribus et sumptibus residentes in Anglia, et aliis mundi partibus, ecclesiastica beneficia pro tempore sunt adepti, qui nonnunquam his, a quibus ea obtinent, ita efficaciter servire pro tempore studuerunt, quod non minus beneficientibus utiliter est provisum. Verum quia nonnunquam beneficiatis hujusmodi decedentibus, beneficia, quæ obtinuerant, inconsultis his, ad quos eorum donatio pertinebat, plurimi et alii se difficiliores ad conferendum beneficia exhibebant ; nos volentes super hoc remedium congruum adhibere, ne cuiquam sua liberalitas sit damnosa, per quam potius meruit gratiam et favorem, statuimus, ut clericis Ecclesiæ Romanæ, vel aliis Italicis, qui præbendas, vel ecclesias, seu alia ecclesiastica beneficia in Anglia obtinuerint, a modo decedentibus, præbendæ, vel ecclesiæ, seu alia beneficia nequaquam a nobis vel alio, illa vice alicui conferantur, sed ad illos libere redeant, ad quos illorum donatio dignoscitur pertinere, per eos idoneis personis con-

ferenda. Ideoque fraternitatem tuam monemus attente per Apostolica scripta mandantes, quatenus hoc per totam Angliam facias publicari. Datum Laterani, IV kalendas martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXXIV

Ad archiepiscopum Coloniensem et ejus suffraganeos.

1 mart. 1221.

[Paullini, Rerum Germanicarum Syntagma, p. 548.]

Mandat, ut moneant ecclesiarum advocatos ut contenti justis et ab antiquo statutis stipendiis ab ecclesiarum molestiis conquiescant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Coloniensi et ejus suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.

Si ecclesiarum advocati significatum sui nominis attenderent, ut deberent, studerent eas, ob reverentiam Advocati cœlestis, cui speciali titulo sunt adscriptæ, fovere beneficiis et viribus defensare; sed quod dolentes referimus nonnulli eorum habentes velamen malitiæ libertatem, in bonis ecclesiasticis, in quibus advocationis jus obtinent, non solum prodigaliter debacchantur, verum etiam ea diripiunt ut prædones. Quod ecclesiæ Coloniensis provinciæ jugiter experiri coguntur, sicut earum nobis transmissa conquestio patefacit. Quia igitur zelus nos comedit domus Dei, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli prosequentes proprium interesse, et quasi collo uno et humero uno ecclesiarum onera comportantes, advocatos ipsos ut contenti justis et ab antiquo statutis stipendiis, ab ecclesiarum molestiis conquiescant, moneatis prudenter, et efficaciter inducatis. Quod si forsan vestris monitis non acquieverint, ne medicinalis Petri gladius in manu vestra torpere rubigine videatur, in eos, juxta quantitatem et qualitatem culparum, intendatis et remittatis, appellatione postposita, rigorem ecclesiasticæ disciplinæ : ita quod ecclesiæ ab hujusmodi oppressione respirent, et vos exinde mereamini apud Deum et homines commendari. Datum Laterani, kalendas martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXXV

Ad Raynaldum de Puzalia.

2 mart. 1221.

[Wurdtwein, Nova subsidia, t. IV, p. 117.]

Dispensatorium in pluralitate beneficiorum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Raynaldo de Puzalia, subdiacono nostro, præposito Sancti Severi in Herefordia, Magunt. diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Qui ex beneficii sibi collatis quasi benefaciendi habentes materiam ea provide in usus honestos expendunt, majora sibi cumulare merentur ut aucta causa effectus laudabiliter augeatur. Sane cum olim in Lateranensi Concilio provida fuerit deliberatione statutum, quod et nuper in generali extitit innovatum, ut nullus diversas dignitates ecclesiasticas vel plures parochiales ecclesias recipere audeat contra sacrorum canonum instituta, ita tamen quod circa sublimes et litteratas personas per Sedem Apostolicam valeat dispensari, nos qui bonis benefacere cupimus, te reputantes dispensatione hujusmodi non indignum, ut præter ea beneficia, quæ nunc obtines, duo ecclesiastica beneficia, etiam si curam habeant animarum annexam, dummodo tibi canonice conferantur, libere possis recipere, tecum, auctoritate Apostolica dispensamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ dispensationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VI nonas martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXXVI

Ad magistrum Conradum capellanum et Johannem scholasticum Xanctonen.

2 mart. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 428. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut pecuniam, de redemptione crucesignatorum in Colonien. et Bremen. provinciis nondum collectam, colligant et in præparandis ad auxilium Terræ Sanctæ navibus impendant.

Honorius, etc., dilectis filiis magistro Conrado capellano et primario, et Johanni scholastico Xanctonen.

Quia novimus vos una nobiscum ad Terræ Sanctæ subsidium totis desideriis aspirare, quæ ad id pertinent promovendum, vobis committimus fiducialiter et libenter. Quum igitur, sicut accepimus, in Colonien. et Bremen. provinciis multi susceperint signum crucis, et plurimi suscepturi sperantur, qui navium indigent apparatu, per quas prædictæ terræ tanto utilius possunt succurrere, quanto tam victualia, quam arma et alia instrumenta bellica commodius illuc possunt, Domino adjuvante, transferre. Nos volentes eos in hoc congruis auxiliis adjuvare, discretioni vestræ, de qua in Domino plenam obtinemus fiduciam, per Apostolica scripta mandamus, quatenus pecuniam, de redemptione crucesignatorum nondum collectam, in prædictis provinciis colligentes, eam secundum providentiæ vestræ studium in præparandis navibus ad succursum Terræ Sanctæ faciatis expendi. Attentius provisuri ut pecunia ipsa taliter expendatur in terræ supradictæ profectum, quod nos concepta de vobis fiducia non fraudetis, si potius vos apud Deum et homines reddatis merito commendandos. Præterea, ut iis, qui de partibus suis navigio iter intendunt arripere ad subsidium Terræ Sanctæ dilationem exsequendi votum, juxta quod expedire videritis, concedatis liberam vobis concedimus facultatem. Datum Laterani, VI nonas martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXXVII

Ad monasterium Sancti Johannis Bapt. Herilacensis (*S.-Jean de Cerlier*).

3 mart. 1221.

[Zeerleder, Urkunden für die Geschichte der Stadt Bern, t. I, p. 204, n. 123.]

Illud monasterium tuendum suscipit, ejusque bona ac possessiones confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Sancti Johannis Baptistæ Herilacensis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus eos a proposito revocet aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium Sancti Johannis Baptistæ Herilacensis, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Lucii papæ prædecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis in eo temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis exprimenda vocabulis : Locum ipsum in quo memoratum monasterium situm est cum omnibus adjacentiis et pertinentiis suis. Curiam de Menzenowa cum hominibus, agris, pratis, pascuis, terris, cultis et incultis, cum omni tenimento, adjacentiis et pertinentiis suis. Jus quod habetis in ecclesia de Grangis, in decimis, eleemosynis et jure fundationis. Molendinum quod habetis in villa de Grangis, cum omnibus adjacentiis suis. Quidquid habetis in parochia de Sedorf. Curiam de Anes et curiam de Mulnet cum pertinentiis earumdem. Ex dono Buchardi et Egildrudis uxoris suæ possessiones et quidquid habetis in Shuc. Vineas quas habetis in Nuerol et in Velcon; vineas ad capellam ad Balmam, ad Salices, ad Curseles, ad Vilo et ad Mornet. Ecclesiam de monte Tesson cum omnibus adjacentiis et pertinentiis suis et jure fundationis, sicut a bonæ memoriæ Rodulfo, quondam Basiliensi electo, et a fratribus suis juste sunt cœnobio vestro collata. Jus quod habetis in ecclesia de Nurol cum decimis et beneficiis quæ in ecclesia habetis eadem. Ecclesiam de Herilaco cum jure fundationis et omnibus pertinentiis suis. Allodium quod habetis in littore Ruthi. Ex dono Manegoldi junioris curiam de Hutewile cum suis appenditiis. Ex dono dominorum Novicastri terragium, quod habetis in Fontanachin. Quidquid habetis in Nuerol. Pratum etiam quod habetis in Vilo. Ex dono senis Exonis de Usenberc, piscariam in Landerun. Usum quoque piscationis in lacu de Nuerol a populis usque ad rivum de Vilo. Ex dono abbatis Alberti et Udalrici fratris

sui allodium de Burro. Ecclesiam de Burro cum omnibus pertinentiis suis. Ex dono patris Egilolfi abbatis villam Arne. Ex dono Furmundi Heimari et Manegoldi allodium de Voens. Curiam de Galles. Ex dono Cononis militis de Aragnon et Mathildis suæ uxoris, possessiones et quidquid habetis apud Galles, Nuerol, et Crissie. Possessiones etiam et quidquid habetis in Engo, Liniers et Madelswile. Ex dono comitis Hugonis de Buchecca allodium de Crissiaco. Ex dono Cononis de Bramegarten, allodium de Norcsuaben, Lindenacho et sylvam Birche. Ex dono Anselmi, allodium de Vtelingen. Ex dono Alberti de Winingen, vineam de Sarbachen. Medietatem totius decimæ vini dominorum de Duana, præter decimam novem casalium. Possessiones quoque et quidquid habetis in villis de Sisello, Treston, Munchimir, Lumeringen, et Fanere. Pratum etiam, quod habetis in Chablac. Sane novalium, etc. Liceat quoque, etc. Prohibemus etiam, etc. Quum autem, etc. Chrisma vero, oleum sanctum, etc. Sepulturam præterea, etc. Advocatum sane, etc. Obeunte vero, etc. Decernimus ergo, etc. Ad indicium, etc. Si qua, etc. Cunctis autem, etc. Amen. Amen.

Ego Honorius, Catholicæ Ecclesiæ episc.

Ego Hugo, Ostien. et Velletren. episc.

Ego frater Nicolaus, Tusculanus episc.

Ego Leo, tituli Sanctæ Crucis presb. card.

Ego Guala, S. Martini presb. card.

Ego Stephanus, basilicæ duodecim apostolorum presb. card.

Ego Gregorius, tituli S. Anastasiæ presb. card.

Ego Thomas, tit. S. Sabinæ presb. card.

Ego Alebrandinus, tit. S. Susannæ presb. card.

Ego Guid., S. Nicol. in carcere Tull. diac. card.

Ego Oct., SS. Sergii et Bachi diac. card.

Ego Romanus, S. Angeli diac. card.

Ego Steph., S. Adriani diaconus card.

Ego Egidius, SS. Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Petrus, S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Laterani, per manum Willelmi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, V nonas martii, indictione IX, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXI, pontificatus vero domini Honorii papæ III, anno quinto.

CCLXXVIII

Ad abbatem et priorem S. Genovefæ, et magistrum Girardum Bituricensem canonicum.

3 mart. 1221.

[Mss. latins, fonds 5993 A, Bibliothèque Nationale.]

Ut sententias excommunicationis in Erardum de Chacenaio latas firmiter observari faciant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et priori Sanctæ Genovefæ et magistro Girardo Bituricensi canonico Parisien., salutem, etc.

Dilecta in Christo filia nobilis mulier B., comitissa Campaniæ, nobis humiliter supplicavit, ut excommunicationis et interdicti sententias, quas pro ea venerabilis frater noster episcopus Suessionensis et conjudices ejus auctoritate nostra in nobilem virum Erardum de Chacenaio, Lingonensis diœcesis, et terram ipsius, exigente justitia, promulgarunt, Apostolico dignaremur munimine roborare. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus sententias ipsas, sicut rationabiliter sunt probatæ, faciatis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, firmiter observari. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, V nonas martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXXIX

Ad episcopum Lingonensem.

3 mart. 1221.

[Mss. latins, fonds 5993 A, Bibliothèque Nationale.]

Excommunicatos dat potestatem absolvendi, exceptis iis qui Erardo adhæserunt.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Lingonensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum ut, quum nonnulli subditi tui sententiam excommunicationis incurrerint pro injectione manuum et incendiis ac etiam pro fraude, quam circa vicesimam commiserunt, eorum saluti, quum propter viarum discrimina et alia impedimenta non possint ad Apostolicam Sedem venire, absolutionis beneficium petituri, providere misericorditer dignaremur. Nos igitur præsentium tibi auctoritate concedimus ut eis, qui nunc

tenentur sententiis memoratis, postquam satisfecerint competenter, impendas juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium vice nostra, nisi forsan aliquorum esset ita gravis et enormis excessus quod merito essent ad Sedem Apostolicam destinandi, ita tamen quod illos, qui nobili viro Erardo contra nobilem mulierem comitissam Campaniæ adhæserunt, in guerra, et propter hoc excommunicationis sententiam incurrerunt, occasione hujusmodi absolvere non præsumas. Porro ea quæ illi, qui fraudem commiserunt circa vicesimam, pro satisfactione impendent Terræ Sanctæ subsidio, conservabis eorum summam, nobis, fideliter rescripturus. Datum Laterani, V nonas martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXXX

Ad abbatem Albæ Ripæ.

3 mart. 1221.

[Mss. latins, fonds 5993 A, Bibliothèque Nationale.]

Quasdam absolutiones, quanquam irregulares, confirmat, nisi de illis qui Erardo adhæserunt.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati Albæ Ripæ, Cisterciensis ordinis, salutem, etc.

Tua nobis devotio supplicavit, ut, quum a venerabili fratre nostro archiepiscopo Remensi, tunc Lingonen. episcopo, deputatus ad pœnitentias injungendas, pœnitentias incendariis quibusdam injunxeris, eos ab excommunicationis sententia quam pro incendiis commissis incurrerant, absolvendo, credens id licitum tibi, hoc tuæ simplicitati parcere ac ratas habere absolutiones hujusmodi dignaremur. Nos igitur tui precibus inclinati, benigne annuimus postulationibus, nisi de illis extiterint, qui Erardo adhæserunt in guerra contra nobilem mulierem comitissam Campaniæ, et propter hoc excommunicationis sententiam incurrerunt. Datum Laterani, V nonas martii, pont. nostri anno quinto.

CCLXXXI

Ad episcopum Pictavensem.

5 mart. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 439. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut adversus personas, monasteria per simoniacam pravitatem ingressas canonice procedat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Pictaven.

Ex parte tua fuit expositum coram nobis, quod quamplures personæ monasteria monachorum, et monialium, necnon alias regulares ecclesias tuæ diœcesis per simoniacam pravitatem intrantes in eis receperunt habitum regularem, et sic diu ministrantes in eis ad sacros ordines sunt promoti; quare nobis humiliter supplicasti, ut super hoc paterna dignaremur mansuetudine providere. De tua itaque discretione plenam in Domino fiduciam obtinentes, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus cum personis hujusmodi agas super hoc auctoritate nostra, prout secundum Deum eorum saluti videris expedire. Datum Laterani, III nonas martii, pontificatus anno quinto.

CCLXXXII

Ad abbatem et conventum monasterii Herilacensis.

5 mart. 1221.

[Zeerleder, Urk. d. Stadt, t. I, p. 204, n. 124.]

Compositionem inter abbatem et conventum monasterii Herilacensis ex parte una, et capellanum ecclesiæ S. Uldrici de Erlacho ex altera, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati et conventui monasterii Herilacensis, salutem, etc.

Ea quæ judicio vel concordia terminantur firma debent et illibata persistere et, ne in recidivæ contemptionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit præsidio communiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, compositionem inter vos ex parte una et capellanum ecclesiæ, Sancti Uldrici de Erlacho ex altera, super quibusdam redditibus ejusdem ecclesiæ mediante bonæ memoriæ B. episcopo Lausannensi, amicabiliter initam, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, III non. martii, pontificatus nostri anno quinto.

In eumdem modum scriptum est ad ab-

batem et conventum Casæ Dei, et ad abbatem et conventum Herilacenses super jure patronatus ecclesiæ de Diesse.

CCLXXXIII

Ad episcopum Catalaunensem.

5 mart. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 438. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut ultra duas diætas extra comitatum Pertici in causam trahi non possit super rebus ad hunc comitatum, qui ad ipsum devolutus erat, pertinentibus.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Catalaunen.

Quum comitatus Pertici ad te jure sit hæreditario devolutus, nos, precibus tuis benignum impertientes assensum, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut ultra duas diætas extra comitatum ipsum per litteras Apostolicas, de cætero impetrandas, trahi non possis in causam super rebus ad eumdem spectantibus comitatum. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, III nonas martii, anno quinto.

CCLXXXIV

Ad P. subdiaconum et notarium.

6 mart. 1221.

[Theiner, Codex dominii temporalis, t. I, p. 67, n. 105.]

Ut sententiam in Anconitanos latam revocet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio P. subdiacono et notario nostro, salutem et apostolicam benedictionem.

Miramur non modicum et movemur, quod quum civitatem Anconitanam et comitatum ipsius in demanium Apostolicæ Sedis duxerimus retinendos, tu, sicut ex parte potestatis et communis civitatis ejusdem fuit propositum coram nobis, in comitatum ipsum, pro eo, quod nobili viro... marchioni Estensi intendere denegabant, promulgare interdicti sententiam præsumpsisti, quum id faciendi nullam habeas potestatem. Licet igitur eadem sententia nulla sit, nos tamen nolentes te confundere coram eis, discretioni tuæ præcipiendo mandamus, quatenus sine dilatione ac difficultate qualibet eamdem revoces per te ipsum. Datum Laterani, II nonas martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXXXV

Ad magistrum Rodulphum scholasticum Sancti Stephani Trecensis.

6 mart. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 459. Mss. La Porte du Theil.]

Dispensatio defectus natalium ut ad sacros ordines promoveri possit.

Honorius, etc., dilecto filio magistro Rodulpho scholastico Sancti Stephani Trecen.

Apostolicæ Sedis benignitas, provide pensans merita singulorum, interdum rigorem mansuetudine temperat circa illos, quos majoribus conspicit meritis adjuvari. Hinc est, quod cum pater tuus in sacris ordinibus constitutus te genuerit de soluta, et tu defectum natalium, quem sic genitus patieris, vitæ ac scientiæ meritis redimas, sicut venerabiles fratres nostri... Remensis archiepiscopus, et... Trecensis, et... Lingonensis episcopi, aliique quamplures suis notis litteris intimarunt, nos tuis precibus benignum impertientes assensum, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut, hujusmodi non obstante defectu, ad sacros possis ordines promoveri, et alios legitimos actus admitti, ita tamen quod si electus fueris ad ecclesiasticam dignitatem, illam nequaquam recipias absque Apostolicæ Sedis licentia speciali. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, II nonas martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXXXVI

Ad R. Sancti Johannis et ac Vallis Secretæ abbates, diœcesis Suession.

8 mart. 1221.

[Mss. latins 5993 A, Bibliothèque nationale.]

Comitissa Campaniæ implorat contra Melden. episcopum, protectionem Pontificis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis R. Sancti Johannis in Vineis, Suession. et Vallis Secretæ abbatibus Præmonstraten. ordinis, Suessionensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris B., comitissæ Campaniæ, fuit propositum coram nobis quod, quum venerabilis frater noster Melden. episcopus in nemore suo de Mahant cum una biga in lignis aridis habeat usum tantum, idem cum duabus illum in quibuslibet lignis usurpare contendens, ac jurisdictionem in strata villæ

suæ de Varedel sibi vendicat, et in terris ipsius novas villas præter ejus assensum ædificat minus juste, et alias temere jura ejusdem usurpat, ac super quadam consuetudine, quæ manus mortua dicitur, eidem injuriosus existens, hominibus suis de Congiaco inhibet ne ad ipsius exercitum veniant, ut tenentur, his talibus modis damna gravia et injurias irrogando. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, partibus convocatis, audiatis causam, et quod justum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quod statueritis auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, ne se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum nihilominus exsequantur. Datum Laterani, VIII idus martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXXXVII

Ad patriarcham Constantinopolitanum et episcopum Salembriensem ac archidiaconum Constant.

8 mart. 1221.

[Ex ms. Vaticano, lib. V, fol. 86, epist. 439. Raynald., ad ann. 1221, § 28, sed non integra.]

Constitutionem synodalem a Pelagio, episcopo Albanensi editam, dum legationis munere illis in regionibus fungeretur, ipsum (patriarcham Constantinopolitanum) atque episcopum Salimbriensem servandam curare jubet.

Honorius, etc., patriarchæ Constantinopolitano et episcopo Salembrien. et archid. Constantinopolitano.

Ad audientiam nostram noveritis pervenisse, quod cum venerabilis frater noster P. Albanensis episcopus, dum in partibus Romaniæ legationis officio fungeretur, synodali decreto vetuerit, ne personæ aliquæ aliæ quam inunctæ processionaliter reciperentur alicubi in partibus antedictis, et ne lecto Evangelio liber ad osculandum aliis quam personis deferretur inunctis, quidam statutum hujusmodi temere violare præsumunt in scandalum aliorum. Ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus eos, qui contra prohibitionem hujusmodi, honorificentiam personis non inunctis exhibere præsumunt, ab hujusmodi præsumptione cessare, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota compescas. Quod si non omnes, duo vestrum, etc. Datum Laterani, VIII idus martii, pont. nostri anno quinto.

Hæc ipsa epistola qua vetaretur ne cui principi, ni sacro oleo inunctus esset, religioso instructo agmine, honoris gratia, obviam iretur; neve lecto Evangelio liber exosculandus deferretur; ac ne sacris ordinibus initiati tabellionis munus obirent.

In eodem modo scriptum est ut supra eisdem *usque :* synodali decreto vetuerit, ... ne quis in sacris ordinibus constitutus tabellionatus officium exerceret. Presbyteri Venetiarum et alii consistentes in sacris ordinibus nihilominus exercere præsumunt officium memoratum se super hoc Apostolicum habere privilegium mentientes. Ideo discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus presbyteros ipsos et alios ut ab hujusmodi præsumptione desistant monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate cogatis. Quod si non omnes, duo vestrum, etc. Datum ut supra, etc.

CCLXXXVIII

Ad abbatem S. Bartholomæi, A. de Ham P. de Capi, canonicos Noviomenses.

10 mart. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 468. Mss. La Porte du Theil.]

Cum Morinensis episcopus assereret P. præpositum Sancti Audomari, ecclesiæ suæ custodiam cum annexa præbenda P. clerico uxorato tradidisse, jubet ut de veritate inquirant, et quod canonicum fuerit statuant.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Sancti Bartholomæi, A. de Ham et Petro de Capi canonicis Noviomen.

Sua nobis venerabilis frater noster Morinensis episcopus significatione monstravit, quod P. præpositus ecclesiæ Sancti Audomari suæ diœcesis, custodiam ejusdem ecclesiæ cum annexa sibi præbenda P. clerico Morinen. diœcesis contulit uxorato, super quo a nobis petiit idem episcopus provideri; quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, inquisita super hoc diligentius veritate, si vobis constiterit ita esse, dictam custodiam cum præbenda clerico subtrahatis, et eamdem, personæ idoneæ conferendam [curetis]. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, VI idus martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCLXXXIX

Ad præpositum Geuriensem, archidiaconum Vesprimiensem et custodem Albensem, diœcesis Vesprimiensis.

11 mart. 1221.

[Fejer, Codex diplom., VII, v, 226.]

Mandat eis ut de damnis conventui Sancti Benedicti ab archiepiscopo Strigoniensi illatis informent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, præposito Geuriensi, archidiacono Vesprimiensi, et custodi Albensi, Vesprim. diœcesis, salutem, etc.

Dilecti filii, abbas et conventus Sancti Benedicti de Grana, transmissa nobis petitione monstrarunt, quod venerabilis frater noster Strigoniensis archiepiscopus tam per se, quam per officiales suos super quibusdam prædiis, animalibus et rebus aliis ad suum monasterium de jure spectantibus, damna eis gravia et injurias multiplices irrogavit; nec unquam ab eo potuerunt exinde satisfactionem aliquam obtinere, licet id plurimum humiliter postulaverint. Cumque dilecto filio Acontio, subdiacono et capellano nostro, de mandato nostro in illis partibus existente, in eum tanquam in arbitrum fuisset ab utraque parte super præmissis et concorditer compromissum; quia interim eodem archiepiscopo ad curiam carissimi in Christo filii nostri, illustris regis Hungariæ accedente, prædictus abbas pro dilecto filio, nobili viro, duce Poloniæ, in Poloniam de ipsius regis mandato perrexit, nondum a præfato archiepiscopo super his potuerunt justitiam obtinere; propter quod memoratus abbas ad Sedem Apostolicam personaliter venire coactus, nobis humiliter supplicavit, ut, quum propter ejusdem archiepiscopi potentiam in partibus Hungariæ de ipso justitiam habere non possit, eis super hoc providere misericorditer dignaremur. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, partibus convocatis, audiatis causam, et si de partium processerit voluntate, appellatione remota, fine debito terminetis, facientes, quod statueritis, auctoritate nostra firmiter observari. Alioquin ipsam ad nos remittatis sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum competentem, quo per se, vel responsales alienos, nostro se conspectui repræsentent, justam, auctore Deo, sententiam recepturæ. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum nihilominus exsequantur. Datum Laterani, V idus martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXC

Ad archiepiscopos, episcopos, etc., et alios prælatos.

13 mart. 1221.

[Strehlke, Tab. ord. Theut., p. 319, n. 363.]

Vetat prælatos de hæreditate hominum ordinis Theutonici parochianorum suorum plus exigere, quam testamento sit sancitum, aut hæredes concesserint.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto sincerioris caritatis affectu dilectos filios fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani pro sua honestate ac religione diligimus, tanto propensius ad ea extirpanda, quæ in eorum præjudicium attentari dicuntur, intendere volumus omnimodis et debemus. Eorumdem fratrum nobis est relatione suggestum, quod sacerdotes in vestris diœcesibus constituti homines prædictorum fratrum parochianos suos nolunt in obitu ad sepulturam recipere, nisi eorum hæredes de bonis defunctorum eisdem sacerdotibus velint juxta eorum beneplacitum erogare; quod quam indignum sit et ecclesiasticæ dignitati contrarium, nos quidem plenius cognoscimus et discretionis vestræ probitas non ignorat. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sacerdotes per vestras diœceses constitutos monere diligenter et compellere studeatis, ut homines prædictorum fratrum, qui in eorum parochiis commorantur, cum eos mori contigerit, sine hujusmodi gravamine ad sepulturam recipiant non plus ab eis aliquatenus exacturi propter hoc, quam vel decedentium extrema voluntas vel hæredum liberalitas eis sponte duxerit largiendum. Datum Laterani, III idus martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXCI

Ad episcopum, C. Natalem, et P. Grimoardum canonicos Xanctonenses.

13 mart. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 466. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut episcopum Engolismensem de multis enormibus gravatum ad resipiscentiam inducant.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo et magistris C. Natali, et P. Grimoardo, canonicis Xanctonensibus.

Non est Deus in conspectu venerabilis fratris nostri... Engolismen. episcopi, si vera sunt ea; quæ nobis de suis actibus sunt relata. Licet enim, sicut dilecti filii A. et R. canonici Engolismenses nostris auribus intimarunt, felicis recordationis Innocentius papa, prædecessor noster, eidem direxerit scripta sua, ut graves excessus, quos dicebatur in salutis suæ dispendium, et plurimorum scandalum commisisse, corrigeret per seipsum, ipse tamen non solum id efficere non curavit, verum etiam prioribus pejora committens, ecclesias et ecclesiastica beneficia indignis conferre personis, de matrimoniis minus licitis præbere consensum et contracta illicite sustinere præsumit, pecunia mediante, alias in derogationem pontificalis officii multa enormia committendo; unde nobis humiliter supplicarunt, ut ad correctionem eorum manus nostras apponere dignaremur. Adhuc igitur experiri volentes utrum increpatio iterata sibi tribuat intellectum eidem nostris damus litteris in mandatis, ut officii sui debitum sollicite recognoscens, sic illud maturitate debita prout honor ipsius exigit, exsequatur, ut quæ perperam attentavit per seipsum corrigat et emendet, de cætero a similibus desistendo infructuosæ arboris securim apponere non compellat. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictum episcopum ad id ex parte nostra moneatis prudenter et efficaciter inducatis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III idus martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXCII

Ad Bertholdum Aquileiensem et Angelum Gradensem patriarchas ac alios episcopos et ecclesiarum prælatos, per Lombardiam, Marchiam, etc., constitutos.

14 mart. 1221.

[Theiner, Codex dipl. dominii temp., I, 68, n. 111.]

Ad prælatos scribit se ad eos misisse legatum Hugolinum episcopum Ostiensem ad evangelizandum Verbum Crucis et hortatur ut eum legatum hilariter et devote recipiant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Aquileiensi et Gradensi patriarchis, Ravennati, Januensi et Mediolanensi et Pisano archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis aliis ecclesiarum prælatis per Lombardiam, Marchiam, Romaniolam et Tusciam constitutis, salutem....

Cum is qui secundum suæ omnipotentiam majestatis nec loco potest nec tempore comprehendi, utpote incircumscriptibilis et immensus, et stabilis manens, dans cuncta moveri, faciat spiritus suos angelos et ministros, et cœlorum altitudinem inclinare, carnem assumens humanam, pro eo quod deliciæ suæ sunt esse cum filiis hominum, discipulos elegerat, et in mundum destinaverat universum, ut omni prædicarent evangelium creaturæ, suo nos instruxit exemplo, ut ejus sequentes vestigia, cum assumpti sumus et in plenitudine potestatis, nec per nos ipsos possimus singulis negotiis imminere, inter eos quos in partem sollicitudinis evocavimus, onera quasi Jethro usi consilio dividamus, unicuique secundum virtutem propriam, quæ variis temporibus imminent committendo : unde cum inter alias occupationes et sollicitudines innumeras et immensas, quibus angimur ultra vires, hoc instantius cogitemus, qualiter succurratur exercitui christiano feliciter in partibus transmarinis Domino militanti, quod etsi jugiter convalescat contra inimicos nominis Christiani, tanto magis succursu tamen indiget pleniori, quanto latius inimicorum occupans terras, necesse habet occupatis probos deputare custodes ; talem ad commonefaciendum super hoc Christifideles oportuit nos eligere, qui zelum Dei habens secundum scientiam non minus merito sanctitatis et operum exemplari quam virtute vocis ad obsequium domino populum efficaciter excitaret. Et ecce a dextris est nobis vir

dexteræ venerabilis frater noster... episcopus Ostiensis, qui dextera divina tanquam cedrus Libani plantatus in Ecclesiæ paradiso; altitudine contemplationis rectus, virtutum odore suavis, famæ sinceritate penitus imputribilis, non solum sua fortitudine ad sustentationem domus Domini operatur, verum etiam honestatis candore ipsius superficiem convenustat. Sed licet ipsius præsentia cara non valde caremus inviti, ut cujus auxilio et consilio plurimum indigemus, ne tamen Christi negotium nostris postponere commodis videremur, eum ad hoc providimus deputandum, ut fungens plene legationis officio pro Christo evangelizet populis verbum crucis, et alios recte regere, ac indirecta dirigere satagens, aspera convertat in plana, extirpando vitia et plantando virtutes, firmam spem fiduciamque tenentes, quod Dominus, qui ei linguam contulit eruditam, dans voci ejus vocem virtutis suæ in beneplacito suo diriget vias ejus, ipsius fœcundia mentes audientium fœcundando. Cæterum etsi ejus exemplo, cujus immeriti vicem gerimus quod uni ex minimis nostris fit, nobis fieri reputemus, quia tamen sicut stella differt a stella in claritate, ita inter eos est discretio meritorum : nos cupientes prædictum episcopum eo propensius honorari, quo per eum Sedes Apostolica sublimius honoratur, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, ac per Apostolica scripta vobis firmiter præcipiendo mandamus, quatenus eumdem legatum, vel potius nos in ipso, recipientes hilariter et devote ac debita devotione tractantes, eidem in omnibus et per omnia studeatis efficaciter obedire, ita quod eum propitium et nos vobis exinde reddatis favorabiles et benignos : alioquin sententiam, quam idem tulerit in rebelles, ratam et firmam habebimus, et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Datum Laterani, II idus martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXCIII

Ad archiepiscopum Dublinensem.

14 mart. 1221.

[Theiner, Vetera Monum. Hibern. et Scot., p. 18.]

Ordinatio quarumdam dignitatum in sua ecclesia facta confirmatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo Dublinen., salutem et apostolicam benedictionem.

Quæ pro ecclesiarum decore ac divini nominis cultu provide ordinantur, Apostolico decet munimine roborari, ut inconcussam obtineant firmitatem. Cum igitur in ecclesia tua decanatum, præcentoriam, thesaurariam, cancellariam et alios personatus provide ordinaris, certis redditibus his, qui sustinebunt onus officiorum hujusmodi, deputatis : nos tuis precibus inclinati, ordinationem ipsam, sicut pie ac provide facta est, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, II idus martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXCIV

Ad archiepiscopum Rothomagensem.

15 mart. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 430. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit ei ut R. de Launa clericum beneficio præbendali provideat.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Rothomagen.

Et si ex susceptæ servitutis officio facti simus omnibus debitores, universis tamen militiæ clericali adscriptis nos fatemur specialiter obligatos, et illis præsertim, qui honestate ac scientia præditi, ecclesiis a quibus beneficia obtinuerint, possunt utiliter deservire. Quum igitur dilectus filius R. de Launa clericus, sicut asserit, dudum ad servitium tuum a te vocatus accedens cum... officiali tuo, cujus vices plerumque supplebat in officio assessoris, et alias tibi servierit humiliter et devote ; tuque ipsum postmodum in subdiaconum ordinans quod provideres eidem sibi spem dederis quasi certam, idque licet potueris nondum effectui mancipari, quamquam ad hoc tam ratione ordinationis, quam obsequii a se tibi exhibiti obligatus existas, fraternitatem tuam rogandam duximus attentius et monendam per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ad servitium ejus debitum habens respectum ipsi nondum aliquod ecclesiasticum beneficium assecuto, cui et vitæ meritum, et talentum scientiæ suffragari dicuntur, ob reverentiam Apostolicæ Sedis et nostram in beneficio ecclesiæ tuæ

provideas præbendali, ut ex hoc alii ad obsequium tuum fortius animentur, et nos devotionem tuam possimus merito commendare. Datum Laterani, idibus martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXCV

Ad archiepiscopum Senonensem.

15 mart. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 461. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut querelam inter capitulum et episcopum Parisiensem sopiat et definiat.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Senonen.

Quum capitulum Parisien. deceat omnium, ac specialiter venerabilis fratris nostri..... episcopi Parisien. affectare caritatem, et pacem, eis per nostras litteras duximus inhibendum, ne occasione alicujus controversiæ inter eos, et ipsum episcopum emergentis a divinis cessent officiis, quamdiu idem episcopus paratus erit stare justitiæ coram te, vel arbitris communiter eligendis; ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dictum capitulum secus, quod non credimus, præsumpserint attentare, tu eos ad querelam ejusdem episcopi taliter, appellatione remota, castiges, quod similia metu pœnæ attentare formident. Datum Laterani, idibus martii, anno quinto.

CCXCVI

Ad Engelbertum archiepiscopum.

15 mart. 1221.

[Mansi, Concil. coll., XXII, 1096.]

De advocatorum vexationibus et advocatiis vacantibus.

Cum plerique advocati ecclesiarum advocationis obsequium convertentes in dominationis abusum, ecclesias ipsas opprimant et affligant, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ecclesias vestrarum diœcesum (*sic*), humano amore ac mundano timore postpositis, ab advocatorum vexationibus taliter defendere studeatis, quod per studium vestrum a suis possint angustiis respirare, nosque sollicitudinem vestram commendare merito debeamus. Ad hæc si quas advocatias vacare contigerit, expresse inhibeatis ecclesiis ad quas spectant, ne illas conferre præsumant, sed suis curent usibus applicare; illud districtius inhibentes ne una ecclesia plures advocatos assumat; quum ministerium advocatorum hujusmodi, quod ad ecclesiarum tranquillitatem noscitur fuisse provisum, ad vexationem per eorum usurpationes constet esse conversum. Datum Laterani, idus martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXCVII

Ad priorem Sanctæ Genovefæ, Gaufridum archidiaconum et magistrum Giraudum canonicum Parisiensem.

15 mart. 1221.

[Mss. latin 5993 A, Bibliothèque Nationale.]

Ut G. de Calvimontis a Blancha comitissa resipiscere a præmissis compellatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori Sanctæ Genôvefæ, Gaufrido archidiacono et magistro Giraudo canonico Parisien., salutem, etc.

Dilecti filii fratres militiæ templi regni Franciæ nobis insinuare curarunt quod G. Calvimontis, Lingon. diœcesis, præpositus nobilis mulieris comitissæ Campaniæ, sententiis delegatorum nostrorum parere temere contradicens, compositiones habitas cum eisdem renuit observare. Quanquam propter hoc excommunicationis vinculo fuit innodatus, in sua tamen contumacia perseverans, sententiam ipsam in suæ salutis dispendium et plurimorum scandalum vilipendit. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eamdem comitissam moneatis prudenter et efficaciter inducatis, ut eumdem a præmissis resipiscere, potestate sibi tradita compellendo, eisdem fratribus ita plenam justitiam exhiberi faciat ab eodem quod ipsi propter hoc suam ad nos non cogantur iterare querelam nosque devotionem ipsius possimus merito commendare. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, idibus martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXCVIII

Ad P. de Vico archidiaconum Bituricen.

17 mart. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 411. Mss. La Porte du Theil.]

Archipresbyteratus Exoldunensis cum archidiaconatu Bituricensi unionem auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., dilecto filio magistro P. de Vico archidiacono Bituricen.

Ex parte siquidem tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum sanctus W. archiepiscopus, et dilecti filii capitulum Bituricen. olim tenuitate reddituum majoris archidiaconatus, ac ecclesiæ Bituricen. honore, provida deliberatione pensatis, archipresbyteratum Exoldunen. eidem duxerint uniendum, unionem ipsam Apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur tuis justis precibus grato concurrentes assensu, unionem ipsam, sicut provide facta est, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XVI kal. martii, pontificatus nostri anno quinto.

CCXCIX

Ad capitulum Justinopolitanum.

17 mart. 1221.

[Theiner, Vetera Monum. Slavorum, p. 72, n. 82.]

Capitulo Justinopolitano statutus duodecimus canonicorum numerus confirmatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... decano et capitulo Justinopolitano, salutem, etc.

Quum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Eapropter, etc., *usque* assensu. Statutum in ecclesia vestra duodecimum canonicorum numerum, sicut provida est deliberatione statutum, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes, ut eadem ecclesia dicto canonicorum numero sit contenta, nisi adeo ejus excreverint facultates, quod pluribus valeat necessarium ministrare, in omnibus mandato Apostolico semper salvo. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis et constitutionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XVI kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCC

Ad magistrum Jacobum, A. S. legatum.

19 mart. 1221.

[Theiner, Monum. Hiberniæ, 18 n. 46.]

Ut quasdam consuetudines in Hibernia, ad quas abolendas archiepiscopus Cassellensis litteras Apostolicas obtinuerat, examinet et de his referat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro Jacobo, capellano et pœnitentiario nostro, Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto justis petentium precibus faciliorem præbemus assensum, tanto quilibet accuratius cavere [debet], ne, sub prætextu a nobis justitiam postulandi, nostram confidentiam circumveniens calomniam machinetur in nostram et publici juris injuriam manifestam. Sane carissimus in Christo filius noster H., rex Anglorum illustris, suis nobis nuntiis et litteris intimavit, quod venerabilis frater noster... Cassellensis archiepiscopus, suggerens olim nobis, quod ipse possessiones ecclesiæ Cassellensis a quampluribus injuste detentas, et specialiter villam novam de Cassello, et possessiones alias ejusdem ecclesiæ, quibus eam nobilis vir G. de Marisco justitiarius Hiberniæ, ac ejus complices indebite spoliarant, adhuc non potuit rehabere, quamvis rex super hoc fuisset monitus diligenter, ad eumdem regem nostras litteras impetravit, ut sibi restitui faciens tam villam prædictam quam alia, quibus erat contra justitiam spoliatus, eum in justitiis et libertatibus suis defenderet et foveret, ita quod ipsum merito commendare possemus, et te, cui negotium ipsum commisimus, non oporteret aliquatenus laborare. Fuit autem nuper coram nobis ex parte regis responsum, quod libenter volebat archiepiscopum et ecclesiam ejus defendere ac favere, dummodo sui juris non incurreret detrimentum, sed licet idem archiepiscopus in hoc justitiam prætendere videatur, gravem tamen regi eidem injuriam molitur inferre. Nam cum de antiqua et approbata consuetudine sit obtentum, imo commune regni Angliæ ac Hiberniæ jus existat, ut nullus infra ætatem legitimam constitutus super his, quæ pater suus tempore mortis pacifice possidebat, donec viginti et unum annum compleat, valeat conveniri, et constet, quod claræ memo-

riæ J. pater ejus tempore mortis suæ in quasi possessione pacifica hujusmodi juris erat et rerum ab archiepiscopo petitarum, non debebat hoc regi negari, quod nec majoribus regni nec minoribus denegatur. Alio quoque idem rex se super hoc jure tuetur, quod cum res hujusmodi sint feudales, super his non nisi coram paribus curiæ suæ conveniri debeat. Fuit etiam ex parte ipsius regis propositum coram nobis, quod ab eo tempore, quo Anglici de mandato Apostolicæ Sedis intrantes Hiberniam, ipsam Ecclesiæ Romanæ obedientiæ subjecerunt, habito respectu ad Hiberniensium feritatem, ne ulterius exprimatur, necessitate ac utilitate pensatis, extitit introductum et hactenus pacifice observatum, ut si forte Hiberniensis furtim subripuerit aliquid Anglico, et juraverit Anglicus cum sex aliis Anglicis, rem sibi fuisse ab Hiberniensi subreptam, Hiberniensis ad restitutionem rei subreptæ cogatur. Sed prædictus archiepiscopus malitiose subticens causas, quare hoc fuerit introductum et firmiter stabilitum, ad eumdem regem litteras impetravit, ut non obstante consuetudine hujusmodi, vel potius corruptela, quam decernebamus potius abolendam, Anglicis inhibere, ne talia præsumerent de cætero attentare, præsumptores regia potestate compescens: quare fuit nobis ex parte regis ipsius supplicatum instanter, ut non permitteremus aliquid contra dictam consuetudinem immutari, cum id fieri non posset sine utriusque gentis irreparabili detrimento. Præterea suggerentibus prædicto archiepiscopo et suffraganeis ejus, quod barones et alii laici in eorum diœcesibus constituti, possessiones ecclesiarum suarum pro majori parte detinent contra justitiam occupatas, et de paucis earumdem relictis, licet a rege nec illas, nec regale aliquod habeant, ipsi et eorum homines coram sæculari coguntur judice respondere. Nos eidem regi direximus scripta nostra, ut abusiones hujusmodi faceret aboleri, et restitui possessiones eisdem a laicis occupatas, dato nihilominus tibi nostris litteris in præceptis, ut vocatis, qui essent vocandi, exsequereris, sicut justum esset, sublato appellationis impedimento, præmissa. Ad quod fuit ex parte regis prædicti responsum, quod quum possessiones illæ laicæ sint, et teneatur ex antiqua et approbata consuetudine, imo ex utriusque regni lege, super hujusmodi, si vertatur etiam quæstio inter dominos et vassallos, in foro suo cuilibet conquerenti facere justitiam exhiberi, ita quod non nisi coram ipso potest alius alium convenire. His duntaxat exceptis, quæ in puram eleemosynam sunt collata, non debeat super his rex sua jurisdictione privari, paratus omni petenti exhibere justitiæ complementum. Ad hæc sæpedicto archiepiscopo conquerente, quod Anglici quidem, in ejus provincia commorantes, ecclesiarum et clericorum possessiones injuste occupant, et munitiones construunt in eisdem, et decedentibus Anglicis, qui possessiones ecclesiarum et clericorum suæ provinciæ sub annuo censu tenent, ballivi regis possessiones ipsas occupant violenter, et tamdiu fructus percipiunt eorumdem, donec defunctorum hæredes perveniant ad ætatem, licet prælati ecclesiarum, ad quos possessiones pertinent, percipere debeant fructus ipsos. Nos eidem regi direximus scripta nostra, ut injuste subtracta restitui faciens ecclesiis et clericis supradictis, ballivos suos et alios ab hujusmodi gravaminibus et pressuris tradita sibi compesceret potestate: unde super his fuit ex parte regis responsum, quod quum in Hibernia possessiones tam clericorum, quam baronum, et aliorum, pro eo, quod sine castris munitæ, quasi continue inter Anglicos et Hibernienses, guerra durante, reddantur Anglicis inhabitabiles, provide fuit statutum tam a clericis quam a laicis, ut nisi illi, qui hujusmodi possessiones haberent, infra certum terminum in eis castra fundarent, licet regi extunc monitiones erigere in eisdem: unde archiepiscopus nimis astute nitebatur statutum hujusmodi abolere in grave ipsius regis dispendium et jacturam, et in alio articulo talem suppresserat veritatem, quam si expressisset, nequaquam super eo potuisset litteras impetrare. Nam cum ab omnibus tam prælatis quam clericis per Angliam et Hiberniam constitutis inviolabiliter observetur, ut si vassallus alicujus domini, hærede minore viginti unius anni relicto, decedant, dominus hæredem cum omnibus bonis suis sub custodia sua usque ad prædictam tenens ætatem, de omnibus rebus mobilibus et redditibus pro sua voluntate disponat. Rex in hoc gaudet privilegio speciali, quia si talis hæres habeat feudum a rege, licet sit vassallus alterius cujusque,

sive episcopi, sive alterius clerici aut laici, rex omnium possessionum illius custodiam obtinebit : quare decedentibus Anglicis, qui possessiones ecclesiarum et clericorum dictæ provinciæ tenent, non ad annuum censum, sicut archiepiscopus asserit, cum nequaquam temporales conductores existant, rite ballivi regis ipsius defunctorum hæredes cum possessionibus ipsis recipiunt et custodiunt, donec perveniant ad ætatem. Subsequenter quoque idem archiepiscopus nobis conquestus extitit, quod quum felicis recordationis Innocentius Papa, prædecessor noster... abbati de Joriponte ac ejus collegis suis dedisset litteris in mandatis, ut possessiones ecclesiæ suæ, alienatas a prædecessoribus suis in ipsius ecclesiæ læsionem, studerent ad jus et proprietatem ejusdem ecclesiæ legitime revocare, justitiarii regis et quidam alii Anglici commorantes in provincia Cassellensi eos in negotio ipso procedere minime permittebant, ne de possessionibus ipsis se aliquatenus intromitterent, arctius inhibendo, et super quibusdam terris, quibus se asserebant a quibusdam prælatis Hiberniæ indebite spoliatos, ipsos trahebant in causam sub judice sæculari, coram quo duodecim Anglicis juramento firmiter id, quod illi asserunt de ipsis possessionibus verum esse, contra prælatos ipsos promulgabatur sententia, et ita per abusum hujusmodi gravem incurrebant ecclesiæ jugiter læsionem : unde nos regi scripsimus sæpedicto, ut justitiarios ipsos et alios a præfatis gravaminibus tradita sibi potestate compescens, prælatos eosdem et alios viros ecclesiasticos non sineret fori sui privilegio spoliari, nec perverti judicium prædicto juramentorum abusu, quem tanquam juri contrarium censebamus penitus abolendum. Fuit autem ex parte regis ad prædicta responsum, quod quum tam in regno Angliæ, quam in regno Hiberniæ dissensiones multiplices, et variæ quæstiones super variis spoliationibus et detentionibus jugiter orirentur, de communi consilio et consensu tam ecclesiarum prælatorum, quam aliorum magnatum, necnon aliorum majorum et minorum provida fuit deliberatione statutum, ut ad inveniendum facilius veritatem et justitiam plenius declarandam, eligantur quatuor boni viri, qui jurant, se duodecim alios, quos fideliores et prudentiores esse credunt, ad quæstionem sopiendam subortam fideliter electuros, et sic quod electi duodecim (*sic*) præstito juramento, quod fideliter veritatem inquirent et judici referant. Judex secundum relata judicat et facit firmiter observari, nisi forte ad querelam illius, contra quem judicatum est, per viginti quatuor aliorum juratorum inquisitionem contrariam reprobetur : unde statutum hujusmodi eo personis ecclesiasticis videtur amplius expedire, quo arctius tenentur aliis justitiam observare. Ne igitur sæpedictus rex infra ætatem positus exinde aggravetur, quem tanquam sub speciali Apostolicæ Sedis protectione positum debemus ab oneribus relevare, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis principibus utriusque regni, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, inquiras super his omnibus diligentius veritatem, et si, ut ex parte regis propositum est, hæc inveneris vera esse, nequaquam litterarum nostrarum auctoritate procedas, præsertim cum idem rex, quamdiu fuerit infra ætatem positus, non debeat conveniri. Datum Laterani, XIV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCI

Ad abbatem et priorem Sancti Johannis in Vineis et decanum Suessionensem.

20 mart. 1221.

[Regest., lib. V, ep. 480. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat, ut Vallis Claræ abbatem, episcopo Laudunen. diœcesano suo respondere renuentem, nisi immunitatis privilegium ostendat, suo episcopo respondere cogant.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et priori Sancti Johannis in Vineis et..... decano Suessionen.

Venerabilis frater noster..... Laudunen. episcopus sua nobis petitione monstravit, quod..., abbas Vallis Claræ, Cistercien. ordinis, Laudunen. diœcesis, asserens monasterium suum esse liberum et exemptum, licet exemptionis privilegium non ostendat, ejus non vult correctionem suscipere, nec ei sicut suo episcopo respondere. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si præfatus abbas exemptionis privilegium non ostenderit infra competentem terminum, quem ei duxeritis præfigendum, vos auctoritate nostra injungatis eidem, ut præfato episcopo sicut

diœcesano suo intendat et respondeat humiliter ac devote. Quod si forte ostenderit privilegium, illud ad nos nostro examinandum judicio transmittatis, denuntiantes id episcopo memorato, ut propter hoc veniat vel mittat ad nostram præsentiam, si sibi viderit expedire. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XIII kalend. aprilis, anno quinto.

CCCII

Ad Conradum, Ratisponensem episcopum.

20 mart. 1221.

[Ried, Codex diplomat. Ratisponen., t. I, p. 330, n. 319.]

Conrado Ratisponensi episcopo redditus, quos in ecclesiis de Munster et de Pilstingen obtinet, confirmat.

Honorius, etc.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, redditus, quos in ecclesiis de Munster et de Pilstingen nosceris obtinere, sicut eos juste possides et quiete, auctoritate tibi Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Laterani, XIII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCIII

Ad decanum Justinopolitanum.

21 mart. 1221.

[Ughelli, Italia sacra, tome II, p. 786.]

Decano Justinopolitano præbendam collatam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, decano et capitulo Justinopolitano, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecto filio magistro Othone ad regimen ecclesiæ Urbinatis electo, nos onus debitorum ejusdem ecclesiæ attendentes, inhiberi mandavimus ecclesiarum prælatis, in quibus idem electus beneficia obtinebat, ne aliquid de beneficiis ipsis disponerent absque mandato Sedis Apostolicæ speciali, sed eidem electo interim de ipsis beneficiis responderent. Nuper autem in nostra proposuisti præsentia constitutus, quod venerabilis frater noster Andegavensis episcopus tibi liberaliter contulit præbendam, quam idem electus in Andegavensi ecclesia obtinebat; quare nobis humiliter supplicasti, ut super hoc tibi gratiæ nostræ favorem impendere dignaremur. Nos igitur meritis tuæ probitatis inducti, prædictam collationem gratam habentes, et ratam, præbendam ipsam auctoritate tibi Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ipsi tamen electo, donec fuerit consecratus, de fructibus dictæ præbendæ volumus more solito responderi, nisi forsan tantum differret munus consecrationis suscipere, quod dignum esset nos aliter providere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, XII kalendas aprilis, anno quinto.

CCCIV

Ad Hugonem Hostiensem episcopum.

25 mart. 1221.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., I, 67, n. 106.]

Ut constitutiones Frederici ubique publicari easque a magistris Bononiensibus in scholis legi curet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... Hostiensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus constitutiones a carissimo in Christo filio nostro Frederico, illustri Romanorum imperatore et rege Siciliæ, in die, quo suscepit imperii diadema, solemniter editas, quas tibi sub bulla nostra mittimus interclusas, quasque imperiali aurea munitas bulla in archivis Apostolicæ Sedis duximus retinendas, per omnes civitates constitutas infra fines legationis tibi commissæ publicari facias et servari, injungens magistris et scholaribus Bononiensibus universis, ut in codicibus suis faciant eas scribi, et in scholis legi solemniter a magistris, utrosque ad hæc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellens. Datum Laterani, VIII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCV

Ad priorem et capitulum Sancti Ursini Bituricensis.

26 mart. 1221.

[Regest., lib. V, ep. 495. Mss. La Porte du Theil.]

Statutum, quo numerus canonicorum in ipsorum ecclesia ad octavum decimum determinatus erat, auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis priori et capitulo Sancti Ursini Bituricen.

Ecclesiarum utilitati ac tranquillitati consulitur cum numerus personarum servientium in eisdem earum facultatibus provide coaptatur. Quum igitur de consensu venerabilis fratris nostri S. Bituricen. archiepiscopi octavum decimum præbendarum numerum in ecclesia vestra, pensatis facultatibus ejus, duxeritis statuendum, nos precibus vestris benignum impertientes assensum, statutum ipsum, sicut pia consideratione ac deliberatione provida factum est, et in ipsius archiepiscopi litteris continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Inhibentes ne quis ad majorem numerum vos compellat invitos, nisi adeo excrescerent ipsius ecclesiæ facultates, quod etiam personarum numerus videretur merito ampliandus; salvo nimirum in omnibus Apostolicæ Sedis mandato. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis et inhibitionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCVI

Ad H. et S. comites de Vegla.

29 mart. 1221.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, p. 306.]

Eos tuendos suscipit et aliquas possessiones confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis nobilibus viris H. et S., comitibus de Vegla, salutem, etc.

Sacrosancta, etc., *usque* confovere. Eapropter, etc., *usque* assensu. Personas vestras sub beati protectione Petri suscipientes et nostra, quatuor insulas inter Spalatum et Ulmes sitas, videlicet Faram et Braczam, Gorzuram et Langurstam cum parvulis insulis et aliis pertinentiis suis, quas intelleximus carissimum in Christo filium nostrum, regem Hungarorum illustrem, in recompensationem multorum servitiorum, quæ exhibueritis eidem, de mera vobis liberalitate donasse, sicut ea juste et pacifice possidetis, et in instrumento regis ipsius confecto exinde continetur, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, IV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCVII

Ad episcopum Parisiensem.

31 mart. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 506. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem in omnibus ecclesiis sibi lege diœcesana subjectis, omnia ordinandi quæ ad suum cognoverit officium pertinere.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Parisien.

Ea quæ nobis per tuas litteras intimasti, et quæ dilectus filius C. presbyter nuntius tuus ex parte tua curavit proponere viva voce, audivimus diligenter, et in quibus potuimus exaudiri curavimus, habentes in firmo proposito tibi tanquam ei, quem sincera in Domino caritate diligimus, favoris Apostolici gratiam in quibuscumque decuerit, et petieris exhibere. Specialiter autem super eo quod capitula Parisien. diœcesis publice asserunt, sicut dicis te nullam in eos jurisdictionem habere, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus in omnibus ecclesiis tibi lege diœcesana subjectis, de nostro favore securus, ea libere facias, quæ ad tuum cognoscis officium pertinere. Datum Laterani, II kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCVIII

Ad Gervasium episcopum, Guillelmum abbatem, et priorem S. Martini Sagienses.

1 april. 1221.

[Brussel, Examen des fiefs en France, t. II, p. 1021.]

Eis committit inquirendam et terminandam causam, vertentem inter Petrum archiepiscopum Senonensem et Blancham comitissam Campaniæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

venerabili fratri episcopo Gervasio et dilectis filiis abbati et priori Sancti Martini Sagiensis, salutem, etc.

Querelam venerabilis fratris nostri Senonensis archiepiscopi recepimus, continentem quod, quum homines de Pruvino, Senonensis diœcesis, salvis omnibus rebus suis, soliti sunt libere ad terram archiepiscopi se transferre, et ibi se consistere sub ejusdem jurisdictione securi; nobilis mulier comitissa Campaniæ homines hujus loci, quominus hujusmodi libertate struantur, in grave impendit præjudicium ecclesiæ Senonensis : unde fieri sibi a nobis super hoc justitiam postulavit. Unde discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, partibus convocatis, audiatis, etc. Datum Laterani, kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCIX

Ad decanum Virdunensem.

1 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 502. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut primiceriatus Metensis redditus sequestrari faciat, donec mercatoribus Senen. a quibus primicerius Metensis jam fato functus, mutuum centum quadraginta marcarum acceperat, satisfactum fuerit.

Honorius, etc., dilecto filio decano Virdunensi.

Dilectus filius Jocelinus Meten. canonicus humili nobis insinuatione monstravit, quod bonæ memoriæ E., primicerius Meten., apud Sedem Apostolicam pro suis et ecclesiæ Meten. negotiis constitutus a quibusdam mercatoribus Senen. mutuum centum quadraginta marcarum accepit, pro quibus solvendis idem canonicus ad preces ipsius primicerii præfatis mercatoribus se astrinxit vinculo juramenti; quare nobis humiliter supplicavit, ut super hoc sibi providere misericorditer dignaremur. Ne igitur idem canonicus inde patiatur dispendium unde promeruit gratiam, neve reatum incurrat perjurii quum non habeat unde possit pecuniam ipsam solvere terminis constitutis, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus proventus primiceriatus, et aliorum beneficiorum ipsius primicerii sive vacantia fiat, sive etiam jam collata facias sequestrari tamdiu, et cum diligentia custodiri, donec de sorte sua inde satisfactum sit mercatoribus supradictis. Contradictores si qui fuerint, etc., per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Laterani, kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCX

Ad Suessionensem episcopum.

1 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 496. Mss. La Porte du Theil.]

Absolvit eum ab interdicto quod incurrerat.

Honorius, etc., venerabili fratri... Suessionen. episcopo.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum in quosdam malefactores tuæ diœcesis pro manifesta offensa excommunicationis sententiam promulgaris, monitione debita non præmissa, contra statuta Concilii generalis, quod sic in aliquos sententiam proferentibus per mensem ingressum ecclesiæ interdicit, et neglecto postmodum hujusmodi celebraveris interdicto tecum dignaremur super hoc misericorditer dispensare. Nos ergo attendentes, quod cum sponte confessis mitius sit agendum, et ad devotionem, quam ad Romanam Ecclesiam, et nostram geris personam debitum respectum habentes, tecum super hoc de misericordia, quæ superexaltat judicio, dispensamus, injungentes, ut a præsumptione hujusmodi de cætero caveas diligenter, præsertim quum ex ignorantia juris non possis quomodolibet excusari, utpote vir præditus scientia litterarum. Datum Laterani, kalendas aprilis, anno quinto.

CCCXI

Ad decanum, cellararium et H. de Sancto Remigio canonicum Remensem.

2 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 510. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit eis ut thesaurarium Lingonensem ab infestando Lingonensi episcopo compescant.

Honorius, etc., dilectis filiis decano, cellarario, et H. de Sancto Remigio canonicis Senonen.

Perversa obstinatio et obstinata perversitas thesaurarii Lingonen. exposcunt, ut frequentes destinemus litteras contra eum, et in morbo experiamur cauterium, in quo medicina non provenit fomentorum. Si quidem eumdem thesaurarium sæpe fecimus

paterna benignitate moneri, ut a persecutione venerabilis fratris nostri... Lingonen. episcopi saltem pro sua salute desisteret, et ei debitam fidelitatem, obedientiam, et reverentiam exhiberet, quo spretis monitionibus nostris in suæ perversitatis duritia persistente, demum auctoritate nostra lata fuit excommunicationis sententia in eumdem, quam nos auctoritate Apostolica roboravimus, et mandavimus publicari solemniter, ac usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, mandantes nihilominus, ut in ejus complices, et fautores nisi commoniti ab ejus sequela desisterent similis sententia proferretur. Nuper autem canonici Lingonen., paucis duntaxat exceptis qui fovere ipsum thesaurarium in hujusmodi malitia non formidant, non attendentes quod eis possit ex favore hujusmodi evenire, nobis suis litteris intimarunt, quod quum præfatus episcopus humiliter se obtulerit ad exhibendam ipsi thesaurario si habet aliquid adversus eum justitiam coram capitulo Lingonen., et ipsi per... decanum suum super hoc requiri fecerint thesaurarium memoratum, ipse id facere omnino recusans et per se, ac per consanguineos et alios complices suos insidians ipsi episcopo et præfatis canonicis, ac etiam clericis, et hominibus eorumdem, nec eos assecurare volens humiliter requisitus usque adeo armavit suam malitiam contra eos, quod timent etiam in ipsa ecclesia commorari. Qui etiam, rejecto sicut accepimus habitu clericali, deformatus in laicum et factus quasi publicus spoliator fructus ecclesiasticorum beneficiorum, quæ obtinet, expendit in balistarios, et arcarios, per quos infestat episcopum et ecclesiam Lingonen. de servitio exhibendo ecclesiis, a quibus ipsa percipit beneficia apud eum jam ultima, imo nulla penitus [habita] quæstione. Licet igitur jam non moneri, sed puniri ejus perversitas mereatur, cum tanta sit ejus obstinationis duritia, ut ei possit merito adaptari quod legitur: si contunderis stultum quasi typsanas feriente de super pilo non auferetur ab eo stultitia ejus: ad tollendam tamen eidem omnem contra nos murmurandi materiam, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, tenore præsentium plene sibi exposito, diligenter moneatis eumdem, et ei auctoritate nostra firmiter injungatis, ut infra mensem, postquam fuerit a vobis commonitus omnino cesset, et suos cessare faciat, ab infestatione præfati episcopi et ecclesiæ Lingonen., ac sine omni exceptione omnia ea episcopo prædicto exhibeat, quæ thesaurarii Lingonenses Lingonen. consueverunt episcopis exhibere, salvo sibi per omnia jure suo, si adversus eumdem episcopum habet aliquam quæstionem. Quod si persistens in consueta duritia quæ præmisimus non effecerit infra terminum supra scriptum, vos ex tunc ipsum thesauraria Lingonen. ecclesiæ, ac omnibus aliis ecclesiasticis beneficiis quæ habet in civitate, vel diœcesi Lingonen., sublato appellationis impedimento, privetis, dantes iis, ad quos spectat eorum donatio, liberam facultatem ea personis idoneis conferendi. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, IV nonas april., pontificatus nostri anno quinto.

CCCXII

Ad abbatem et conventum monasterii S. Mariæ in Wadegozinga.

2 aprilis 1221.

[Mittelrheinisches Ub., III, 144, n. 166.]

Illud monasterium sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii Sanctæ Mariæ in Wadegozinga, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus inclinati, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum præstante Domino poteritis justis modis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam de Eberswiler, de Altwiler cum de Wiviler, de Macheren et de Walmanen capellis et earum pertinentiis, jus patronatus ecclesiæ de Eswiler et capellam de Bisten, nec non alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli om-

nino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, IV nonas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXIII

Ad O. rectorem et fratres S. Mariæ in Slag.

2 april. 1221.

[Hugo, Annales Præmonstratenses, t. II, prob. 368.]

Eis ecclesiam S. Mariæ in Slag confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis O. rectori et fratribus Sanctæ Mariæ in Slag, Præmonstratensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Sane, sicut ex parte vestra fuit expositum coram nobis, quum venerabilis frater noster Pataviensis episcopus ecclesiam Sanctæ Mariæ in Slag de voluntate patroni ejusdem ecclesiæ, capituli sui accedente consensu, vobis pie ac provide duxerit conferendam, in ea secundum Præmonstratensis ordinis instituta Domino servituris, nos vestris precibus inclinati, quod per eumdem episcopum super hoc provide actum est, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Laterani, IV nonas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXIV

Ad archiepiscopum Senonensem.

3 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 513. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut ecclesiæ suæ matriculario liceat per vicarium deservire, dum in ipsius servitio archiepiscopi detineretur.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Senonen.

A nobis indulgeri petisti, ut ecclesiæ tuæ matriculario uni dumtaxat non obstante quod ecclesiæ ipsi personaliter servire tenetur per idoneum in ea liceret vicarium dum in tuo commoratur obsequio deservire. Nos autem tuis inclinantes postulationibus aures nostras id auctoritate præsentium duximus concedendum. Datum Laterani, III nonas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXV

Ad Ebroicen., priorem Sancti Barbaræ Lexovien., magistrum W. de Canapett., cancellarium Rothomagensem.

3 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 514. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam de jure, quod abbates Sancti Taurini Ebroicen. et Sancti Leufridi de Cruce prætendebant, assistendi ad electionem abbatis Fiscanen. cognoscant; præterea quod de Erardi in Fiscan. abbatem electione inquirant, et si canonica visa fuerit, illam confirment.

Honorius, etc., dilectis filiis Ebroicen... priori Sanctæ Barbaræ Lexovien. diœc., et magistro W. de Canapett cancellario Rothomagen.

Constitutis in præsentia nostra procuratoribus dilectorum filiorum Sancti Taurini Ebroicen. et... Sancti Leufridi de Cruce abbatum, ac monasterii Fiscanen., dilectum filium nostrum B., tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbyterum cardinalem, dedimus auditorem, coram quo proposuerunt procuratores prædictorum et abbatum, quod vacante præfato monasterio, quod immediate ad Romanam Ecclesiam pertinet, monachi ejusdem loci, contemptis præfatis abbatibus, qui commode poterant, et debebant de jure vocari, omissa etiam forma Concilii generalis, ac facta conspiratione de certis personis ad ipsius monasterii regimen nominandis, ad electionem abbatis temere procedentes, Erardum, quondam abbatem Sancti Judoci, ad ejusdem regimen minus idoneum utpote parum imo nihil fere videntem, ac certis argumentis dilapidatione suspectum eligere præsumpserunt; quare petebant electionem hujusmodi penitus irritari. Pro parte vero ipsius monasterii fuit propositum ex adverso, quod electio ipsa de persona idonea fuerat regulariter celebrata, quare ipsius monasterii procuratores eam confirmari humiliter postulabant.

Quum autem procuratores ipsorum abbatum jussi essent exprimere quo jure ipsi abbates deberent electioni abbatis supradicti monasterii interesse, responderunt, quod olim quum assumerentur in suorum monasteriorum abbates fuit eis specialiter indultum ab..... abbate et conventu monasterii Fiscanen. ut haberent vocem in capitulo eorumdem. Nos autem rationem hujusmodi frivolam reputantes, super hoc de consilio fratrum nostrorum perpetuum silentium imposuimus abbatibus supradictis. Quia vero pro abbate Sancti Taurini fuit specialiter allegatum quod est in quasi possessione hujusmodi juris cum prædecessores sui vocari consueverint ad electiones abbatum monasterii sæpedicti, nec super hoc nobis fieri potuit plena fides, de consensu procuratorum ipsius abbatis, et præfati monasterii per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, si abbas ipse, infra mensem a primæ citationis edicto, probaverit se de consuetudine servata circa prædecessores ipsius esse in quasi possessione prædicta cognoscatis, postmodum de prædicto contemptu et aliis sollicite veritatem, et quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis. Si vero idem abbas jam dictam consuetudinem non probaverit infra terminum suprascriptum, vos eidem super hoc, appellatione remota, silentium imponentes, prædictam electionem et personam electi diligenter examinare curetis, et si personam idoneam, et electionem canonicam inveneritis, eam auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, confirmetis. Alioquin cassantes eamdem præfato monasterio faciatis de persona idonea coram vobis canonice provideri, idem facturi, si forte ipso abbate probante consuetudinem supradictam, eamdem electionem contigerit irritari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint præter assensum partium a Sede Apostolica impetratæ. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III nonas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXVI

Ad Benedictum episcopum Scarensem.

3 april. 1221.

[Liljegren, Svenskt dipl., I, 223, n. 209.]

Ei concedit facultatem iterum absolvendi eos qui in canonem latæ sententiæ inciderant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri...... episcopo Scarensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitatis tuæ precibus inclinati, eos qui de diœcesi tua in canonem latæ sententiæ incidentes, a prædecessoribus tuis de facto absoluti fuerunt non habentibus super hoc a Sede Apostolica licentiam specialem, iterum juxta formam Ecclesiæ absolvendi liberam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Laterani, III nonas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXVII

Ad Azolinum marchionem Estensem.

6 april. 1221.

[Raynald, Annal. eccles., ad ann. 1221, § 35.]

Ut contra civitatem Anconitanam et comitatum ipsius nihil attentet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Azolino, marchioni Estensi, salutem.

Cum civitatem Anconitanam, et comitatum ipsius in demanium Apostolicæ Sedis duxerimus retinendos, nobilitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus contra eam et comitatum ipsius nihil attentes, vel facias attentari, quod ad guerram pertineat, vel per quod possit discordia suboriri. Datum Laterani, VIII id. aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXVIII

Ad Engelbertum electum et capitulum Coloniensi.

8 april. 1221.

[Ennen, Quellen, t. II, p. 83, n. 69.]

Testatur sibi 160 marcas argenti persolutas esse.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis electo et capitulo Coloniensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum dilectus filius Henricus de Paragniano subdiaconus noster centum sexaginta marcas argenti, quæ Th., quondam

Coloniensis archiepiscopus, a nobili viro Johanne Bobono cive Romano per manus dilecti filii nostri Stephani, Basilicæ duodecim apostolorum presbyteri cardinalis, Ecclesiæ Romanæ camerarii, mutuo receperat, sicut in litteris bonæ memoriæ I. papæ prædecessoris nostri plenius continetur, nobis nomine vestro persolverit, vos ab eodem debito quitantes, præsentes litteras super hoc duximus in testimonium concedendas. Datum Laterani, VI idus aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXIX

Ad præpositum ecclesiæ in Hekelinge.

8 april. 1221.

[Heineman, Codex Anhaltinus, p. 42, n. 48.]

Jus patronatus in quibusdam ecclesiis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio præposito ecclesiæ in Hekelinge, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecte in Domino fili, nobilis viri ducis Saxoniæ precibus inclinati, jus patronatus, quod a te in Stasforde, Wininuge, Cokstede, Aldendorp, Lakesdorp, Nendorp, et Nienstede ecclesiis ratione præpositurae tuæ pertinere proponis, sicut illud juste ac pacifice obtines, tibi et per te ecclesiæ tuæ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, VI idus aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXX

Ad Guillelmum episcopum et capitulum Parisien.

13 april. 1221.

[Ughelli, Italia Sacra, t. I, p. 168.]

Eis mandat, ut præbendam, quam Alebrandinus Cajetanus, quondam S. Susannæ presb. cardinalis in Sabinensem episcopum consecratus obtinuit, Jacobo ejusdem nepoti, conferant.

Honorius, etc.

Venerabili fratre nostro quondam S. Susannæ presb. cardinali, in Sabinensem episcopum consecrato, eidem suadere studuimus, ut præbendam, quam in vestra obtinebat ecclesia retineret, quatenus ipse hoc plenius in ecclesiæ devotionem retineretur ejusdem. Sed in nulla suasionis instantia potuimus obtinere; unde volentes, ut ejus affectio ab ipsa ecclesia non recedat, præbendam ipsam dilecto filio Jacobo, nato nobilis viri Joannis Cajetani, germani ejusdem episcopi, duximus conferendam, ut episcopus ipse ac sui hoc vinculo mediante eidem ecclesiæ remaneant obligati, ideoque vobis per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus procuratori suo ejus nomine, stallum in choro et locum in capitulo assignantes, fructus ipsius præbendæ de cætero exhiberi facietis eidem. Nos enim decernimus irritum, si de præbenda ipsa secus fuerit aliquid attentatum. Datum Laterani, idus aprilis, anno quinto.

CCCXXI

Ad comitem et populum Spalatinos.

13 april. 1221.

[Katona, Historia critica, t. V, p. 257.]

Ut Sclavos et Dalmatinos qui alios christianos piratica rabie spoliant manu potenti studeant de suis finibus profligare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis comiti et populo Spalati, salutem et apostolicam benedictionem.

Tacti sumus dolore cordis intrinsecus, quod, sicut audivimus, novi contra Christum hostes proditorie insurgentes tempus faciendi legem ejus dissipare nituntur; quia quidam Sclavi et Dalmatiani, quamvis censeantur nomine Christiano, crucesignatos, transfretantes in Terræ Sanctæ subsidium ad obsequium Jesu Christi, et alios christianos piratica rabie spoliant, capiunt et occidunt; et velut vulpes, habentes proprias foveas, interdum latitant, capta præda, ut quasi ex intervallo securitate promissa, subsequenter alios incautos invadant, ut iterum Christianorum iter observant, ut deprædentur eosdem, et, quod est gravius, immanitate perimant humana. Quis ergo a tanto nefandæ proditionis auditu et a voce tam peculiaris malitiæ non stupescat? Quis tantam Christi contumeliam non zeletur, et horrore perculsus, non exsurgat ad tam atrocem Redemptoris injuriam vindicandam, dum ministri ejus, qui fundat et regit

cœlum et terram et maria et omnia, quæ in eis sunt, in arida vel in aquis, nequeunt ab hujusmodi latrunculis esse tuti? Ne igitur infandissimi hostes Christi in sua prævaleant pravitate, sed, qui oderunt Dominum, confundantur, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur per aspersionem sanguinis Jesu Christi, vobis nihilominus in remissionem peccatorum injungentes, quatenus ad disperdendum eos exsurgentes in manu valida et potenti, studeatis ipsos de vestris finibus profligare, ita quod, quum desinere, quum possitis perturbare perversos, nihil sit aliud, quam fovere, nos contra vos procedere non cogamur; sed potius vos, tanquam persecutores inimicorum Christi, possimus merito commendare. Ut autem, quantum nos hujusmodi factum urgeat ex nuntii qualitate vobis plenius innotescat; ecce dilectum filium, magistrum Aconcium, subdiaconum et capellanum nostrum, quem pro suæ probitatis meritis nos et fratres nostri carum habemus admodum et acceptum, propter hoc ad partes vestras providimus destinandum; cui volumus, ut in his et in aliis, modis omnibus intendatis efficaciter, alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, seu etiam contemptores, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Datum Laterani, idibus aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXXII

Ad Bartholomæum episcopum Quinqueecclesiensem.

17 april. 1221.

[Fejer, Codex diplom., III, I, 308.]

Ut ecclesiam suam regendam suscipiat.

Honorius episcopus, venerabili fratri..... episcopo Quinqueecclesiensi, salutem, etc.

Gratum nobis est, quod utiliter proficere diceris et laudabiliter conversari. Verum quia ecclesiæ tuæ dispendium ex absentia tua dicitur imminere, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ad ipsam revertaris ecclesiam ad temporalium et spiritualium administrationem plenarie restitutus, et libere illa, quæ ad episcopale spectant officium, exsequaris. Volumus autem, ut tecum ducas aliquem virum litteratum et probum, et tamdiu teneas, donec sufficientem habeas ex incœpti studii prosecutione proventum. Datum Laterani, XV kalendas maii, anno quinto.

CCCXXIII

Ad episcopum Wratizlaviensem, præpositum Glasgoviensem et decanum Lucitiensem.

17 april. 1221.

[Theiner, Monum. Poloniæ, t. I, p. 12, n. 26.]

Ut ducem Poloniæ a voto in subsidium Terræ Sanctæ transfretandi absolvant, eique injungant, ut episcopo Prussiæ in convertendis suis gentilibus opem ferat.

Honorius, etc.

Audito quondam, quod dilectus filius nobilis vir L. dux Poloniæ solemniter voverat se transfretaturum in subsidium Terræ Sanctæ, vel profecturum in auxilium Prutenorum noviter conversorum, quia ipse votum suum exsequi differebat, nos de ipsius salute solliciti, eum nostris litteris paterno affectu monuimus, et per alios fecimus commoneri, ut quod promiserat veritati, veraciter adimpleret. Nuper autem nobis est pro certo relatum, quod idem dux corporis gravedine gravis vix aut nunquam posset in Terræ Sanctæ subsidium transfretare, præsertim cum ex accidenti verso in naturam nec vinum, nec simplicem aquam bibere valeat, consuetus potare tantum cerevisiam vel medonem, et si forsitan transfretaret, non posset de tam remotis partibus secum congruum bellatorum ducere comitatum, et propter multas ineptias nequiret ibi moram facere fructuosam. Sed quum sit vicinus Pruteniæ, facile potest eam intrare cum multitudine bellatorum, non solum defensurus neophitos, verum etiam alios paganos suo studio et diligentia, faciente Domino, conversurus, utpote qui, sicut dicitur novam in medio terræ illius intendit construere civitatem, itaque statuere forum salis et ferri, quorum pagani penuriam patiuntur, ut sic illuc illi necessario venientes, per ora prædicatorum facilius audiant, et sic efficacius exaudiant verba vitæ, aliosque fidelium moribus perfectius assuescant. Nos igitur e duobus artati, cum et ista et illa terra urgentissime indigeat maturo succursu, personæ ipsius ducis habitudinem, et negotii terræ illius circumstantias ignorantes, vobis, qui ratione vicinitatis hæc potestis melius indagare, com-

mittimus fiducialiter vices nostras : ideoque discretionem vestram monemus attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus hujusmodi negotii circumstantiis provide circumspectis injungatis eidem duci alterum prædictorum, quod ipsius saluti et christianæ fidei profectui magis videbitis expedire. Et quia in utroque casu mora enormiter posset esse damnosa, sub ea, qua decet, districtione indicatis eidem, ut quod injunxeritis, celeriter et efficaciter exsequatur. Cæterum si contigerit vos injungere illi, ut remaneat in subsidium Prutenorum, indicatis ei, ut secundum consilium et dispositionem venerabilis fratris nostri... episcopi Prussiæ studeat in hoc Domino efficaciter famulari. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XV kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXXIV

Ad Johannem Strigoniensem archiepisc.

19 april. 1221.

[Theiner, Mon. Hungariæ, t. I, p. 28, n. 51.]

Archiepiscopo Strigoniensi, remissa aliqua pœna ob præproperam episcopi Jauriensis consecrationem, injungitur, ut contra Sclavos piratas regem Hungariæ inducat, et ipse si possit, eat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... Strigoniensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Si tibi secundum tua opera redderemus, diuturna et gravis esset procul dubio pœna tua : quum culpam tuam non modicum aggravet, quod prudentia et ætate maturus non videris ex ignorantia deliquisse. Volentes autem juxta Ecclesiæ Romanæ consuetudinem rigorem mansuetudine temperare, pœnam quam incurristi ex facto venerabilis fratris nostri... Quinqueecclesiensis episcopi, quem pensata ecclesiæ suæ utilitate plenarie restituimus, tibi omnino duximus remittendam. Eam vero, quam ex facto... episcopi Geuriensis incurrisse nosceris, commutantes, te confirmandi et consecrandi primum successorem ipsius potestate privamus, ut in eo, in quo deliquisti, justo judicio puniaris, in aliis ea quæ ad tuum spectant officium, executurus de cætero libere ac licenter, ad spiritualia et temporalia plenarie restitutus. Ad hæc cum pro compescenda quorumdam Sclavorum malitia, qui piraticam exercentes, tam crucesignatos, quam christianos alios sine delectu spoliant et occidunt, dilectum filium Acc. subdiaconum et capellanum nostrum ad carissimum in Christo filium nostrum... regem Hungariæ transmittamus, volumus et tibi in dictæ pœnæ recompensationem injungimus, ut ad coercendam prædictorum malitiam piratarum, ipsum regem sollerter et efficaciter moneas et inducas, et ad id ei consilium et auxilium opportunum impendas, contra illos, si videris opus esse, in persona propria profecturus, dummodo id facere valeas absque gravi Strigoniensis ecclesiæ detrimento. Datum Laterari, XIII maii, anno quinto.

CCCXXV

Ad archiepiscopum Remensem.

20 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist 544. Mss. La Porte du Theil.]

Visitationis quam ad Sedem Apostolicam singulis bienniis tenebatur facere terminum, in kalendis novembris prorogat.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Remen.

Supplicasti nobis, ut quum Apostolicam Sedem singulis tenearis bienniis visitare et visitatio ipsa occurrit periculoso tempore facienda ejus terminum in kalendis novembris statuere dignaremur. Nos igitur petitioni tuæ benigne annuimus in hac parte. Datum Laterani, XII kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXXVI

Ad abbatem de Duzaire, priorem Lingoniæ Claromonten., et Mimaten. diœces., et pœnitentiarium Claromonten.

20 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 558. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis, ut Armendum Agathens. sacristam, in possessionem præposituræ Anicien. inducant, et ea faciant pacifice frui et gaudere.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati de Duzaire et priori Lingoniæ Claromonten. et Mimaten. diœcesum, et pœnitentiario Claromonten.

Quum venerabilis frater noster... Portuen. episcopus Apostolicæ Sedis legatus præposituram Anicien. ecclesiæ tunc vacantem cum pertinentiis suis dilecto filio Ar-

mando sacristæ Agathen. duxerit conferendam, et nos eam sibi confirmaverimus merito suæ probitatis inducti discretioni, vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictum sacristam in possessione præposituræ inducatis ipsius et faciatis eum ipsam pacifice possidere. Contradictores si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XII kalendas maii, anno quinto.

CCCXXVII

Ad archidiaconum Gneznensem, custodem Poznaniensem et... Licitiensem, Gneznensis diœcesis.

20 april. 1221.

[Theiner, Mon. Poloniæ, t. I, p. 13, n. 27.]

Monentur judices, ut crucesignatos in Polonia ad adjuvandum episcopum Prussiæ in convertendis suis paganis cohortentur, iisque indulgentias transfretantibus in Terram Sanctam concessas largiantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... archidiacono Gneznensi..., custodi Poznaniensi et... Licitiensi Gneznensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Si pro varietate negotiorum vel temporum consilia provide variamus, non est imputandum inconstantiæ levitati, sed maturitati potius adscribendum. Sane autem quondam, quod in partibus Prussiæ noviter baptizati vexabantur acriter a paganis, nos timentes ne non solum convertendi a conversionis retardarentur proposito, verum etiam conversi cogerentur averti, ecclesiarum prælatis circumpositæ regionis direximus scripta nostra, ut Christi fideles ad suscipiendam crucem, et ad succurrendum noviter baptizatis prædicatione sedula commonerent, eamdem eis peccatorum veniam indulgentes, quæ concessa est transfretantibus in subsidium Terræ Sanctæ. Postmodum autem venerabili fratre nostro... Albanensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, et aliis crucesignatis existentibus apud Damiatam in servitio Jesu Christi, suis nobis litteris et nuntiis intimantibus, quod urgentius, quam unquam indiguissent, maturo et manuali personarum et rerum auxilio indigebant, nos cupientes, ut ad id maxime collectis in unum viribus intenderet totus populus christianus, ne quasi divisus in partes minus sufficeret ad utrumque, revocavimus quoad crucesignandos tunc indulgentias supradictas; nunc autem quia, sicut nobis est pro certo relatum, si dimiserimus sic noviter baptizatos, laberetur exiguo quod partum est tempore longo, cum si levantes oculos suos ad montes, unde sperant auxilium sibi venire, speratis fraudarentur auxiliis, cum uxore Loth retro respicere cogerentur, et sic nulla relinqueretur spes de aliis convertendis, crucesignandis in eorum auxilium eamdem peccatorum veniam, quam concessimus proficiscentibus in subsidium Terræ Sanctæ, iterum duximus concedendam. Quocirca discretionem vestram monemus et hortamur attente, per Apostolica scripta mandantes, quatenus Christi fideles per Poloniam tantum et Pomeraniam constitutos ad succurrendum eis secundum consilium venerabilis fratris nostri... episcopi Prussiæ salubriter exhortantes, omnibus, qui accepta cruce ad succurrendum eis se accinxerint, juxta proprias facultates peccatorum suorum veniam, prout superius est expressum, auctoritate nostra esse denuntietis indultam. Datum Laterani, XII kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXXVIII

Ad Johannem Strigoniensem archiepisc.

20 april. 1221.

[Fejer, Cod. dipl., Hungariæ, III, I, 310.]

Circa monachos Græcos Wisegradenses, quibus Andreas Latinos substitui petiit, rescribit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Strigoniensi, et dilecto filio abbati de Pilis, Vesprimiensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Carissimus in Christo filius noster, rex Hungariæ illustris, nobis insinuare curavit, quod abbatia de Wisegrad, Wesprimiensis diœcesis, in qua jus obtinet patronatus, Græcos habet monachos, et habuit ab antiquo; in quorum manibus abbatia ipsa adeo in spiritualibus et temporalibus est collapsa, quod nisi instituantur personæ ibidem viciniis ecclesiis lingua et vita conformes, vix, aut nunquam adjiciet ut resurgat. Quare postulavit instanter, ut ibi monachos Lati-

nos institui de nostra permissione liceret. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus solum Deum habentes præ oculis, ea, quæ fuerint in hujusmodi consideranda negotio, diligenter considerare curetis. Et, si pensatis omnibus, expedire videritis, et fieri poterit absque gravi scandalo, et juris præjudicio alieni, Latinos monachos institui permittatis ibidem, proviso, quod Græcis monachis, nunc existentibus ibi, provisio congrua toto vitæ suæ tempore assignetur. Datum Laterani, XII kalend. maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXXIX

Ad Andream regem Hungariæ.

20 april. 1221.

[Theiner, Monum. Hungariæ, t. I, p. 29, n. 55.]

Confirmat ecclesiæ Strigoniensi monetæ cudendæ decimam, quam Cenadiensis episcopus sibi usurpaverat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio... illustri regi Hungariæ, salutem, etc.

Venerabilis frater noster... Strigoniensis archiepiscopus nobis insinuare curavit, quod cum decima monetæ, quæ cuditur in Cenadiensi diœcesi, pertineat ad eumdem : venerabilis frater noster... Cenadiensis episcopus pro ea sibi solvenda nostras ad te litteras impetravit, tacito quod decima eadem ad Strigoniensem ecclesiam pertineret. Ideoque auctoritate tibi præsentium declaramus, quod nostræ intentionis non fuit, per hujusmodi litteras juri, si quid habet, Strigoniensis ecclesiæ derogare. Datum Laterani, XII kalendas maii, anno quinto.

CCCXXX

Ad Johannem archiepisc. Strigoniensem.

20 april. 1221.

[Theiner, Mon. Hungariæ, t. I, p. 28, n. 52.]

Ut in sua diœcesi, eos qui in solutione vicesimæ deliquerunt, absolvat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo Strigoniensi, salutem, etc.

Tua nobis fraternitas supplicavit, ut cum quidam prælati et clerici tuæ diœcesis ob fraudem commissam circa vicesimam laqueum excommunicationis incurrerant, et quidam eorum celebraverint sic ligati, super hoc eorum providere saluti paterna sollicitudine dignaremur. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus receptis ab eis his, quæ de ipsa vicesima defraudarunt, eis vice nostra beneficium absolutionis impendas, et dispenses cum illis, qui sic ligati celebravere divina: ea quæ ab ipsis recipies servaturus succursui Terræ Sanctæ, eorumque summam nobis fideliter rescripturus. Datum Laterani, XII kalendas maii, anno quinto.

CCCXXXI

Ad Johannem archiepiscopum et præpositum Strigonienses.

20 april. 1221.

[Theiner, Mon. Hungariæ, t. I, p. 29, n. 54.]

Ut ecclesiam Posoniensem ex castro in oppidum transferendam curent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo et dilecto filio præposito Strigoniensibus, salutem, et apostolicam benedictionem.

Dilectus filius... Posoniensis præpositus proposuit coram nobis, quod quum Posoniensis ecclesia in munitione castri Posoniensis sit sita, frequenter contingit, ut ejusdem canonicis castrum ipsum statutis horis intrare nequaquam valentibus, ecclesia ipsa debitis obsequiis defraudetur: quare nobis humiliter supplicavit, ut in burgum ejusdem castri eam liceret de nostra permissione transferri. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus his, quæ inspicienda sunt in negotio ipso, diligenter inspectis, et requisitis his, qui fuerint requirendi, si expedire videritis, quod translatio ipsa fiat, et fieri poterit absque scandalo et juris præjudicio alicui, transferendi ecclesiam in burgum prædictum auctoritate nostra licentiam tribuatis. Datum Laterani, XII kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXXXII

Ad decanum et capitulum Lichefeldenses.

22 april. 1221.

[Wilkins, Conc., I, 597.]

Confirmatur dispositio qua statutum fuit ut proventus unius anni præbendæ canonici defuncti pro ipsius exsequiis convertantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

dilectis filiis decano et capitulo Lichefeldensi, salutem, etc.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Significastis siquidem nobis, quod vobis est a venerabili fratre nostro Coventrensi episcopo loci diœcesano concessum, ut cum aliqui concanonicorum vestrorum mori contingerit, præbendæ suæ proventus anni sequentis, a die obitus computando, pro ipsius defuncti exsequiis in executione testamenti sui libere convertantur; reservato tamen ex eis unde vicarius, qui defuncti loco interim in ecclesia vestra deserviet, honeste valeat sustentari. Nos igitur vestris precibus inclinati, quod per eumdem episcopum super hoc provide actum est, sicut illud juste ac pacifice obtinetur, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, X kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXXXIII

Ad præpositum et capitulum S. Pamphili.

22 april. 1221.

[Ughelli, Italia sacra, I, 1371.]

Confirmatur statutum de duodecim canonicis in ecclesia Sancti Pamphili.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito, et capitulo S. Pamphili Sulmonensis, salutem, etc.

Quum a nobis petitur, quod justum est, et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, duodecim canonicorum numerum, quem in ecclesia vestra, venerabilis fratris nostri Valvensis episcopi loci diœcesani accedente consensu, deliberare provide statuistis, sicut est productum instrumentum, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut præfata ecclesia sit contenta, nisi adeo ipsius excreverint facultates, quod plures institui valeant in eadem, salvo in omnibus Apostolicæ Sedis mandato. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, X kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXXXIV

Ad abbatem Sancti Victoris Massiliensis et præpositum Aquensem.

22 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 538. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam de querelis abbatissæ et conventus Sancti Salvatoris Massiliensis adversus cives Massilienses cognoscendi, et quod canonicum fuerit pronuntiandi.

Honorius, etc., dilectis... abbati Sancti Victoris Massiliensis et præposito Aquensi.

Querelam abbatissæ ac conventus Sancti Salvatoris Massiliensis recepimus continentem, quod cives Massilienses domos suas juxta earum monasterium constitutas meretricibus publicis, et aliis turpibus, et inhonestis usibus locare præsumunt in injuriam ipsius monasterii, et scandalum plurimorum. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, et inquisita super his plenius veritate, quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes, etc. Testes autem, etc. Datum Laterani, X kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXXXV

Ad abbates et priorem de Melros et de Neubotle.

23 april. 1221.

[Theiner, Vetera Monum. Hibernorum et Scotorum, 20.]

Judicibus mandat ut presbytero, qui per mensem in monasterio fuit, dent optionem, utrum in sæculo an religione manere malit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... de Melros et de Neubotle abbatibus et... priori de Melros Cisterciensis ordinis Glasguensis et Sanctæ Andreæ diœcesum, salutem, etc.

Significavit nobis R. pauper presbyter, quod cum monasterium quoddam ordinis Cisterciensis intrasset in probatorio cum novitiis commorando, idem vix facta ibi mora per mensem a se ipso factus fuit pœnæ penitus alienus, ita ut oporteret eumdem vinculis alligari, unde ab abbate ac fratribus ejusdem loci licentiatus, exinde cum eorum litteris dimissoriis non facta professione recessit : quare nobilis humiliter supplicavit, ut ipsum non permitteremus occasione hujusmodi molestari. Nos igitur ipsum propriæ conscientiæ relinquentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, in ejus optione ponatis, an sub regulari observantia velit Domino in aliquo monasterio famulari, vel malit in sæculo remanere. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, IX kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXXXVI

Ad priorem et conventum Lateranensem.

23 april. 1221.

Statuit pontifex contra Lateranensem ecclesiam non, nisi centenam, currere præscriptionem.

(Vide, *Quint. Compilat.*, lib. II, tit. 17, *de præscriptionibus*, cap. 1, tom. I, col. 249.)

CCCXXXVII

Ad universos ecclesiæ prælatos, diœcesum Strigoniensis et Vesprimiensis.

23 april. 1221.

[Theiner, Monum. Hungariæ, I, 29, n. 56.]

Mandat prælatis ecclesiarum diœcesum Strigoniensis et Vesprimiensis, ne excommunicatos ecclesiæ Posoniensis ad divina admittant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis ecclesiarum prælatis Strigoniensis et Vesprimiensis diœcesum, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectus filius... præpositus Posoniensis nobis insinuare curavit, quod vos parochianos ipsius interdictos vel excommunicatos, justitia exigente, præsumatis recipere ad divina in ejus præjudicium et canonicæ disciplinæ contemptum : ideoque præsentium vobis auctoritate districtius inhibemus, ne id de cætero facere præsumatis, si debitam vultis effugere ultionem. Datum Laterani, IX kalendas maii, anno quinto.

CCCXXXVIII

Ad capitulum et clerum diœcesis Strigoniensis.

23 april. 1221.

[Theiner, Monumenta Hungariæ, I, 30, n. 57.]

Capitulo et clero Strigoniensi nuntiat archiepiscopum plene restitutum esse, mandatque ut eidem obediant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo et clero civitatis et diœcesis Strigoniensis, salutem, etc.

Ecclesiæ Strigoniensis utilitate pensata, venerabilem fratrem nostrum... Strigoniensem archiepiscopum ad omnia spiritualia et temporalia plenarie restituimus, eo duntaxat excepto, quod ipsum confirmandi et consecrandi primum successorem ejus, quem ordinavit in Geuriensem episcopum privavimus potestate. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem tanquam archiepiscopo vestro intendatis humiliter et devote. Datum Laterani, IX kalendas maii, anno quinto.

CCCXXXIX

Ad episcopum et capitulum Cabilonenses.

23 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 322. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut juxta tenorem mandati Apostolici de hoc jam dati M. de Belna in canonicum et fratrem recipiant.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo et dilectis filiis capitulo Cabilonen.

Cum olim vobis preces porrexerimus et mandatum ut dilectum filium M. de Belna subdiaconum reciperetis in canonicum et in fratrem, vos licet non recepissetis pro alio scripta nostra, ipsum tamen recipere non curastis, ad excusationem vestræ inobedientiæ prætendentes, quod idem aliud obtinet beneficium, quamvis de illo non possit congrue sustentari. Quia igitur periculosum esset clericis suscipere modica beneficia, si per hoc præcluderetur eis aditus ad majora, universitatem vestram iterato rogandam duximus et monendam per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus juxta primi mandati nostri tenorem in canonicum vestrum et fratrem recipiatis subdiaconum memoratum, cui de moribus, et scientia laudabile testimonium perhibetur, preces, et mandatum nostrum taliter imple-

turi, quod coactio meritum non excludat. Nos enim damus venerabili fratri nostro episcopo Eduensi et... archidiacono Belnen. Eduensis diœcesis per nostras litteras in mandatis, ut nisi adimplere curaveritis quod mandamus, ipsi vos ad id, dummodo præfato subdiacono aliquid rationabile non obsistat, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum Laterani, IX kalendas maii, anno quinto.

CCCXL

Ad abbatem, priorem et thesaurarium Sancti Martini Buricurtensis Belvacen. diœcesis.

23 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 549. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam examinandi an excommunicationis sententia quæ a præposito Suessionensi adversus Joannem de Dompnobono in causa quæ inter ipsum nomine Helidis filiæ suæ et Gualterum de Villa Novata, Trecensis diœcesis, super matrimonio vertebatur, lata fuerat, justa sit, et si canonica non fuerit, eam revocandi.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati, priori, thesaurario Sancti Martini Buricurten. Belvacen. diœcesis.

Johannes de Dompnobono, porrecta nobis petitione, monstravit quod, cum inter ipsum nomine Helidis filiæ suæ, et Gualterum de Villa Novata Trecen. diœcesis coram.... præposito Suessionen., et conjudicibus suis auctoritate nostra causa matrimonii verteretur, idem ex eo sentiens indebite se gravari, quod dicti judices in ejus præjudicium advocatos partis adversæ in assessores sumentes ad consilium admittebant, alias formam mandati Apostolici excedentes, nostram audientiam appellavit. At ipsi judices, ejus appellatione contempta, promulgarunt excommunicationis sententiam in eumdem. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, dictam excommunicationis sententiam post appellationem hujusmodi promulgatam nullam esse penitus nuntiantes, audiatis causam et eam juxta priorum continentiam litterarum, appellatione remota fine canonico terminetis, facientes, etc. Alioquin partes, etc., appellantem, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, IX kalendas maii, anno quinto.

CCCXLI

Ad archiepiscopum Viennensem.

24 april. 1221.

[Gallia Christiana, XVI, instr. 304.]

Johannes e decano Maurianensis episcopus eligitur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Viennensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii capitulum Maurianensis ecclesiæ nobis litteris intimaverunt, quod, ecclesia ipsa pastoris solatio destituta, ipsi potestatem eligendi sibi episcopum in tres ipsius loci canonicos contulerunt, ita videlicet ut is pro electo ab omnibus haberetur qui esset electus ab illis, vel etiam a duobus eorum si tertius discordaret. Cumque duo ipsorum, tertio discordante, dilectum filium J., decanum ipsius ecclesiæ, virum, ut asserunt, moribus et ætate maturum, et in spiritualibus et temporalibus providum elegissent, tu et capitulum Viennensis ecclesiæ ipsam electionem, vobis de consuetudine præsentatam ut confirmaretis eamdem, irritam decrevistis, pro eo quod duo canonici ecclesiæ sæpedictæ in electores præfatos non contulerunt vota sua, et quia quidam alius in eosdem votum suum contulerit si omnes ipsi electores pariter concordarent, alius vero appellationis interjecisse obstaculum dicebatur; quare præfatum capitulum multa nobis instantia supplicavit ut prædictum decanum, quem ecclesiæ suæ affirmant esse perutilem, eis de plenitudine potestatis in episcopum concedere dignaremur. Licet igitur de provisione ipsius ecclesiæ, cui ex defectu pastoris grave dispendium imminere asseritur, debitam sollicitudinem habeamus, quia tamen persona prædicti decani est nobis incognita, petitionem ipsius capituli absolute nequivimus exaudire. Gerentes autem de tua caritate fiduciam specialem, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si decanum ipsum inveneris ad onus idoneum pontificalis officii, et major et sanior pars ipsius capituli consenserit in eumdem, tu, processu electionis seu cassationis prædictæ, ac contradictione paucorum, nisi aliquid rationabile objecerint et probaverint, nequaquam obstantibus, illum præficias in episcopum ecclesiæ supradictæ, contradictores per censuram ecclesiasticam, appella-

tione postposita, compescendo. Datum Laterani, VIII kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXLII

Ad abbatem et conventum S. Mariæ ad Martyres.

24 april. 1221.

[Mittelrheinisches Ub., t. III, p. 145, n. 167.]

Eis confirmat quædam a Theoderico Treverensi archiepiscopo pro eorum monasterio statuta.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sanctæ Mariæ ad SS. Martyres diœcesis Treverensis, salutem, etc.

Eapropter dilecti filii in Domino, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ea, quæ a venerabili Theoderico Treverensi archiepiscopo fratre nostro et ejus successoribus super vestro monasterio in fundatione et alias statuta sunt, Apostolica auctoritate confirmamus et præsentis scripti munimine ratificamus, etc. Datum Viterbii, VIII kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXLIII

Ad priorissam et conventum S. Sixti.

25 april. 1221.

[Ripolli, Bullar. prædicat., t. I, p. 13, n. 23.]

Translatis abbatissa et monialibus Sanctæ Mariæ in Tempore et majori parte monialium conventus S. Bibianæ ad conventum S. Sixti in Urbe, eidem ecclesiæ concedit possessiones prædictæ S. Mariæ et S. Bibianæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus priorissæ, et sororibus conventus Sancti Sixti de Urbe, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi ecclesiarum omnium nobis cura immineat generalis, erga ecclesias tamen de Urbe tanto nos decet propensioris diligentiæ studium adhibere, quanto eas vicinius et familiarius intuentes, sicut de ipsarum profectu, secundum utrumque hominem, gaudium, ita et de defectu, quod absit, dolorem inviolabiliter experimur. Sane cum ecclesia Sanctæ Mariæ in Tempore usque adeo in spiritualibus esset collapsa, et in temporalibus diminuta, quod nequaquam ibi abbatissa, et moniales ipsius possent commode remanere, nos more industrii vinitoris qui plantas fructiferas de loco sterili, ad fertilem satagit transplantare, tam abbatissam, quam moniales omnes ad ecclesiam Sancti Sixti, ubi, per Dei gratiam, domus religioni aptissimæ cum multa sunt diligentia salvicatæ, duximus transferendas, translata etiam majori parte monialium ecclesiæ Sanctæ Bibianæ de voluntate ipsarum quæ una vobiscum elegerunt Domino famulari. Nos itaque provide attendentes, quod translatis personis, et rerum translatio fieri debeat, omnes omnino possessiones cultas et incultas, vineas, aquas, sylvas, tam prædictæ ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Tempore, quam præfatæ ecclesiæ Sanctæ Bibianæ, possessionibus quas habet in tenimento Anguillariæ duntaxat exceptis, vobis de nostræ potestatis plenitudine concedentes, vobis, et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsenti privilegio communimus. Nulli ergo omnino hominum nostræ concessionis et confirmationis liceat hanc paginam infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, VII kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXLIV

Ad præpositum et conventum monasterii in Hundestorf.

27 april. 1221.

[Monumenta Boica, t. X, p. 246.]

Personas et bona monasterii in Hundestorf tuendos suscipit specialiter autem ecclesiam de Glanardorf ab episcopo Frisingensi collatam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et conventui monasterii in Hundestorf, salutem, etc.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios, ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus gratum impertientes assensum, personas vestras et locum in quo divino vacatis obsequio cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione

susscipimus : specialiter autem ecclesiam de Slanardof cum pertinentiis suis, vobis a venerabili fratre nostro episcopo Frisingensi, de capituli sui consensu collatam, sicut eam juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem, monasterio auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, V kalend. maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXLV

Ad Mathildam abbatissam monasterii Sancti Anastasii.

27 aprilis 1221.

[Haremberg, Hist. eccl. dipl. Gadenrsh., 751.]

Confirmantur monasterio Sancti Anastasii, jura et privilegia ab Innocentio concessa.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Mathildæ abbatissæ monasterii sanctorum Anastasii et Innocentii in Gandersem sororibusque regulariter sustinendis in perpetuam memoriam (1).

Ego Honorius catholicæ ecclesiæ episcopus.

Ego Hugo Ostiensis et Vercellensis episcopus.

Ego Franciscus Nicolaus Tusculanensis episcopus.

Ego Alebrandinus Sabinensis episcopus.

Ego Leo Sanctæ Crucis in Jerusalem presbyter cardinalis.

Ego Buele Sancti Martini presb. cardinal. ecclesiæ Equitii.

Ego Thomas ecclesiæ Sabinensis presb. card.

Ego Guido Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cárd.

Ego Otto sanctorum Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Rainerus S. Mariæ in Cosmedin. diac. card.

Ego Romanus S. Angeli diac. card.

Ego Stephanus S. Adriani diac. card.

Datum Laterani per manum Uvilli sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, V kalendas maii, indictione IV, Incarnat. Dom. MCCXXI, pontificatus domini Honorii papæ III anno quinto.

CCCXLVI

Ad magistrum et fratres ordinis Prædicatorum.

28 april. 1221.

[Gallia Christiana, XIII, instr. 248.]

Donatio Fulconis episcopi Tolosani in gratiam Pruliani confirmatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus ordinis prædicatorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, ecclesiam Sanctæ Mariæ Fani-Jovis, cum omnibus pertinentiis suis, quam venerabilis frater noster episcopus Tolosanus pia vobis liberalitate donavit, sicut eam juste et pacifice possidetis, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc àttentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, IV kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXLVII

Ad capitulum Trigestinum.

28 april. 1221.

[Theiner, Vet. Mon. Slavorum merid., p. 72, n. 83.]

Capituli Trigestini statutum de tertio decimo canonicorum numero confirmatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo Trigestino salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur, etc... Eapropter, etc.,

(1) De verbo ad verbum privilegium ab Innocentio III, prædecessore suo, concessum repetit Honorus, sine additamento, præter subscriptiones cardinalium; ac proinde inter opera Innocentii requirenda est hæc bulla. (Vid. edit. Migne, Innocentii III, t. II, col. 919.)

usque assensu, tertium decimum canonicorum numerum, quem venerabilis frater noster C. Trigestinus episcopus, facultatibus ecclesiæ vestræ pensatis, in ea taxavit et statuit observandum, prout in ipsius litteris dicitur plenius contineri, sicut taxatum est provide ac statutum, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, nisi forsan in tantum excreverint ipsius ecclesiæ facultates, quod merito in ea canonicorum numerus debeat adaugeri, auctoritate Sedis Apostolicæ semper salva. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere, etc.; si quis autem, etc. Datum Laterani, IV kal. maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXLVIII

Ad Yolem reginam Hungariæ.

29 april. 1221.

[Theiner, Monum. Hungariæ, I, 30, n. 58.]

Rogat reginam Hungariæ, ne impediat, quominus suorum Sarracenorum manibus christiani abstrahantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, charissimæ in Christo filiæ..., illustri reginæ Hungariæ, salutem, etc.

Quum multitudo Sarracenorum Hungariæ ad te pertinere dicatur, serenitatem tuam rogandam duximus et monendam, quatenus non impedias, nec a tuis impediri permittas, quominus christiani tam servi quam liberi de Sarracenorum manibus abstrahantur: cum indignum sit Christi charactere ac vocabulo insignitos in inimicorum fidei christianæ manibus et potestate relinqui, et ex cohabitatione ipsorum multi in gentilitatis errorem, ut dicitur, elabantur. Datum Laterani, III kalendas maii, anno quinto.

CCCXLIX

Ad regem Hungariæ.

29 april. 1221.

[Theiner, Monum. Hungariæ, I, 30, n. 59.]

Rogat et monet regem, ut decimas bonorum ad ipsum devolutorum ecclesiis solvi permittat et de eisdem Sarracenis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio.... illustri regi Hungariæ, salutem, etc.

Quum Rex regum et Dominus dominantium Deus sibi decimas in signum generalis dominii reservarit, serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus de possessionibus decedentium sine liberis, quæ ad tuum demanium devolvuntur, seu de quibuslibet aliis ad te quocumque titulo pertinentibus, decimas facias a tuis bajulis exsolvi ecclesiis, ad quas pertinere noscuntur. Ad hæc patronis ecclesiarum decedentibus absque liberis jus patronatus hujusmodi aliis non concedas, cum per abusus eorum multiplices ecclesiæ ipsæ graviter opprimantur; quin imo jus ipsum ad manus tuas retineas, aut ipsis ecclesiis, vel episcopo diœcesano relinquas. Rogamus insuper etiam et monemus, ut iis qui a suis diœcesanis excommunicantur, nequaquam communices; sed usque ad dignam satisfactionem evites, ut sic citius ad sinum Ecclesiæ revertantur, et tu salutis tuæ periculum non incurras, cum talibus communicare non possis absque salutis et famæ propriæ detrimento. Non impedias etiam, nec impediri permittas, quominus christiani tam servi quam liberi de Sarracenorum manibus abstrahantur, cum indignum sit Christi charactere ac vocabulo insignitos in inimicorum fidei christianæ manibus et potestate relinqui, et ex cohabitatione ipsorum multi in gentilitatis errorem, ut dicitur, elabantur. Datum Laterani, III kalendas maii, anno quinto.

CCCL

Ad archiepiscopum Burdegalensem.

29 april. 1221.

[Bullarium Romanum, III, I, 221.]

Quod Judæi diversitate habitus distinguantur a Christianis, illisque ministerium publicum non committatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Burdegalensi, et suffraganeis ejus, salutem, etc.

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod Judæi quidam in provincia Burdegalen. degentes signa, per quæ a christianis diversitate habitus distinguantur, prout statutum est in Concilio generali, deferre contemnunt. Quare præter alia enormia, quæ inde contingunt, Christiani Judæis mulieribus, et Judæi Christianis nefarie commiscentur. Nobiles quoque ipsius provinciæ minime attendentes, quod Christi blas-

phemi libenter, cum possunt, opprimunt christianos, eis, ut a christianis officiant efficaciter, publica committunt officia exercenda, et ut servi dominis dominentur, ipsos contra Concilii prædicti statuta, in castris præficiunt, et in villis. Quum igitur non solum sit impium, verum etiam abusivum, ut Judæi taliter insolescere permittantur, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus circa hæc prædicti statuta Concilii facientes inconcussa servari, Judæos, ut a christianis diversitate habitus se distinguant per subtractionem communionis, et nobiles ne illis publica officia exsequenda committant, vel alias eos christianis præficiant, modo præmisso per censuram ecclesiasticam appellatione remota. Datum Laterani, III kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLI

Ad Wintoniensem episcopum, et ad nobiles Henrici regis Anglorum consiliarios.

29 april. 1221.

[Rymer, Fœdera, conventiones, litteræ, I, I, 86.]

Mandat ut ad manus regis Guardas et Escheatas revocent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Wintoniensi episcopo, et dilectis filiis nobilibusque viris Huberto de Burgo justitiario, R. comitem Cestriæ, Willielmo Briguerre, ac aliis consiliariis charissimi in Christo filii nostri Henrici regis Anglorum illustris, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum charissimus in Christo filius noster Henricus, rex Anglorum illustris, crucesignatus et orphanus, sub speciali Sedis Apostolicæ protectione consistat, indignum est penitus et absurdum, nobisque posset non immerito imputari, si eum, qui propter ætatis defectum se defendere nequit, fraudari suis juribus pateremur.

Quum igitur, sicut ex parte ipsius nostris est auribus intimatum, Guardæ et Escheatæ, pertinentes ad regem, detineantur a pluribus occupatæ, qui eas, domino invito, contrectant; universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsas ad manus regis ejusdem revocare curetis, contradictores potestate vobis tradita, sublato appellationis obstaculo, compescendo; nullius litteris obstantibus a Sede Apostolica impetratis; cum non sit verisimile nos, in regis præjudicium, aliquas litteras de certa scientia concessisse. Datum Laterani, III kalend. maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLII

Ad archiepiscopum Remensem.

29 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 535. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem eos qui propter vicesimam non solutam in interdicti sententiam incurrerant absolvendi, sed cum certis conditionibus.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Remensi.

Significasti nobis quod in tua diœcesi sunt multi religiosi et alii qui ob fraudem commissam circa vicesimam, et injectionem manuum violentam excommunicationis laqueum incurrerunt, et inciderunt in excommunicationis sententiam a dilecto filio nostro G. tituli Sancti Martini presbytero cardinali dum in partibus illis legationis officio fungeretur, in sacerdotes concubinarios promulgatam; quidam vero per abbates, seu priores suos excommunicati fuerunt pro inobedientiæ vitio et aliis transgressionibus monasticæ disciplinæ. Quare de ipsorum saluti sollicitus supplicasti, ut cum quidam ipsorum in animarum suarum periculum celebraverint sic ligati, quidam vero abstineant in scandalum plurimorum, super his adhibere salubre remedium dignaremur. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus impendas eis, qui tenentur sententiis supradictis juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium vice nostra. Injuncta vero illis, qui sic ligati celebravere divina, pœnitentia competenti, cum eis auctoritate nostra dispenses, nisi forsan aliquorum culpa esset ita gravis, et nota, quod cum eis non posset absque scandalo dispensari. Proviso nimirum ut hi qui deliquerunt circa vicesimam congrue satisfaciant de subtractis, ea quæ pro hujusmodi satisfactione conferant servaturus fideliter subsidio Terræ Sanctæ, ac eorum quantitatem nobis opportuno tempore rescripturus. Injectores quoque manuum, passis injuriam satisfaciant competenter, et si aliquorum esset gravis et enormis excessus, illos mittas ad Sedem Apostolicam absolvendos. Datum Laterani, III kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLIII

Ad archiepiscopum Eboracensem et ejus suffraganeos.

29 april. 1221.

[Rymer, loco citato, I, I, 86.]

Monet et hortatur episcopos de pace reformanda, necnon de perturbatoribus regni compescendis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Eboracensi, et suffraganeis ejus, salutem, etc.

Etsi appetenda sit pax dulcedinis ratione, in qua cultores ejus suaviter delectantur, ex eo tanto diligentius debet quæri, et habita carius custodiri, quo, eadem neglecta, contraria pacis obrepens discordia, non solum corporibus, sed etiam animabus amaritudines ingerit et dolores; sicut plus quam exprimi valeat, a multis multotiens est expertum.

Unde cum, sicut audivimus et dolemus, gravis guerra in regno Angliæ incipiat pullulare, quæ nisi fuerit repressa celeriter in totius regni poterit excrescere detrimentum: ne sero medicina paretur, si per moras convaluerit longiores, fraternitatem vestram monemus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo, mandantes quatenus singuli, tanquam propriam causam agentes, ad præcidendam guerrarum materiam, et pacis fœdera reformanda omne studium et diligentiam impendatis.

Et cum aliena sint compescendi virtute, qui suo sunt vitio inquieti turbatores pacis, spirituali et temporali districtione compescere studeatis; ita quod, vel inviti, dediscant communi quieti tam improbe reluctari; et populus sedeat in pulchritudine pacis, et requie opulenta. Datum Laterani, III kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLIV

Ad archiepiscopum Bituricensem.

29 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 614. Mss. La Porte du Theil.]

Concedit ei ut ad nullius provisionem litteris apostolicis cogi possit, nisi in illis de hac concessione mentio peculiaris facta fuerit.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Bituricensi.

Apostolicæ Sedis benignitas circa sibi devotos eam moderaminis providentiam adhibet ut, cum eos onerasse videtur, onus ipsum opportuni relevaminis gratia recompensat. In recompensatione igitur oneris, quod subiisti occasione quæstionis, quam cum dilecto filio Guidone de Insula subdiacono, et capellano nostro super provisione ipsius nosceris habuisse, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut ad nullius provisionem auctoritate Sedis Apostolicæ tempore nostro cogi possis invitus, litteris, si quas ad te pro alicujus provisione impetrare contigerit, robore penitus carituris, nisi de concessione præsenti et ejus causa plenam et expressam fecerint mentionem. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, III kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLV

Ad eumdem.

29 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 615. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut non obstante statuto Concilii generalis plura ecclesiastica beneficia uni conferre possit.

Tua nobis fraternitas supplicavit ut cum ecclesiastica beneficia tuæ diœcesis adeo sint modica exiguique valoris, ut propter tenuitatem ipsorum viros peritos tibi et ecclesiæ tuæ plurimum necessarios ibi nequeas retinere, conferendi aliquibus plura beneficia, statuto generalis Concilii non obstante, licentiam tibi concedere dignaremur. Nos igitur precibus tuis benignum impertientes assensum, assignandi tribus viris idoneis, et dignis hujusmodi gratia usque ad provisionem congruam plura beneficia, non obstante statuto Concilii memorati tibi præsentium auctoritate licentiam indulgemus. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum ut supra.

CCCLVI

Ad A. Pictavensem archidiaconum.

29 april. 1221.

[Regest., lib. V, ep. 565. Mss. La Porte du Theil.]

Subditorum excessus corrigendi plenam ei facit potestatem.

Honorius, etc., dilecto filio A. Pictavensi archidiacono.

Etsi superfluum videatur precibus postulari quod competit de jure communi, quia tamen solet reverentius custodiri quod specialiter indulgetur, quam quod generaliter promulgatur, nos devotionis tuæ precibus inclinati, corrigendi excessus subditorum tuorum, prout ad te pertinet, liberam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Laterani, III kalendas maii, anno quinto.

CCCLVII

Ad episcopum Pictavensem.

29 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 566. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut ad ecclesiam Sancti Saviniani accedens canonicam, ibi juxta quorumdam piorum virorum desiderium, instituat.

Venerabili fratri episcopo Pictavensi, etc.

Dilecti filii A. archipresbyter et nobilis vir Maengottus et quidam alii clerici et laici de Metulo transmissa nobis petitione monstrarunt, quod cum ecclesia, ubi corpus beati Saviniani martyris est sepultum propter exiguitatem proventuum gravem patiatur ministrorum defectum, ipsi divinitus inspirati, ob reverentiam Sancti prædicti, tantum ecclesiæ memoratæ disponunt de facultatibus propriis assignare, quod in ea exinde institui valeat canonica sæcularis, ad quod tuum consensum exigunt, et favorem. Quum igitur ea, quæ ad cultum divini nominis pertinent ampliandum te deceat desiderabiliter amplexari, fraternitatem tuam monemus attente per Apostolica scripta mandantes, quatenus ad locum personaliter proficiscens, hujus rei circumstantiis circumspectis, juxta ipsorum laudabile desiderium, canonicam ibidem instituas sæcularem sine juris præjudicio alieni prout secundum Deum videris expedire. Datum Laterani, III kalendas maii, anno quinto.

CCCLVIII

Ad archiepiscopum et capitulum Remensem.

29 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 534. Mss. La Porte du Theil.]

Viginti dierum indulgentiam, omnibus ad ædificationem ipsorum Ecclesiæ eleemosynas conferentibus necnon interdicti, in certis casibus absolutionem concedit.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo, et dilectis filiis capitulo Remensi.

Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut quum ecclesia vestra ædificari a fundamentis incœperit, et structura egregia et adeo dispendiosa consurgat ut sine fidelium eleemosynis non valeat consummari, aperiendi semel in anno ecclesias vestræ diœcesis interdictas, et ibi solemniter celebrandi divina et eleemosynas pro dicti operis subventione quærendi licentiam vobis concedere dignaremur ob reverentiam gloriosissimæ Dei genitricis Virginisque Mariæ in cujus honore ipsa ecclesia fabricatur; his, qui ad id pias conferent eleemosynas alicujus indulgentiæ gratiam facientes. Nos igitur pro ipsius gloriosissimæ Dominæ reverentia usque ad quinquennium licentiam vobis concedimus postulatam, et de Dei omnipotentis misericordia, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus vere pœnitentibus, et confessis, qui devote accesserint ad officia de licentia hujusmodi celebranda, quique pias eleemosynas contulerint ad subventionem operis memorati viginti dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Laterani, III kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLIX

Ad Jocelinum et Guiardum archidiaconos, et cantorem Trecenses.

29 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 536. Mss. La Porte du Theil.]

Scribit eis ut presbyteros quosdam Lingonensis diœcesis qui adversus Remensem et Lingonensem antistites falsum testimonium produxisse convincti erant, ad Sedem Apostolicam venire compellant.

Honorius, etc., dilectis filiis Jocelino et Guiardo archidiaconis, et cantori Trecensibus.

Venerabiles fratres nostri... Remensis archiepiscopus et... episcopus Lingonensis nobis insinuare curarunt, quod quidam presbyteri Lingonensis diœcesis in eorum et aliorum bonorum ignominiam falsum testimonium perhibendo reatum perjurii incurrerunt, quorum quidam possunt convinci de facili, quidam vero id spontanee sunt confessi. Ideoque per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus illos, qui super hujusmodi perversitate convicti fuerint, aut con-

fessi, ab officiis beneficiorum suspensos ad nostram præsentiam, cum litteris vestris rei seriem continentibus, venire per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLX

Ad archiepiscopum Bituricensem.

29 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 616. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem violenter manuum injectores ad biennium absolvendi.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Bituricen.

Ut operum exhibitione monstremus, te in nostris esse oculis gratiosum, et exhibitam tibi gratiam aliis consulamus absolvendi in tua diœcesi violentarum manuum injectores, nisi forsan aliquorum ita esset enormis excessus, quod merito essent ad Sedem Apostolicam destinandi, tibi personaliter auctoritate præsentium usque ad duos annos concedimus potestatem, concedentes nihilominus, ut cum presbyteris, et clericis, qui pro concubinarum contubernio a legatis Apostolicæ Sedis fuerunt excommunicationi subjecti, quique excommunicati aut interdicti ordines susceperunt vel divina præsumpserunt officia celebrare, auctoritate nostra possis misericordiam facere dispensando, secundum quod, pensatis omnibus circumstantiis, singulorum merita videris postulare. Datum Laterani, II kal. maii, anno quinto.

CCCLXI

Ad eumdem.

29 april. 1221.

[Regest., lib. V, ep. 617. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem procurationes quæ ipsi ratione visitationis debebantur exigendi.

Cum tibi contra hæreticam pravitatem in provinciam profecturo non modicarum onus immineat expensarum, nos in favorem fidei christianæ auctoritate tibi præsentium indulgemus, quatenus procurationes, quæ tibi visitationis ratione debentur, non obstante statuto Concilii generalis, possis exigere, ac recipere quamdiu in illis partibus moram facies pro negotio memorato. Contradictores, etc. Datum III kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXII

Ad eumdem.

29 april. 1221.

[Regest., lib V, epist. 618. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem milites diœcesis suæ qui in Angliam transierant ad vicesimam solvendam cogendi.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Bituricen.

Supplicasti nobis, ut cum quidam milites et alii tuæ diœcesis pro eo quod in Angliam contra prohibitionem Sedis Apostolicæ transierunt, proventuum suorum vicesimam solvere teneantur in Terræ Sanctæ subsidium convertendam, cogendi eos ad solutionem ipsius vicesimæ, et tam eam, quam illa quæ residua sunt in tua diœcesi de truncorum pecunia, et vicesima clericorum in expugnationem pravitatis hæreticæ convertendi licentiam tibi concedere dignaremur. Quocirca mandamus, quatenus prædicta colligi faciens diligenter, contradictores ad eorum solutionnem, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam compellendo, eorum summam nobis cures fideliter intimare, ut veritate cognita, faciamus quod viderimus faciendum. Datum Laterani III kalendas maii anno quinto.

CCCLXIII

Ad eumdem.

29 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 619. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem clericos crucesignatos, sed negotio inutiles, absolvendi.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod in diœcesi tua sunt multi presbyteri et clerici, qui cum sint prorsus inutiles negotio Terræ Sanctæ crucem tamen improvide susceperunt. Unde super hoc desideras provideri. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tales a voto crucis absolvas, ita tamen, quod singuli singulos, vel duo unum si singulos nequeunt pro se mittant in Terræ Sanctæ subsidium bellatores, proviso prudenter, ne dolus aliquis intercedat. Datum Laterani, tertio kalendas maii, anno quinto.

CCCLXIV

Ad magistrum S. clericum Bituricensem.

29 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 620. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut duo beneficia possidere possit.

Honorius, etc., dilecto filio magistro S. clerico Bituricensis archiepiscopi.

Ad exhibendum tibi gratiam specialem merito tuæ probitatis inducti, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut, quum unicum habeas beneficium curam habens animarum annexam, quod sicut asseris ultra summam centum solidorum Turonen. nunquam tibi valuit annuatim, aliud tibi, si canonice offeratur, possis, statuto Concilii generalis non obstante, recipere, et cum illo libere retinere. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, III kalendas maii anno quinto.

CCCLXV

Ad episcopum Argentinensem.

29 april. 1221.

[Schœflin, Alsatia diplom., t. II, p. 341, n. 318.]

Monet et hortatur episcopum Argent. ut ab advocatorum vexationibus liberet ecclesias suæ diœcesis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Argentinensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii capitulum Argentinense transmissa nobis petitione monstrarunt, quod plerique advocati ecclesiarum tuæ diœcesis, advocationis obsequium pervertentes in dominationis abusus, ecclesias ipsas multipliciter opprimunt et affligunt et sic, occasione sui officii, eo efficacius officiunt, quo sub defensionis prætextu in bonis ecclesiasticis liberius debacchantur; cum igitur instantia nostra quotidiana sit ecclesiarum omnium sollicitudo continua, fraternitatem tuam monemus, et hortamur attente per Apostolica tibi scripta firmiter præcipiendo mandantes quatenus, humano amore ac mundano timore postpositis, ecclesias ipsas de advocatorum vexationibus taliter studeas defensare, quod non possis de negligentia reprehendi, sed potius merearis de diligentia commendari. Ad hæc auctoritate tibi præsentium firmiter inhibemus, ut si quas advocatias tibi de cætero vacare contigerit, nulli eas conferre præsumas, sed ecclesiæ tuæ usibus studeas applicare, cavens nihilominus ne una ecclesia plures advocatos assumat, nec aliquem in advocatia succedere adoptionis jure permittas, ne videatur locus calumniis ampliari. Datum Laterani, III kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXVI

Ad archiepiscopum Bituricensem.

29 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 585. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem ad liberam et spontaneam præbendarum cessionem eas personis idoneis providendi.

Quum frequenter contingat, ut quidam obtinentes præbendas in ecclesiis, in quibus residere non possunt, eas resignare differant ne conferantur indignis, nos de tua caritate gerentes fiduciam specialem auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut ad spontaneam et liberam resignationem illorum, qui præbendas, seu alia beneficia obtinent in ecclesiis tibi lege diœcesana subjectis, ea, sublato cujuslibet appellationis et contradictionis obstaculo, possis idoneis conferre personis. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, III kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXVII

Ad decanum et canonicos S. Mariæ de Cocwich.

30 april. 1221.

[Heineman, Codex Anhaltinus, p. 43, n. 50.]

Eos protegendos suscipit, et sub beati Petri ac sua protectione recipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano et canonicis Sanctæ Mariæ de Cocwich, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum om-

nibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem villam de Lozeke cum pertinentiis suis ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste et pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, III kalend. maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXVIII

Ad abbatem et conventum in Sitanstetin.

30 april. 1221.

[Fontes rerum Austriacarum, dipl. et acta, XXXIII, 36.]

Sub beati Petri et sua protectione monasterium in Sitanstetin suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati et conventui monasterii in Sitanstetin, salutem, etc.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios et assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eaproter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationaliter possidet, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesias, possessiones, vineas, nemora et alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, II kal. maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXIX

Ad capitulum et clerum Cenomanensem.

30 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 622. MM. La Porte du Theil.]

Relaxat sententiam suspensionis ab archiepiscopo Turonensi in episcopum Cenomanensem latam.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo et clero civitatis et diœcesis Cenomanen.

Noveritis quod ad cautelam relaxamus suspensionis sententiam, quam in venerabilem fratrem nostram episcopum Cenomanen. tulerat venerabilis frater noster archiepiscopus Turonen. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem tamquam episcopo vestro intendatis et obediatis humiliter et devote. Datum Laterani, II kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXX

Ad archiepiscopum Bituricensem.

30 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 581. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem in ecclesiis suæ diœcesis corrigendi quæ corrigenda forent.

Honorius, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Bituricensi.

Gerentes de tua caritate fiduciam specialem auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut in ecclesiis tam sæcularibus quam regularibus tibi lege diœcesana subjectis libere corrigas quæ videris corrigenda, objectu appellationis frustratoriæ non obstante, salvo statuto Concilii generalis. Datum Laterani II kalend. maii anno quinto.

CCCLXXI

Ad eumdem.

30 april. 1221.

[Regest., lib. V, epist. 333. Mss. La Porte du Theil.]

Litteras apostolicas, quibus ipsum jusserat Guidoni de insula pensionem triginta librarum Parisiensium solvere, irritas facit.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Biturciensi.

Cum tibi dedissemus nostris litteris in mandatis, ut dilecto filio Guidoni de insula subdiacono et capellano nostro pensionem triginta librarum Parisien. assignares tam-

diu percipiendam ab ipso donec æqui valoris ecclesiasticum beneficium contulisses eidem, venerabili fratre nostro Aurelianen. episcopo sibi executore concesso, dilectus filius S. procurator tuus interim superveniens composuit amicabiliter cum eodem, ita quod idem capellanus renuntiavit litteris memoratis, et juri, quod sibi competebat vel competere poterat ex eisdem. Nos igitur a præstatione ipsius pensionis te penitus absolventes, litteras ipsas decrevimus irritas et inanes, ac revocavimus si quid forte auctoritate factum extitit earumdem. Ideoque fraternitati tuæ præsentes litteras in hujus rei testimonium duximus concedendas. Datum Laterani, II kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXII

Ad abbatem et conventum monasterii S. Augustini Cantuariensis.

30 april. 1221.

[Dugdale, Monast. Anglicanum, I, 137.]

Monasterio Sancti Augustini Cantuarien. confirmat ecclesiam de Sellinges, præbendam de Guceston et ecclesias de Lenham et Cistelet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii S. Augustini Cantuarien., salutem, etc.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum præstante Domino justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam de Sellinges, et præbendam ecclesiæ de Guceston ad usus cameræ, et de Lenham et de Cistelet ecclesias ad usus refectorii et infirmariæ, a bonæ memoriæ Urbano et Cœlestino, prædecessoribus nostris, Romanis pontificibus vobis confirmatas et alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Data Laterani, II kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXIII

Ad cantorem et archidiaconum majoris ecclesiæ ac decanum Sancti Germani Autissiodorensis, Parisien.

4 maii 1221.

[Notices et Extraits des manuscrits, XXI, II, 179.]

Mandat ut ecclesiastici redditus decano Sancti Quintini, qui docet fratres de ordine Prædicatorum in theologica facultate, et suo vicario quotidianæ præbendarum distributiones exhibeantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis cantori et archidiacono majoris ecclesiæ, et decano Sancti Germani Autissiodorensis Parisiensis, salutem, etc.

Dilecto filio decano Sancti Quintini nobis innotuit referente, quod cum, de mandato nostro, Parisius doceat fratres de ordine Prædicatorum in theologica facultate, nosque pro eo vobis scripserimus, ut integre faceretis eidem suos redditus ecclesiasticos, juxta constitutionem a nobis editam, exhiberi, posito de licentia nostra in ecclesia Sancti Quintini aliquo loco sui, qui distributiones quotidianas suarum percipiat præbendarum, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo, nihilominus capitulum ejusdem ecclesiæ redditus eidem decano et quotidianas distributiones ipsius vicario ex eorum provenientes ecclesia, sibi subtrahunt, prætendentes in sua et gallicana ecclesia juramento esse firmatum quod residentibus tantum beneficia persolvantur; nos autem, nolentes decanum eumdem a tam pio cessare vel tepere proposito, sed specialem ei potius facere gratiam cupientes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, non obstante hujusmodi juramento, exhiberi a prænominato capitulo ipsi decano redditus et vicario suo distributiones hujusmodi faciatis. Datum Laterani, IV nonas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXIV

Ad monasterium et conventum Hildeslenen. Halberstad. diœcesis.

5 maii 1221.

[Riedel, Diplomatische Beiträge, I, 28, n. 16.]

Monasterium Hildeslenen. ord. S. Bened. cum omnibus bonis tuendum suscipit, specialiter autem ab episcopis Halberstadensibus, et a comite Hildeslenensi possessiones concessas, ac alia bona confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

dilectis filiis abbati et conventui monasterii Hildeslenen., salutem, etc.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis vestris, quæ in præsenti rationabiliter possidetis aut in futuro justis modis præstante Domino adipisci poteritis, sub sancti Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem libertates et immunitates vobis et monasterio vestro a bonæ memoriæ H(errado) et R(eynardo) et a Frederico, venerabilibus fratribus nostris, Halberstadensibus episcopis, loci diœcesanis, ac etiam a claræ memoriæ comite Hildeslenensi, ejusdem monasterii fundatore, concessas, necnon jus advocatiæ, quod idem comes monasterio in proprium concessit, possessiones et alia bona, pia vobis fidelium devotione collata, vel alias ad vos justo titulo pertinentia sicut ea omnia juste ac pacifice obtinetis, et in authentico inde confecto plenius continetur, vobis et per vos eidem monasterio vestro, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad rei autem evidentiam pleniorem, tenorem ipsius authentici de verbo ad verbum præsentibus duximus inserendum, qui talis est:

Fredericus Dei gratia Sanctæ Halberstadensis ecclesiæ episcopus omnibus Christi fidelibus hanc paginam inspecturis salutem in Domino. Quæcumque ad laudem et gloriam nominis Jesu Christi et ad commodum ecclesiarum, ubi nomen ejus jugiter invocatur, a venerabilibus dominis prædecessoribus nostris hujus sanctæ Halberstadensis ecclesiæ episcopis invenimus ordinata, justum est et rationi consentaneum, ut et gestis eorum favorem benevolum impendamus, et quæ pie fecisse noscuntur contra varios futurorum incursus nostræ firmitatis robore muniamus. Eapropter libertatem illam et gratiam, quam venerabiles domini antecessores nostri Herrandus et Reynhardus episcopi, cœnobio Heldeslenensi et fratribus inibi Domino famulantibus impenderunt, ut gratiæ ipsorum nostram et confratrum nostrorum majoris ecclesiæ nostræ canonicorum, superaddamus gratiam et favorem, ad instantiam dilecti in Christo filii nostri, Cæsarii, ejusdem cœnobii abbatis, confratrumque suorum, quos sincera diligimus caritate, duximus innovandam et præsentis scripti privilegio, tribus sigillis, nostro et ecclesiæ nostræ necnon ipsius Hildeslenensis ecclesiæ insignito, testibus adhibitis, inviolabiliter muniendam ne id, quod per nos provida deliberatione statutum est, prædictarum ecclesiarum accedente consensu, novis supervenientibus valeat in posterum retractari. Sane sicut ex privilegio jam dicti Reynhardi episcopi nobis constitit, quod vidimus et perspeximus diligenter, bonæ memoriæ Herrardus episcopus petitione Aldesindis neptis suæ, filiorumque ejus Bodonis, Widekindi, Guncelonis et Bernardi ipsum locum, anno Domini Incarnationis MXCVI ex ordine clericali in religionem monasticam transmutavit, secundum ordinem Ilseneburgensem, quos religiosores in ipso cœnobio reperit, inibi constituens, decimam duodecim mansorum, in ejusdem villæ marcha adjacentium, pro remedio animæ suæ, antecessorum successorumque suorum eidem loco conferens, banni sui munimine stabilivit. Cum vero longo post tempore dom. Reynhardus episcopus ad regimen hujus ecclesiæ Sanctæ Halberstadensis, divina favente clementia, vocaretur et pastor legitimus præsideret dom. Milo comes ipsam ecclesiam beati Laurentii de voluntate uxoris suæ Luithpurgæ, ipsius omniumque hæredum suorum consensu ob petitionem consiliumque jam dicti episcopi, liberam Deo et sancto Petro Romæ contulit cum prædiis omnigenisque redditibus eidem ecclesiæ attinentibus, quatenus inibi Deo servientibus, quibus etiam Ilseneburgensem priorem Alvericum abbatem primum præfecit. Nec spiritalis nec sæcularis, sed nec quilibet hæredum aliqua gravamina seu privatas consuetudines et jura in perpetuum ingerat aut exigat, sed Romæ duntaxat in signum subjectionis ab ipso loco corporale eidem Apostolicæ Sedi, annis singulis, persolvatur. Porro advocatiam domino Miloni ea ratione concessit, ut inter filios suos filiorumque filios et deinceps posteros cæteros, ex masculino sexu natos, obtinere deberet. Quod si in potestate hæredum masculinus sexus deficeret, sicut manifeste jam defecisse dignoscitur,

statuit [ut facultas] eligendi advocatum in jus abbatis fratrumque rediret.

Hæc autem et alia, quæ de libera electione abbatis et de ipsius destitutione, si dilapidator inveniretur et eversor, et plura, quæ ad præsens pertinere negotium non videntur, quæ ad illius ecclesiæ commodum noscitur ordinasse, quæ in suo privilegio expressius continentur, adhibitis testibus idoneis, banni sui munimine valide stabilivit, præcipiens ea firmiter observari; quæ nos non solum ob ejus et juris reverentiam duximus approbanda, imo etiam in meliorem statum et ad majus prædictæ ecclesiæ commodum perducenda. Unde quia advocati, ut opera eorum enormia demonstrant manifeste, magis ecclesias disturbare, quam patrocinari eisdem jam multo tempore consueverunt, et in arcum pravum conversi earum raptores et eversores existunt, et quarum, si saperent, patroni esse deberent, et usque ad sanguinis effusionem eas quo accinguntur gladio defensare, nos contra morbum illum, qui heu! nimis invaluit, medelam et curam quamcumque sero duximus adhibendam, sub nostram protectionem prædictam suscipientes ecclesiam cum omnibus attinentiis, rebus et personis et de consilio fratrum nostrorum, majoris ecclesiæ nostræ canonicorum, quorum hic nomina præcepimus subnotari et de prædicti abbatis petitione et plenissima voluntate et consensu conventus sui nobis in omnibus afferente, provide statuentes, ut prædicta advocatia in nostra nostrorumque successorum maneat in perpetuum potestate, ita ut neque nos neque nostri successores auctoritatem aliquam deinceps habeamus ipsam alicui in feodo porrigendi, sed in nostra eorumque manu, nullo mediante, maneat in sæcula sæculorum, amen. Verum quia diversi casus frequenter emergunt, et in omnibus præsentes esse non possumus, hanc prædicto abbati suisque successoribus gratiam duximus conferendam, ut si ipse vel ecclesia sua necessarium habuerit mundiburdium, sive eum qui causas judicet incidentes, de licentia nostra talem sibi eligat et statuat, qui causas sanguinis sive furti, in eo necessitatis articulo, ubi nos non possumus habere, judicet vice nostra, salvo tamen et conservato nobis in omnibus jure nostro. Hujus autem ordinationis rationabilis et honestæ testes sunt universi majoris ecclesiæ nostræ canonici, quorum hic nomina continentur, Burchardus decanus, Otto de Tobui, Anno cellararius, Almarus Sancti Pauli præpositus, Conradus, Herfordensis præpositus, Arnoldus de Scherenbeke, Meynhardus de Cranicuelt, Burchardus de Wartpech, Wolterus de Arnestein, Bertholdus de Lichowe, Bernhardus vicedominus, Conradus Sanctæ Mariæ præpositus, Ludolfus de Haden, Heynricus camerarius, Gardolffus advocati filius, Arnoldus scholasticus, Conradus archidiaconus Origentalis, magister Jo. Albertus de Cruceburg. Laici vero nobiles Sifridus de Blankenborg, Wernerus de Auvorde, Wernerus de Lichtenburh, Wernerus de Suseliz, Hugoldus de Scherenbeke; ministeriales autem Genehardus de Alvensleue dapifer noster, Jo. de Gaterslene, Anno de Eyllenstide, Henricus de Schereninge, Thidericus marschalcus noster, et alii quamplures. Acta sunt hæc anno Dom. Incarnat. MCCXIV, indict. XV, præsidente Sanctæ Romanæ Ecclesiæ papa Innocentio hujus nomine III.

Ut igitur hæc ordinatio semper maneat inconvulsa et a posteritate sana et integra conservetur, hanc paginam inde conscribi et tribus sigillis, ut præmisimus, fecimus insigniri sub interminatione anathematis districtius inhibentes, ne quis eam infringere vel immutare præsumat. Si quis autem, suadente diabolo, hoc attentare præsumpserit, indignationem Dei omnipotentis et beatorum Apostolorum Petri et Pauli et nostri anathematis se noverit incursurum. Datum Halberstadt per manum Thiderici notarii nostri. Anno consecrationis nostræ quarto.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III nonas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXV

Ad capitulum ecclesiæ de Lichfield.

5 maii 1221.

[Dugdale, Monasticum Anglicanum, VI, III, 1245.]

Ecclesias de Arnlegh, de Cannoco et de Ruggele ab episcopo Conventriæ capitulo de Lichfield collatas confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

dilectis filiis capitulo ecclesiæ de Lichfield, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum etiam et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, de Arnlegh, de Cannoco, et de Ruggele ecclesias, cum earum pertinentiis, vobis a venerabili fratre nostro W. episcopo Coventriæ, loci diœcesano, de capituli sui assensu, pia et provida liberalitate collatas, prout in ejusdem episcopi litteris plenius dicitur contineri, sicut eas juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ, auctoritate Apostolica confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III nonas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXVI

Ad episcopum, archidiaconum et thesaurarium Catalaunenses.

5 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 602. Mss. La Porte du Theil.]

Facit eis potestatem archiepiscopo Rhemensi concedendi facultatem et licentiam infeodandi villam quamdam nobili viro domino de Scepton.

Honorius, etc., venerabili fratri nostro episcopo et dilectis filiis... archidiacono et thesaurario Catalaunen.

Venerabilis frater noster... Remensis archiepiscopus nobis insinuare curavit, se in territorio castri sui de Mosorno disposuisse construere quamdam villam; quod quum commode facere nequeat, sine auxilio nobilis viri... domini de Scepton suæ diœcesis, sic inter ipsos convenit, ut videlicet dictus nobilis tantum terræ conferat memorato, et ipse ac hæredes ejus in feudum teneant ab ipso archiepiscopo et successoribus suis, quidquid in villa habuerint memorata. Unde idem archiepiscopus nobis humiliter supplicavit, ut cum villa ipsa construi debeat in fundo Remensis ecclesiæ, et ipse in pallei receptione juraverit quod possessiones ad mensam suam spectantes non infeudaret sine licentia Romani pontificis, licentiam conferendi hujusmodi feudum nobili memorato sibi pro utilitate ipsius ecclesiæ concedere dignaremur. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si eidem ecclesiæ videritis expedire, auctoritate nostra tribuatis ipsi archiepiscopo licentiam postulatam. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III nonas maii, anno quinto.

CCCLXXVII

Ad fratres de ordine Prædicatorum.

6 maii 1221.

[Ripolli, Bullarium Præd., t. I, p. 14, n. 24.]

Concedit facultatem celebrandi super altare portatile.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus de ordine Prædicatorum, salutem, etc.

Postulastis a nobis, ut cum extra civitates et villas frequentius existatis, nec vobis expediat per hujusmodi loca discurrere pro divinis officiis audiendis, celebrandi vobis, ubi conventus de ordine vestro fuerit, super altare portatile licentiam præberemus; nos autem id vestris postulationibus inclinati concedimus, sine juris præjudicio alieni. Datum Laterani, II nonas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXVIII

Ad abbatem de Monte Angelorum et præpositum Cunicensem, Constantien. et Lausann. diœces.

6 maii 1221.

[Zeelerder, Urkunden für die Geschichte der stald, t. I, p. 224, n. 141.]

Mandat eis ut de causa V. presbyteri Lausann. diœcesis occupantis ecclesiam de Stega informent et quod canonicum fuerit statuant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati de Monte Angelorum et præposito Cunicensi, Constantiensis et Lausannensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii præpositus et conventus Interlacensis nobis conquerendo monstrarunt quod V., presbyter Lausannensis diœcesis in ecclesiam de Stega ad ipsos de jure

spectantem temere se intrudens eam detinet occupatam in ecclesiæ præjudicium et gravamen. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis causam, et quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerunt nominati si se gratia, odio, vel timore subtraxerint per censuram eamdem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Datum Laterani, II nonas maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXIX

Ad capitulum Massiliense.

7 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 599. Mss. La Porte du Theil.]

Vicenarium canonicorum in ipsorum ecclesia numerum, prout ab ipsis et episcopo statutum fuerat, auctoritate apostolica confirmat.

Honorius, etc,, dilectis filiis capitulo Massiliensi.

Justis petentium, etc. Eapropter..., usque assensu. Vicenarium canonicorum numerum, quem venerabilis frater noster... episcopus vester, facultatibus ecclesiæ vestræ pensatis, de assensu vestro in ea taxavit, et statuit observandum, prout in ipsius litteris dicitur plenius contineri; sicut taxatus est provide ac statutus, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, nisi forsan in tantum excreverint ejusdem ecclesiæ facultates, quod merito in ea canonicorum numerus debeat adaugeri, auctoritate Sedis Apostolicæ semper salva. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, nonis maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXX

Ad præpositum et conventum Sancti Michaelis ad Ulmam.

10 maii 1221.

[Wirtembergisches Urkundenbuch, III, 123, n. 649.]

Conventum S. Michaelis ad Ulmam sub beati Petri et sua protectione suscipit, atque ei aliquot possessiones confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et conventui Sancti Michaelis ad Ulmam, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assueto pietatis officio propensius diligere consuevit, et, ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et monasterium in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beatorum Petri et Pauli apostolorum et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam S. Martini in Hervelsingen et capellam S. Andreæ, sitam in villa Stozingen, et alias ecclesias quas juste et pacifice possidetis, vobis et monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, proviso quod in dictis ecclesiis per confratres vestros vel vicarios idoneos divina sine alterius præjudicio celebretis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VI idus maii, pontificat. nostri anno quinto.

CCCLXXXI

Ad episcopum et capitulum Placentinos.

10 maii 1221.

[Ripolli, Bull. Prædicatorum, I, 14, n. 25.]

Fratres Prædicatores commendat episcopo et capitulo Placentino.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis episcopo et capitulo Placentino, salutem et apostolicam benedictionem.

Discretionem vestram rogamus, monemus, et exhortamur attentius, quatenus dilectos filios, fratres Prædicatores, qui, sæculi vanitatibus abdicatis, obtulerunt Domino in laudis sacrificium semetipsos, pietatis intuitu, precumque nostrarum obtutu, habere dignemini taliter commendatos, quod iidem preces nostras apud vos sibi sentiant fructuosas, et nos devotionem ves-

tram possimus propter hoc non immerito commendare. Datum Laterani, VI idus maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXXII

Ad abbates Cistercienses, Fratres Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani, et ad militiam Templi, et religiosos alios.

13 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 639. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet, ne professos ordinis Grandimontensis ab hoc ordine sine superiorum licentia recedentes recipiant.

Honorius, etc., dilectis filiis universis abbatibus Cisterciensis ordinis et Fratribus Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani et militiæ Templi, ac religiosis aliis præsentes litteras inspecturis.

Dilecti filii prior et fratres Grandimontenses nobis conquerendo monstrarunt, quod cum eis a Sede Apostolica sit indultum, ut nemo sine cautione communium litterarum recipere audeat professos ordinis eorumdem, quidam vestrum, contra hujusmodi privilegium venientes, ipsorum professos, ab eis sine licentia discedentes, recipere non verentur, unde idem ordo quibusdam clericis, et aliis fratribus utilibus ordini memorato, est hujusmodi receptionis facilitate nudatus. Quia igitur non debetis id facere aliis, quod vobis fieri non velletis, universitati vestræ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus tali modo receptos ad Grandimontensem ecclesiam remittentes, eos, vel alios professos ordinem sæpedictum, contra privilegia ipsi ordini ab Apostolica Sede concessa nullatenus recipere de cætero præsumatis. Datum Laterani, III idus maii anno quinto.

CCCLXXXIII

Ad priorem et fratres Grandimontenses.

13 maii 1221.

[Martene, Thesaurus Anecdot., I, 883.]

Hortatur Grandimontenses ut, scissuris et contentionibus abdicatis, priori reverentiam exhibeant, et statuta ordinis sedulo observent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Grandimontensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Utilitati, famæ, et saluti vestræ non modicum expedit, ut sicut proxime retroactis temporibus contentiones ad invicem habuistis, sic de cætero servetis pacem in vinculo caritatis : quatenus fama vestra, quæ per dissensiones hujusmodi est plurimum denigrata, nitorem possit recipere consuetum, et vestra religio in conspectu Dei et hominum solitam invenire gratiam mereatur. Cum igitur instanti festo beati Johannis Baptistæ, de more, celebraturi sitis capitulum generale, universitatem vestram sollicitandam duximus et hortandam, auctoritate vobis præsentium firmiter injungentes, quatenus scissuris et contentionibus penitus abdicatis, ad ea quæ pacis sunt unanimiter intendentes, ordinis vestri statuta, prout in Apostolico sunt privilegio comprehensa, studeatis inviolabiliter observare; priori vestro impendendo reverentiam et obedientiam humilem et devotam ; pro certo scituri, quod si, salubribus monitis nostris damnabili temeritate contemptis, perturbare vos ipsos, et scandalizare alios, per jurgia præsumpseritis consueta, nos vineam Domini, culturam scilicet Grandimontensis, curabimus aliis locare agricolis, qui opportunum fructum temporibus suis reddant, vobis digne datis in dispersionis opprobrium; ut quibus culpa vestra fuit scandalum, pœna sit in exemplum. Datum Laterani, III idus maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXXIV

Ad priorem Grandimontensem.

13 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 642. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem sacerdotes quosdam et clericos dissensionis tempore excommunicatos, sed tunc resipiscentes absolvendi.

Honorius, etc., dilecto filio priori Grandimontensi.

Supplicasti nobis, ut quum olim mandaverimus quosdam sacerdotes, et clericos tuos, qui excommunicati dissensionis tempore ministrarunt, ab executione suorum officiorum de cætero abstinere, donec super hoc ab Apostolica Sede licentiam obtinerent, cum illis, qui jam per annum humiliter cessaverunt, misericordiam de cætero faceremus. Ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus

eisdem in suis ordinibus ministrandi, et promovendis ad superiores ordines ascendendi, auctoritate nostra liberam tribuas facultatem. Datum Laterani III idus maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXXV

Ad P. archipresbyterum de Surgeriis Xanctonensis diœcesis.

13 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 643. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei specialiter potestatem, in archipresbyteratu suo quæ corrigenda forent corrigendi.

Honorius, etc., dilecto filio P. archipresbytero de Surgeriis Xanctonensis diœcesis.

Etsi superfluum videatur precibus postulari, quod datur a jure communi, quia tamen reverentius observari solet quod specialiter indulgetur, quam quod edicto editur generali; nos devotionis tuæ precibus inclinati, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut quum, sicut asseris, singulas archipresbyteratus tui ecclesias habeas annis singulis visitare, liceat tibi presbyteros et clericos archipresbyteratus ejusdem, non obstante frivolæ appellationis objectu, canonica districtione compellere ad observanda statuta Concilii generalis, aliasque in ecclesiis ipsis et personis tibi archipresbyteratus jure subjectis corrigere, ac reformare quæ correctionis et reformationis officio noveris indigere. Datum Laterani, III idus maii, pontificat. nostri anno quinto.

CCCLXXXVI

Ad judices, consules et populum Beneventanum.

14 maii anno 1221.

[Bullarium Romanum, III, I, 221.]

Mandat ut nemo ex civitate Beneventana domos alterius occupare præsumat, sub pœna confiscationis bonorum; neque ibi collectæ imponantur nisi de rectoris et totius populi consensu.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis judicibus, consulibus, et populo Beneventano, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad tranquillitatem vestram tanto diligentius intendentes, quanto civitas vestra inter cæteras, quæ juris beati Petri existunt, noscitur præeminere, præsentium auctoritate statuimus, ut si quis de civitate ipsa domos, vel turres alterius de cætero per violentiam ceperit, nisi eas ad mandatum nostrum, vel rectoris, qui pro tempore in ipsa fuerit civitate, infra tres dies libere resignaverit, ex tunc universa bona ipsius nostris regalibus applicentur, ita quod de illis satisfactio [fiat] ei qui fuerit passus injuriam, Apostolica Sedes de residuo sicut de cæteris regalibus libere pro sua voluntate disponat: si clericus vero fuerit, officio et beneficio, sit privatus. Ad hæc districtius inhibemus, ne quis civitatem ipsam præsumat aggravare collectis, nisi cum rector, judices, consules, et Octonarii, totius populi accedente consensu, id pro communibus ipsius terræ negotiis viderint expedire.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, II idus maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXXVII

Ad abbates Sancti Martialis Lemovicensis, et Bulliensem Lemovicensis diœcesis, et magistrum Philippum, pœnitentiarium Lemovicensem.

14 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 640. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam ad capitulum generale ordinis Grandimontensis accedendi, et fratres ejusdem ordinis ad sopiendas omnino discordias hortandi et etiam cogendi.

Honorius, etc., dilectis filiis Sancti Martialis Lemovicensis et Bulliensem Lemovicensis diœcesis abbatibus, et magistro Ph. pœnitentiario Lemovicensi.

Quum apud Grandimontensem ecclesiam instanti festo beati Johannis Baptistæ de more celebrari debeat capitulum generale, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad ipsum capitulum personaliter accedentes, fratres in ipso capitulo congregatos secundum datam vobis a Deo prudentiam inducere studeatis, ut, scissuris, et contentionibus penitus abdicatis, unanimiter ad ea, quæ sunt pacis intendant, et statuta ordinis sui prout Apostolico sunt

privilegio comprehensa, studeant inviolabiliter observare, priori suo impendendo reverentiam et obedientiam humilem et devotam, ita quod clamor de ipsorum discordiis ad nostra, vel etiam aliorum aures, de cetero non ascendat, quinimo fama eorum, quæ per hujusmodi discordias est plurimum denigrata, per eorumdem concordiam, nitorem possit recipere consuetum, ipsique in conspectu Dei, et hominum solitam invenire gratiam mereantur. Porro si forte in capitulo ipso emerserit aliquid quæstionis, vos id auctoritate nostra juxta statuta ipsius ordinis decidentes, quod statueritis faciatis firmiter observari. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II idus maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXXVIII

Ad decanos Bituricensem et Carnotensem et subdecanum Aurelianensem.

15 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 645. Mss. La Porte du Theil.]

Injungit eis, ut si archiepiscopus Turonensis, infra duos menses, sententiam interdicti quam in episcopum Cenomanensem tulerat, canonicam et justam fuisse non probaverit, dictam sententiam irritam pronuntient.

Honorius, etc., dilectis filiis Bituricensi et Carnotensi decanis et subdecano Aurelianensi.

Venerabili fratre nostro..... Cenomanense episcopo, et dilecto filio Herberto Turonensi canonico, procuratore venerabilis fratris nostri Turonensis archiepiscopi, in nostra præsentia constitutis, pro quadam suspensionis sententia in præfatum episcopum ab eodem archiepiscopo promulgata, nos auditis et intellectis, quæ super hoc fuerunt ab eis proposita coram nobis, quia partes dissentiebant in facto, ita quod de illo plene constare non potuit, sententiam ipsam de gratia relaxamus ad cautelam, ipso episcopo in præsentia dicti procuratoris præstante corporaliter juramentum quod parebit mandatis, quæ idem archiepiscopus sibi propter hoc fecerit, si constiterit ipsum episcopum in eo, pro quo fuit lata prædicta sententia culpabilem extitisse. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si archiepiscopus infra duos menses, a primæ citationis edicto, non probaverit se, illo tempore quo per Herbertum meditarium, omisso episcopo, fuit appellatum ad ipsum, fuisse per alium actum in quasi possessione recipiendi appellationes a decano de Bellomonte ad Turonensem archiepiscopum, Cenomanensi episcopo prætermisso, denuntietis prædictam suspensionis sententiam nullam penitus extitisse, pœnam propter hoc ipsi archiepiscopo debitam nostro arbitrio reservantes. Quod si de tali quasi possessione constiterit, vos de meritis sententiæ cognoscentes, si eam inveneritis juste fuisse prolatam, præfatum episcopum ad ipsum archiepiscopum remittatis, pœna debita puniendum. Si vero injustam fuisse constiterit, pœnam ipsi archiepiscopo debitam nostro nihilominus arbitrio reservetis. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, idibus maii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXXXIX

Ad priorem et fratres Grandimontenses.

17 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 638. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget eis ne ipsi, nec alii fratres ordinis ipsorum conveniri possint per litteras Apostolicas nisi de ordine ipso fecerint mentionem.

Honorius, etc., dilectis filiis priori et fratribus Grandimontensibus.

Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum multi per generalem clausulam, quæ litteris nostris inseri consuevit, vos faciant malitiose citari, ut a vobis, redimentibus molestias litium valeant aliquid extorquere; contra ipsorum malitiam vobis et ordini vestro providere misericorditer dignaremur. Volentes igitur ipsorum obviare malitiæ, ac vestræ quieti paterna sollicitudine providere, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut nec vos, nec alii fratres ordinis vestri conveniri possitis per litteras Apostolicas, nisi de ordine ipso fecerint mentionem. Nulli ergo, etc. Nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XVI kalendas junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXC

Ad Johannem de Monte Lauro præpositum, magistrum H. archidiaconum et sacristam Magalonenses.

17 maii 1221.

[Notices et Extraits des manuscrits, XXI, II, 178.]

Mandat eis ne monasterium Psalmodiense Nemausen. diœcesis a quoquam molestari sinant ratione debitorum quæ B. ejus monasterii quondam abbas, ab Apostolicæ Sedis legato amotus, contraxerat post suam ablegationem, retento monasterii sigillo.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito, magistro H. archidiacono et sacristæ Magalonensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii abbas et conventus Psalmodiensis monasterii Nemausensis diœcesis, sua nobis petitione monstrarunt, quod cum dilectus filius noster B., tituli SS. Johannis et Pauli presbyter cardinalis, tunc Apostolicæ Sedis legatus, B., quondam ipsius loci abbatem, amovisset ab eo, exigentibus culpis suis, et alium instituisset ibidem, præfatus B., prætextu cujusdam frivolæ appellationis, quam se interjecisse dicebat, contra factum ipsius cardinalis venire præsumens, et sigillum ipsius monasterii detinens, debita quædam contrahere sub nomine monasterii sæpe dicti præsumpserit, ac ipso sigillo contractus debitorum hujusmodi communire; quare iidem abbas et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut, cum monasterium ipsum sic gravare nequiverit jam amotus, tranquillitati ejusdem monasterii, cui ex hoc grave posset dispendium evenire, paterna super hoc providere sollicitudine dignaremur. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus occasione contractuum factorum ab ipso B., postquam amotus fuit a regimine monasterii memorati, non permittentes ipsum monasterium a quoque temere molestari, molestatores monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, veritate cognita, compescendo, litteras super hujusmodi factas contractibus decernatis irritas et inanes. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XVI kalendas junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXCI

Ad abbatem et conventum monasterii Udalrici Augustensis.

17 maii 1221.

[Monumenta Boica, XXII, 205.]

Sub beati Petri et sua protectione conventum Sancti Udalrici et omnia bona quæ possidet suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii Sancti Udalrici Augustensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ impræsentiarum rationabiliter possidet aut in futurum justis modis præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem parochiam vestram ad luminaria ipsius monasterii deputatam, sicut eam juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XVI kalendas junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXCII

Ad Johannem Bituricensem archiepisc.

19 maii 1221.

[Martene., Thesaurus anecd., I, 878.]

Contra Judæos in Bituria novas synagogas constituentes.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Bituricensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad audientiam nostram, quod Judæi in tua diœcesi habitantes, synagogas

de novo contra sanctiones canonicas construere præsumpserint. Ideo fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, synagogas ipsas facias demoliri, fideles si qui se opposuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Laterani, XIV kalendas junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXCIII

Ad universes abbates ordinis Sancti Benedicti per Remensem provinciam constitutos.

20 maii 1221.

[Fonds Moreau, Mss., t. 129, p. 73. Biblioth. nationale.]

Honorius ratificat et confirmat duodecim capitula, seu statuta regularia, in quodam capitulo generali apud Sanctum Quintinum coadunato proposita, et ad abbatem Sancti Bertini transmissa, secuti et ad omnes abbates ordinis Sancti Benedicti per provinciam Remensem constitutos.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis abbatibus ordinis Sancti Benedicti per Remensem provinciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Benedicti vos a Domino qui fecit cœlum et terram, quoniam æmulantes charismata meliora, et ad anteriora vos cum Apostolo dirigentes, de gratia in gratiam et de virtute auditi [estis] proficere in virtutem, dum in mandatis Domini laudabiliter delectati consilia laudabilius amplexantes, ut amplius et perfectius Domino placeatis, non solum quæ in ordine vestro corrigenda et reformanda inventa sunt, corrigere ac reformare curastis, verum etiam provide attendentes quod tantum quis propriæ adimit libertati, quantum se divinæ subjicit servituti, regulam in qua cupitis Domino famulari quasi viam excellentiorem aggressi, servare irrevocabiliter statuistis. Sicut enim, tam per dilectum filium Guillelmum abbatem Andreusensem, quam per litteras vestras nostris auribus intimastis, quum anno præterito apud Sanctum Quintinum pro celebrando, juxta generalia statuta Concilii, capitulo generali, et statu ordinis reformando unanimiter conveneritis, dilectis filiis..... de Jumien., et..... de Vacellis abbatibus, Cisterciensis ordinis, evocatis continuato biduo, secundum regulam beati Benedicti et eorum abbatum consilium, quædam, quæ per desidiam omissa fuerunt, revocastis, et quædam ordinastis noviter observanda. Quæ in duodecim distincta capitulis, prædictus Andreusen. abbas ex parte omnium vestrum nobis humiliter repræsentans, ea opportune importune petiit confirmari quæ quidem a vobis, utcumque correcta, tenore præsentium duximus declaranda.

Primum videlicet ut quotiens regula beati Benedicti legitur in capitulo, ille qui præest, vel alius ejus vice, ipsam exponat simplicibus et minus intelligentibus in vulgari, et qui regit capitulum quolibet die, cum omnibus in capitulo adunatis, pro summo Pontifice ac statu Ecclesiæ Romanæ, nec non pro subventione ac restauratione Terræ Sanctæ, ac pro benefactoribus suis, decantatis septem psalmis, in ecclesia, orationes faciat speciales.

Secundum, ut ab hora completorii usque ad diem sequentem districte silentium teneatur, et ut nullus monachus nisi senex vel infirmus aut valetudinarius seu ex itinere fatigatus extra dormitorium collocetur.

Tertium ut extra infirmariam monachi existentes, ad horas regulares occurrere teneantur, et si quis defuerit, nisi forte occupatione canonica præpeditus, in capitulo proximo se coram omnibus prostratus accuset, culpam propriam humiliter recognoscens.

Quartum ut abbates cum conventibus suis simul viventes, cum eis regulariter comedant, psallant, legant, nisi forte necessitas hospitum hoc impediat, vel alia justa causa, nec tamen in hospitio vel camera sine sacra lectione ac testibus de conventu.

Quintum, ut nullus prior conventualis cameram, equos aut familiam teneat, nec forinsecam administrationem aut prioratum seu curtem vel grangiam audeat possidere, sed juxta officii sui nomen, ad omnem regulæ observantiam exhibere studeat se priorem.

Sextum ut nulli monachi claustrati liceat administrationem aliquam ecclesiasticam vel secularem ad jus monasterii pertinentem ad firmam tenere; nec fas sit ei fidejubere pro alio vel alium pro se fidejussorie obligare.

Septimum, ut juxta beati Benedicti regulam nequissimum vitium retinendi proprium evitetur ab omnibus, ita ut extra

fratrum et etiam laicorum cœmeterium tumuletur qui, tempore mortis, in eo fuerit deprehensus.

Octavum ut, juxta morem Cisterciensium, ter in anno ad minus, candelis accensis, monachi fures, incendiarii et proprietatem habentes, excommunicantur in omnibus monasteriis et in capitulo generali.

Nonum ut nulli monacho liceat post factam professionem uti camiseis aut linteaminibus lineis, sed solis laneis sint contenti, exceptis femoralibus aut mappulis ad auricularia involvenda, nisi de misericordia senibus scabiosis, vel juvenibus infirmis hæc indulgentur ad tempus.

Decimum ut sex abbates per duodecim diœcesis Remen. provinciæ, quolibet anno, secundum loca sibi proprie assignanda, bini et bini, monasteria monachorum et monialium visitent, inquirentes de statu eorum tam circa spiritualia quam circa temporalia diligenter, et quicquid invenirent corrigendum tam in capite quam in membris scriptum referant ad capitulum generale.

Undecimum ut si monachus vel conversus de incontinentia vel de dilapidatione aut de discordia inter fratres seminanda, per fratres coram visitatoribus citra formam judicii convincatur, juxta quantitatem et qualitatem excessus, secundum regulam per eos congrue castigetur.

Duodecimum, ut nec abbas nec monachus in urbi vel castro ubi monasterium situm est, alibi quam in monasterio audeat hospitari, nisi talis fuerit forte viator qui cum festinantia Romam petat, vel alterius provinciæ, ut persona quæ cum aliquo potente honeste moretur, ut si forte humiliter petenti hospitium fuerit denegatum, ponantur exinde culpabiles juxta existimationem capituli generalis.

Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, supra dicta capitula sicut provide statuta sunt, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, ita tamen quod exinde nec ecclesiis, nec aliquibus ecclesiarum prælatis præjudicium generetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XIII kalendas junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXCIV

Ad Albertum archiepiscopum Magdeburgensem et Fridericum Halberstadensem et Ekkehardum Merseburgensem episcopos.

21 maii 1221.

[Heinemann, Codex Anhaltinus, p. 43, n. 51.]

Eis mandat ut Henrico, comiti Ascariæ, excommunicato ob mutilationem Gernoti abbatis, personalem satisfactionem competentem injungant.

Honorius episcopus, etc., venerabilibus fratribus Alberto archiepiscopo Magdeburgensi, et Friderico Halberstadensi et Ekkehardo Merseburgensi episcopis, salutem.

Quum nobilis vir Henricus, comes Ascariæ, Halberstadensis diœcesis, ad nostram accedens præsentiam, postularet instanter, ut ab excommunicationis sententia, cui ob mutilationem dilecti filii Gernoti, abbatis monasterii Nieuburgensis denuntiatus fuerat subjacere, ad cautelam absolveremus eumdem; nos, quia denuntiatio ipsa videbatur rite facta fuisse, sicut archiepiscoporum, episcoporum et aliorum quam plurium litteræ nobis directæ plenius continebant, ejus instantiæ non duximus annuendum; sed idem comes de sua salute sollicitus demum nobis et fratribus nostris humiliter supplicavit, ut ad componendum inter ipsum et monasterium memoratum intendere dignaremur. Unde compositione inter ipsum et dilectum filium Rodegerum monachum et procuratorem monasterii ante dicti, qui mandatum tam ad componendum quam ad agendum habebat, mediante nostro et fratrum nostrorum studio, celebrata, quæ in aliis litteris nostris plenius continetur, ipsum comitem recepto ab eo corporaliter juramento, et nihilominus fidejussoria cautione quingentarum marcharum, absolvi fecimus juxta formam Ecclesiæ consuetam injungentes eidem quæ ad præsens juxta Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, vidimus injungenda, salvis mandatis aliis super hoc per nos faciendis eidem. Quia vero super mutilatione prædicti abbatis adeo validæ præsumptiones sunt contra comitem memoratum, ut pro scandalo tollendo cogendus ad satisfactionem congruam exhibendam merito videatur, fraternitati vestræ per

Apostolica scripta mandamus, quatenus enormitate excessus, et laboribus ac expensis, quas subiit propter hoc ad Sedem Apostolicam veniendo, ac aliis circumstantiis provida consideratione pensatis, personalem satisfactionem competentem injungatis eidem, quam si exhibere contempserit, ipsum in eamdem sententiam sub Apostolica obedientia reducatis. Quod si non omnes, duo vestrum, etc. Datum Laterani, XII kalendas junii, anno quinto.

CCCXCV

Ad archiepiscopum Cantuariensem S. R. E. cardinalem et episcopum Saresteriensem.

23 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 649. Mss. La Porte du Theil.]

Pactis inter Berengariam Anglorum olim reginam, atque Henricum regem de illius dote initis auctoritatem suam adjungit.

Honorius, etc., venerab. fratrib. nostris Cantuariensi archiepiscopo sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali, et episcopo Saresteriensi, salutem, etc.

Ex injuncto nobis officio servitutis incumbit quum illius vicem licet immeriti geramus in terris, qui non est dissensionis Deus, sed pacis, ut iis, quæ amicabili sunt compositione sopita, munimen Apostolicum apponamus, ne relabantur in iterato scrupulum quæstionis et oriatur dissensio inter eos, quos debet unire vinculum caritatis. Inde est, quod cum charissimus in Christo filius noster H. rex Anglorum illustris suis nobis litteris supplicavit, ut compositionem inter charissimam in Christo filiam B. quondam Anglorum reginam illustrem ac ipsum, super observatione compositionis, quam super dote ejusdem reginæ, et quibusdam aliis cum claræ memoriæ J. rege patre ipsius H. inierat, et arreragiis quatuor millium, et quingentarum librarum sterlingorum, quæ sibi debebantur ex compositione prædicta amicabiliter inita, robur faceremus habere perpetuæ firmitatis, appositis quæ videremus securitatibus expedire; ac ex parte ipsius reginæ postulatum fuerit illud idem. Nos tam ipsius regis, quam dictæ reginæ precibus annuentes, et compositionem eamdem provide factam auctoritate Apostolica confirmantes, eos, qui contra ipsam venire præsumpserint excommunicationis vinculo decernimus innodatos. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnes contra compositionem hujusmodi venientes, auctoritate nostra excommunicatos publice nuntietis. Quod si non ambo, etc. Alter vestrum. Datum Laterani, X kalendas junii anno quinto.

Scriptum est in eumdem modum eidem reginæ, *usque* decernimus innodatos. Nulli ergo omnino hominum, etc., nostræ confirmationis, et constitutionis infringere. Si quis autem, etc. Datum ut supra.

CCCXCVI

Ad monasterium Pruvigensem.

23 maii 1221.

[Monumenta Boica, XIII, 198.]

Confirmatio Apostolica curtis Oberndorf, eidem monasterio.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Pruvigen., salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, curtem de Oberndorf cum decimis et pertinentiis suis, sicut eam juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Laterani, X kalend. junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXCVII

Ad Trecensem capitulum.

24 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 694. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne novas consuetudines inconsulto episcopo introducere præsumant.

Honorius, etc., dilectis filiis Trecensi capitulo.

Quum sicut venerabilis frater noster..... Trecensis episcopus nobis exposuit consuetudines antiquas et de suo, ac prædecessorum suorum assensu hactenus approbatas, teneamini firmiter observare, ac pravas, et præter ipsius assensum inductas de novo maxime abolere, auctoritate vobis præsen-

tium inhibemus, ne novas consuetudines, vel statuta, eodem inconsulto episcopo, unde scandalizari debeat inducatis; juste latas ab ipso interdicti sententias observantes, non obstante consuetudine contraria, vel statuto. Datum Laterani, IX kalend. junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXCVIII

Ad archiepiscopum Senonensem.

24 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 693. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut capitulum Trecense, si per episcopum Trecensem contemptum a divinis cessaverit castiget.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Senonensi.

Venerabilis frater noster... Trecensis episcopus nobis humiliter supplicavit, ut quum Trecense capitulum in contemptum episcopi sui multotiens cessare consueverint a divinis, super hoc ei paterna providere sollicitudine dignaremur. Inhærentes igitur statuto generalis Concilii, per quod provisum ut episcopis in hac parte [obediatur], fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si præfatum capitulum, maxime in contemptum sui episcopi cessaverint a divinis, eodem nihilominus in ecclesia cathedrali, si voluerit, celebrante, tu ad querelam ipsius, auctoritate nostra taliter ipsum capitulum per censuram ecclesiasticam cognita veritate castiges, quod de cætero similia non attentent, præsentibus litteris ultra biennium minime valituris. Datum Laterani, IX kalend. junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCXCIX

Ad electum Atrebatensem.

27 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 665. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem, tribuendi facultatem priorissæ et conventui de Fossa Nigri ordinis, monasterii locum et regulam mutandi.

Honorius, etc., dilecto filio electo Atrebatensi.

Dilectæ in Christo filiæ.... priorissa et conventus monasterii de Fossa Nigri ordinis nobis humiliter supplicarunt ut, cum monasterium ipsum situm in loco inhabitabili ad locum transferre congruum, et habitum Cisterciensium fratrum ac observantias recipere desiderent eorumdem, earum desiderio favorem apostolicum impendere dignaremur. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus circumstantiis locorum, in quo situm est et ad quem transferri deliberant memoratum monasterium diligenter inspectis, si absque scandalo et alieni juris præjudicio fieri poterit, id faciendi liberam eis auctoritate nostra tribuas facultatem. Datum Laterani, VI kalend. junii, anno quinto.

CCCC

Ad Magalonensem episcopum.

29 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 669. Mss. La Porte du Theil.]

Ecclesias, SS. Genesi et Genesii de Gigano, Sancti Andreæ de Cucullis, et Sancti Petri de Agnantico ipsi auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., venerabili fratri Magalonensi episcopo.

Justis petentium, etc. Ea propter, etc., *usque* assensu. Ecclesiam Sanctorum Genesi, atque Genesii de Gigano, ecclesiam Sancti Andreæ de Cucullis et ecclesiam Sancti Petri de Agnantico ad jus episcopale specialiter reservatas, sicut eas canonice possides et quiete, ad exemplar felicis recordationis Lucii et Innocentii prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, tibi tuisque successoribus auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Nostræ confirmationes infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, IV kalendas junii, anno quinto.

CCCCI

Ad abbatem et conventum Septem Fontium ordinis Præmonstratensis.

29 maii 1221.

[Hugo, Annales Præmonstratenses, II, 493.]

Indulget ut religiosis Septem Fontium parochiarum regimen tradatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Septem Fontium, Præmonstratensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Id nec petitur improbe, nec indigne

conceditur, per quod sic quæritur petentis utilitas, ut alterius justitia non lædatur. Hinc est quod vestris precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut liceat vobis vestras ecclesias ad vos pleno jure spectantes, cum vacabunt, aliquibus de fratribus vestris committere gubernandas; quorum unus diœcesano episcopo præsentetur, et ab eo curam recipiens animarum, teneatur vobis de temporalibus, ipsi vero episcopo de spiritualibus et episcopalibus justitiis respondere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, IV kalendas junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCII

Ad Henricum comitem Ascariæ.

29 maii 1221.

[Heinemann, Codex Anhaltinus, p. 44, n. 52.]

Henrico comiti Ascariæ compositio inter ipsum et abbatem Nieuburgensem confirmatur.

Honorius episcopus, etc., dilecto filio nobili viro Henrico, comiti Ascariæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Ea, quæ pro bono pacis provide ordinantur, scripturæ decet authenticæ commendari, ne per oblivionis incommodum in recidivæ quæstionis scrupulum relabantur. Sane quum dilectus filius Radegerus monachus et procurator Gernoti abbatis et conventus monasterii Nieuburgensis, contra te in nostra præsentia constitutus, multa tam super exoculatione et mutilatione abbatis ejusdem quam super diversis gravaminibus et injuriis, quæ occasione advocatiæ dicebaris eorum monasterio irrogasse, proponere curavisset, nos eis diligenter auditis, ad concordiam inter te ac abbatem et conventum prædictos reformandam, curantes interponere partes nostras, de consensu tuo et procuratoris ejusdem, qui mandatum tam ad componendum quam ad agendum habebat, sic duximus providendum, ut videlicet triginta tantum marcharum redditus annuatim percipiendus in certo loco vel locis, tibi et tuis hæredibus per prædictum abbatem Nieuburgensem in bonis monasterii memorati advocatiæ nomine assignetur ita, quod tu vel tui hæredes nec in monasterio ipso nec in hominibus, vel aliis rebus seu juribus ejusdem monasterii, occasione advocatiæ, aliquid ulterius exigetis vel recipietis quoquomodo, nec vos aliquibus monasterii negotiis immiscebitis, nisi a monasterio requisiti. Requisiti vero ipsum monasterium defendere teneamini, ita, quod defensionem hujusmodi non extendetis, nisi quatenus ipsum monasterium sibi viderit expedire. Quod si forte contra veneritis, et prædicto advocatiæ nomine et præfato redditu sitis ipso jure privati. Ad rei ergo memoriam et perpetuam firmitatem provisionem seu compositionem hujusmodi, quam tu et procurator prædictus in præsentia nostra sponte ac concorditer recepistis, præsenti paginæ annotari fecimus et bullæ nostræ munimine roborari. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, IV kalendas junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCIII

Ad Magalonensem episcopum.

29 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 360. Mss. La Porte du Theil. Mém. de la Société Archéol. de Montpellier, V, p. 552.]

Indulget ei ut non obstantibus frivolis capituli sui objectionibus, personis quas ipse judicaverit idoneis, archidiaconatum et sacristiam ecclesiæ suæ possit providere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Magalonensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Nostræ sollicitudinis est ecclesiarum providere quieti, amputando in eis materiam jurgiorum. Quia igitur, quum archidiaconatum ac sacristiam ecclesiæ tuæ vacare contingit, illi quorum assensum teneris requirere in eisdem dignitatibus conferendis interdum ordinationem ipsius ecclesiæ impedire nituntur, personis a te nominatis non opponentes aliquid rationabile seu canonicum et probationes. Nos volentes malitiæ hujusmodi obviare, ad exemplar felicis memoriæ Cœlestini papæ, prædecessoris nostri, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut, si illi quorum assensum requirere in prædictarum dignitatum collatione teneris, personas quas eis nominaveris recusaverint, nisi aliquid rationabile et cano-

nicum contra eas objecerint, et legitime requisiti probaverint, liceat tibi, contradictione seu appellatione ipsorum nequaquam obstante, auctoritate Apostolica personis idoneis ipsius ecclesiæ dignitates conferre prædictas, infra tempus in Lateranensi Concilio constitutum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ, concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, IV kalendas junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCIV

Ad monasterium Hildesleuense.

29 maii 1221.

[Riedel, Diplomatische Beiträge, I, 26.]

Personas ac bona monasterii Hildesleuensis sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii Hildesleuensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas et monasterium vestrum, in [quo] divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsenti rationabiliter possidetis, aut in futuro justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem villas Cruzezhe, Woltwi, Bozezhe et Putgorize. In Dollen. vero ecclesiam cum quatuor mansis, in Mesberghe octo mansos, in Gheroldestorp octo mansos, in Enendorp octo mansos, in Wissemengere tres mansos, in Osterhusen tres mansos et dimidium et unum pratum, in Howersleue duos, in Snadersleue unum et dimidium, in Meyndorp unum mansum, in minori Wellen duos, in Ochmersleue unum, in minori Rodensleue quatuor et dimidium, in Domersleue sexdecim, in Pesekendorp unum, in Emeringhe septem, in majori Rodensleue quatuordecim et dimidium, in Drakenstede decem, in Druchtesberghe tres et dimidium, in minori Druchtesberg dimidium mansum, in Dodendorp unum, in Gropendorp tres, in Emmede duodecim mansos et quatuor jugera, in Tlechtigh duos mansos et octo jugera, in Stenvorde unum, in Wederigh mansum et dimidium, ac medietatem villæ de Smervelde. Libertates quoque et immunitates, a regibus et principibus et aliis fidelibus ipsi monasterio pia et provida deliberatione collatas, sicut ea omnia juste ac pacifice obtinetis, vobis et per vos monasterio vestro, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, IV kalendas junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCV

Ad priorem Grandimontensem.

30 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 656. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet, ne quousque fratrum Grandimontensium numerus sit redactus, ullum fratrem recipiat.

Honorius, etc., dilecto filio priori Grandimonten.

Quum ecclesiæ tuæ facultatibus et eleemosynis, quibus sustentari consueverat, imminutis, fratres ipsius loci sicut multorum relatione didicimus, gravem necessariarum [rerum] penuriam patiantur, ex qua suboriuntur murmura inter ipsos, nos ad eorum tranquillitatem debita sollicitudine intendentes, auctoritate tibi præsentium inhibemus, ne quousque fratres ordinis tui, ad eum numerum sint redacti, quod etiam ejus statu pensato, ipse ordo videatur pluribus indigere, aliquem sine speciali Apostolicæ Sedis licentia recipias in clericum, vel conversum; nisi forte talis esset persona, de cujus receptione utilitas evidens ecclesiæ tuæ accedere videretur. Datum Laterani, III kalendas junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCVI

Ad decanum, Guidonem de Lageri, et Durandum canonicos Remenses.

31 maii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 666. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam examinandi petitionem Stephani clerici, qui apud Apostolicam Sedem questus erat, quod a Laudunensi episcopo non acceptus fuerat in pastorem ecclesiæ de Bisel, quanquam a decano et capitulo Sancti Johannis in Burgo Laudunensi jus in eadem ecclesia patronatus obtinentibus, præsentatus fuisset.

Honorius, etc., dilectis filiis decano Guidoni de Lageri et Durando canonicis Remensibus.

Exposita nobis dilecti filii Stephani clerici querimonia declaravit, quod cum idem ad vacantem ecclesiam de Bisel per..... decanum, et capitulum Sancti Johannis in Burgo Laudunensi, qui in eadem ecclesia jus obtinent patronatus, venerabili fratri nostro..... Laudunen. episcopo loci diœcesano fuerit canonice præsentatus, idem episcopus, occasione quarumdam litterarum nullam de patronis facientium mentionem, per quas sibi ab Apostolica Sede injunctum fuisse dicebat, ut ad liberam resignationem G. presbyteri, ecclesiæ ipsius rectoris, personæ idoneæ conferret eamdem, ipsum ad eam admittere noluit minus juste, propter quod nostram audientiam appellavit. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, et auditis quæ duxerint proponenda, quod canonicum fuerit, etc. Testes, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II kalendas junii, anno quinto.

CCCCVII

Ad Portuensem episcopum Apostolicæ Sedis legatum.

2 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 634. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei, ut ab ecclesia castri de Cortedon ad filios Willelmi de Bancio principis Aurasicæ pertinentis, omnes personas, Hugoni de Bancio dicti principis fratri suspectas removeat.

Honorius, etc., venerabili fratri nostro C. Portuen. episcopo Apostolicæ Sedis legato salutem, etc.

Dilectus filius nobilis vir Hugo de Bancio in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cum castrum de Cortedon filiorum claræ memoriæ Willelmi de Bancio principis Aurasicæ, fratris sui, situm sit in Avenionensi diœcesi et ecclesia ipsius castri sit canonicorum Avenionensium specialis, qui commorantes in ipsa frequenter recipiunt Avenionensem episcopum in eodem, et alias civibus Avenionensibus familiares nimis existant, timet ne per canonicos ipsos, quorum plerique de civitate, vel districtu Avenionensi ducunt originem, sive etiam per ipsum episcopum, vel ejus familiam, procuretur, quod castrum ipsum tradatur proditorie civibus memoratis, qui patre dominorum ipsius castri crudeliter interfecto, ad filiorum quoque destructionem aspirant... Quare nobis humiliter supplicavit, ut super hoc paterna providere sollicitudine dignaremur. Attendentes igitur justam esse causam timoris nobilis memorati, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnibus canonicis, et personis aliis suspectis nobili sæpedicto, vel nepotibus ejus, ab ecclesia memorata remotis, et ad Avenionensem ecclesiam, vel ejus membra transmissis, per personas suspicione carentes ipsi ecclesiæ facias congrue deservire. Universos redditus ipsius ecclesiæ, deducto sustentatione illorum qui servitio deputabuntur ejusdem, faciens Avenionensi capitulo, vel canonicis, qui a dicta removebuntur ecclesia fideliter ministrari, nullo per remotionem hujusmodi generato præjudicio Avenionensi capitulo vel personis ab ipsa ecclesia removendis, quum, dictæ suspicionis causa cessante, libere, sicut hactenus fecisse noscuntur, possideant ecclesiam sæpedictam. Datum Laterani, III nonas junii anno quinto.

CCCCVIII

Ad eumdem.

2 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 635. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit ei ut Hugoni de Bancio principis Aurasicæ in bello contra hæreticos defuncti.... et adhuc etiam contra hæreticos belligeranti, quingentas marchas Pontificis nomine, ex pecunia a Massiliensibus in manus archiepiscopi Arelatensis deposita, faciat assignari.

Dilectus filius nobilis vir Hugo de Bancio

in nostra proposuit præsentia constitutus, quod ipse, ac claræ memoriæ Willelmus de Bancio, princeps Aurasicæ frater ejus, fidei zelo, et felicis memoriæ Innocentii Papæ prædecessoris nostri precibus et promissis inducti, bellum contra Raymundum quondam comitem Tolosanum et ejus complices susceperunt, unde præter amissiones quorumdam castrorum, et innumera damna personarum et rerum, quæ fuerunt hac de causa perpessi, præfatus princeps ab Avenionensibus inaudita fuit crudelitate peremptus. Quare idem Hugo pro se ipso, et pro hæredibus dicti principis, nobis humiliter supplicavit, ut pro consilio ipsorum, adhuc contra inimicos fidei animo indefesso certantium, specialem legatum ad illas partes legationis tuæ, quæ sunt citra Rhodanum, cum tu ibi personaliter eidem nobili adesse non valeas mitteremus, qui fideles contra hæreticos et hæreticorum fautores in eisdem partibus consistentes excitaret per indulgentias, et per collectas etiam sustentaret, suæ petitioni adjiciens, ut quum terra ejus per guerram inimicorum fidei christianæ plurimum sit exhausta, de pignoribus Massilien. nomine tuo ab.... archiepiscopo Arelatensi receptis, quæ, sicut dicitur, summam duorum millium marcharum attingunt, vel de collectis factis, pecuniarium sibi conferri subsidium faceremus. Licet igitur legatum ad partes illas non duxerimus destinandum, volentes tamen quantum decet annuere precibus nobilis memorati quum et devotio ejus erga Romanam Ecclesiam, et damna, quæ tum in aliis, tum maxime in amissione prædicti fratris sui pro fidei defensione sustinuit, nobis sint, et evidentia facti, et multorum testimonio manifesta, fraternitati tuæ per Apostolica scripta, mandamus, quatenus de pecunia a præfatis Massiliensibus exsolvenda, quingentas marchas eidem nobili nostro nomine facias assignari; de collectis vero citra Rhodanum de tuo consilio in posterum faciendis impendas sexcentas marchas eidem, ut factus de devoto devotior, pugnare velit et valeat contra christianæ fidei perversores, et alii exemplo ejusdem nobilis provocati accendantur ad devotionem Ecclesiæ et defensionem fidei orthodoxæ. Quia vero, nostra voluntas est ut eidem nobili per te omnino fiat subventio memorata; volumus, ut taliter te habeas in hac parte, quod ipsi nobili per nos non videatur aurum, [tributum] quia id sicut indecens, et indignum, ita nobis grave existeret, et molestum. Datum Laterani, IV nonas junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCIX

Ad Philippum regem Francorum.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 696; et Duchesn., Rerum Franc., V, 856.]

Minus feliciter procedente Ludovici, regis filii, adversus Tolosanos expeditione, rogat regem Honorius, ut bellum contra eosdem instauret, et obsequatur episcopis a se delegatis ad populos novis indulgentiis excitandos.

Post Bouquetium hanc epistolam recudimus in libro IV, die 2 junii 1220; sed patet datam fuisse 2 junii 1221, ex contextu primæ epistolæ ad Conradum datæ die 3 ejusdem mensis, in qua legitur : « Ad negotii jamdicti subsidium, carissimum in Christo filium nostrum Ph. regem Francorum illustrem et regnum ejus satagimus excitare. » (Vid. hujus t., col. 444.)

CCCCX

Ad consules et populum Nemausenses.

3 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 686. Mss. La Porte du Theil.]

Jubet ut legato pareant, alioquin minatur se eorum civitatem episcopali dignitate privaturum.

Honorius, etc., consulibus et populo Nemausen. spiritum consilii sanioris.

Exspectantes exspectavimus, ut censuram canonicam de vestra salute sollicite formidantes, tandem aliquando ad unitatem ecclesiasticam rediretis, ac ideo licet vobis fuerimus comminati, quod civitatem vestram privaremus episcopalis dignitatis honore, diœcesim vestram per circumstantes episcopos divisuri, hactenus tamen suspendimus nostræ comminationis effectum, ne possetis conqueri quod ad pœnam hujusmodi promptiores debito fuissemus; sed vos abutentes nostræ longanimitatis patientia, et thesaurizantes vobis indignationem et iram, neque molliri blanditiis, neque minis aut flagellis corrigi hactenus potuistis. Licet igitur Apostolica commonitione reddideritis vos indignos, nos tamen non quid vestra mereatur duritia, sed quid apos-

tolicam gravitatem deceat attendentes, adhuc quoque universitatem vestram monemus, rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus infra duos menses post susceptionem præsentium humiliter redeatis ad ecclesiasticam unitatem, præcise jurando in manibus venerabilis fratris nostri C. Portuensis episcopi, Apostolicæ Sedis legati, ac præstando alias idoneas cautiones, quod parebitis mandatis omnibus, quæ nos vel ipse legatus vobis duxerimus facienda, facientes; quod si, sano usi consilio, nostris acquieveritis monitis et mandatis, nos eam curabimus erga vos mansuetudinem exhibere quod demum gaudebitis vos Apostolicæ Sedis jugo colla humiliter submisisse. Alioquin pro certo noveritis, quod prædictæ dignitatis honore civitatem vestram privabimus, ejus diœcesim convicinis diœcesibus applicantes, ac insuper per sententiam expresse vobis abjudicabimus omnia bona vestra, quum et vestra perversitas et statutum generalis Concilii contra hæreticos et eorum fautores editum id exposcat, nec confidatis in eo, quod nunc vobis successisse videtur, quasi possitis contra Dominum prævalere, quia si hujusmodi sententiam contra vos ferri contigerit, sero tandem incipietis cognoscere, quam infirma sit illa possessio, cui quis sine justo titulo noscitur incubare. Datum Laterani, III nonas jun. anno quinto.

CCCCXI

Ad episcopum Ratisponensem.

3 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 692. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut magistrum Wernerum præbenda gratificet.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Ratisponensi.

Sicut relatum est nobis dilectus filius magister Wernerus ad tuum et ecclesiæ tuæ servitium totum se studuit exhibere, ita quod propter hoc, tempore nostro et felicis recordationis I. Papæ, prædecessoris nostri, sæpe sæpius ad Sedem Apostolicam veniendo graves labores sustinuit et pene intolerabiles angustias est perpessus; unde per se noscitur meruisse, ut maxime ei liberalitatis [portam] aperias, et remuneratione ipsum congrua consoleris. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus et hortandam per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ejusdem magistri diuturnum obsequium qua decet retributione prosequens meritorum eidem in ecclesia præbendam, si qua vacat, vel si non vacat cum obtulerit se facultas, conferas liberaliter et assignes, ita quod de labore solatium se gaudeat reperisse, ac alii ejus exemplo ad servitium tuum, et ejusdem ecclesiæ fortius animentur. Datum Laterani, III nonas junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXII

Ad Raymundum filium R. quondam comitis Tolosani.

3 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 685. Mss. La Porte du Theil. Cf. Raynald., Ann. eccl., ad ann. 1221, t. XX, § 44.]

Denuntiat nisi ad officium redeat, illa ditionis parte qua ex benignitate Sedis Apostolicæ donatus fuerat, exutum iri.

Honorius, etc., nobili viro Raymundo filio R. quondam comitis Tolosani spiritum consilii sanioris.

Cum Tholosa et alia terra quam pater tuus ultra Rhodanum quondam obtinuit sibi per Apostolicam Sedem fuerit abjudicata perpetuo exigentibus culpis suis, eadem Apostolica Sedes sperans, quod ipsius patris tui pœna te ab ejus vestigiis absterreret, in manibus suis retinuit terram illam, quam citra Rhodanum idem pater tuus obtinuit, ut videlicet de terra tibi provideret eadem, si te dignum gratia hujusmodi exhiberes. Tu vero ejusdem Patris tui vestigiis deserendis inhærens fovisti, et foves hæreticos, fideles autem impugnasti, et incessanter impugnas, ita ut non solum hæreticorum fautorem, sed etiam hæreticus videaris, et tam terram ipsi patri tuo, ut prædictum est abjudicatam omnino, quam eam, quæ fuit pro tua provisione servata, violenter invadens, et in ea fovens hæreticos et receptans, excommunicationis sententiam, propter hoc in te latam, multis jam annis pertinaciter contemnendo, ita exhibuisti Apostolicæ Sedis gratia te indignum, ut spe provisionis, quam tibi in præfata terra circa Rhodanum reservavit jamdudum justissime potuerit te privare... Adhuc autem experiri volentes, utrum blanda monitio emollire possit cordis tui duritiam

teque ad viam rectitudinis revocare, nobilitatem tuam monemus et exhortamur in Domino, per Apostolica tibi scripta mandantes quatenus apud temetipsum recogitans quanti periculi sit, quod precisus es ab ecclesiastica unitate, ad sinum Ecclesiæ, quæ parata est recipere redeuntes, humiliter revertaris, in manibus ven. fratris nostri C. Portuen. episcopi, Apostolicæ Sedis legati præcise jurando, et præstando alias idoneas cautiones, quod parebis mandatis omnibus quæ nos vel ipse tibi duxerimus facienda; sciens quod si usus consilio, infra duos menses post susceptionem præsentium feceris quod hortamur, nos quantumcumque Sedis Apostolicæ gratiam demerueris, ad provisionem tuam de qua Sedes Apostolica, ut prædictum est, pie ab initio cogitavit taliter intendemus, quod Romanam Ecclesiam erga te matris viscera fateberis habuisse. Alioquin habeas pro constanti, quod etiam spe reservatæ provisionis te omnino privabimus, et per sententiam expresse tibi abjudicabimus etiam dictam terram citra Rhodanum existentem, nec confidas in eo quod nunc tibi successisse videtur, quasi contra Deum valeas prævalere, quia si tibi abjudicari contigerit terram ipsam, nunquam illam excommunicatus diu poteris retinere, cum ab ea possessione sit facile dejici, quæ sine justo titulo noscitur detineri. Datum Laterani, III nonas junii anno quinto.

CCCCXIII

Ad archiepiscopum Rhothomagensem et suffraganeos ejus Rothomagensis et Remensis provinciarum, et prælatis per has provincias constitutos.

3 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 680. Mss. La Porte du Theil.]

Archiepiscopo Rhemensi legato per has provincias adversus hæreticos constituto ipsos obedientes esse jubet.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopo Rothomagen. ac Remens. et Rothomagen. ecclesiarum suffraganeis et dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prælatis, ac Christi fidelibus universis per Remen. et Rothomagen. provincias constitutis; salutem, etc.

Divinas recensentes historias invenimus ibi semper infideles gravius corruisse, ubi surrexisse altius videbantur, ibique præcipue profecisse fideles ubi videbantur amplius defecisse. Et ut de multis exemplis aliqua proferamus, Philistæi, arca Domini capta, Israelitas ad ima depressos, et se exaltatos ad sublimia crediderunt; sed mox aggravata manus Domini super eos, ipsorum fastuosa elatio corruit, et humilitatem Israelitici populi miraculosa ipsius arcæ relatio exaltavit. Sic Samaria obsessa tam arcte, et tanta famis afflictione oppressa, ut caput asini octoginta argenti venderetur, nec jam videretur nisi deditionis consilium superesse; divina potentia saturos obsessores in fugam miraculose convertit, et obsessos famelicos insperatæ abundantiæ satietate refecit. Sic rege Assyriorum obsidente Jerusalem et adeo in sua potentia gloriante, ut Deo viventi etiam exprobaret, multitudo, in qua confidebat, angelo Domini percutiente una nocte interiit, et eos qui non de humanis viribus, sed de sola divina misericordia confidebant, Dei potentia de obsidionis angustia liberavit. Licet igitur negotium fidei, pro quo in partibus Provinciæ tanto sudore laboratum est, et tanto labore sudatum, videatur graviter corruisse, animi tamen fidelium non debeant in hujusmodi ruina concidere, sed, quod est virtutis proprium, fortiores exurgere in adversis, suum jactantes in Domino cogitatum, qui novit elisos erigere et suos in ipsa tribulationis angustia dilatare. Unde nos ad relevationem ipsius negotii, de divina confisi misericordia sollicite intendentes, venerabili fratri nostro Remensi archiepiscopo in omnibus, quæ ad negotium ipsum spectant, legationis officium in provinciis vestris duximus committendum, concessa ei plenaria potestate faciendi tam in indulgentiis, quam in aliis omnia, quæ ad relevationem ipsius negotii viderit expedire, ita tamen, quod vota eorum, qui crucesignati sunt ad subsidium Terræ Sanctæ nolumus aliquatenus commutare. Licet igitur ad subventionem negotii animati sitis, ut credimus, per vos ipsos utpote qui ejus semper fuisse noscimini zelatores, ex abundanti tamen vos ad id ipsum attentius exhortantes, universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus præfatum archiepiscopum sicut Apostolicæ Sedis legatum recipientes, hilariter et honeste tractantes intendatis et obediatis eidem humiliter et devote. Alioquin sententiam, quam ratio-

nabiliter tulerit in rebelles præcipimus, usque ad satisfactionem condignam, firmiter observari. Datum Laterani, III nonas junii, anno quinto.

In eumdem modum scriptum est Senonensi archiepiscopo et suffraganeis ejus et aliis.... Turon. archiepiscopo et suffraganeis ejus et aliis... Burdegalensi archiepiscopo, et suffraganeis ejus et aliis...

CCCCXIV

Ad Conradum Portuensem episcopum, Apostolicæ Sedis legatum.

3 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 681. Mss. La Porte du Theil.]

Burdigalensem provinciam legationi suæ adjungit.

Honorius, etc., venerabili fratri C. Portuen. episcopo Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Divinas recensentes historias...., ut supra, *usque* graviter corruisse. Tuus tamen animus in hujusmodi ruina non concidat; sed, quod est signum virtutis, exurgas fortior in adversis, tuum jactans in Domino cogitatum qui elisos erigit, et suos in tribulatione dilatat. Nos autem ad relevationem ipsius negotii sollicite intendentes, Burdegalensem provinciam tuæ jurisdictioni adjicimus auctoritate præsentium, concedendo tibi plenæ legationis officium in eadem. Ad hæc etiam, fratribus nostris archiepiscopis.... Remensi in sua, et Rothomagensi, Senonensi vero in sua, et Bituricensi et Turonensi provinciis legationis officium committentes. Ad tuum et negotii jamdicti subsidium, charissimum in Christo filium nostrum Ph., regem Francorum illustrem, et regnum ejus satagimus excitare. Tu ergo confortare in Domino, et aliorum corda in amore, ac tuitione sæpedicti negotii verbo et exemplo confirma, tanto majorem consecuturus ab hominibus laudem, et a Domino præmium quanto negotium ipsum esse videtur casu graviore collapsum. Datum Laterani, III nonas junii, anno quinto.

CCCCXV

Ad eumdem.

[Regest., lib. V, epist. 682. Mss. La Porte du Theil.]

Facultates ejus ampliat.

Non sine amaritudine mentis audivimus et referimus, quod quidam episcopi, aliique prælati et ecclesiastici viri, adversarii fidei negotio, non verentur, hæreticis eorumque fautoribus impendendo favorem, consilium, et auxilium nunc publice [dare], nunc occulte, quos si Sedis Apostolicæ reverentia, quæ tantum pro ipso negotio laboravit, ab illorum favore non revocat, divinus saltem timor et amor propriæ famæ ac salutis debuerat revocare. Cum igitur tantæ perversitatis malitia, et tam malitiosa perversitas remanere non debeat impunita, inquirendi, et corrigendi, ac puniendi excessus talium tam regularium et exemptorum, quam aliorum quorumlibet, prout ipsi negotio videris expedire, privilegio Cisterciensibus, templariis, hospitalaris et aliis quibuscumque concesso, seu appellationis diffugio non obstante, libera tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem, eo duntaxat excepto, ut ad dispositionem episcoporum manum, sine nostra speciali licentia, non extendas, alias eos, prout res exegerit, libere puniturus. Datum ut supra.

CCCCXVI

Ad eumdem.

3 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 681. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne capitula ecclesiis pastoribus viduatis, legati injussu, episcopos præficiant.

Honorius, etc., venerabili fratri nostro C. Portuensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Cum per quorumdam defectum et per quorumdam malitiam prælatorum status negotii Jesu Christi in Provinciæ partibus sit graviter perturbatus, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si quas ecclesias cathedrales, aut abbatias tam exemptas quam alias in provinciis et diœcesibus tuæ legationi commissis vacare contigerit, quamdiu in partibus illis officium legationis exerces, auctoritate nostra inhibeas capitulis et conventibus eorumdem ne ad electionem procedant sine tuo consilio, et consensu, decernendo irritum si quid contra hujusmodi prohibitionem fuerit attentatum. Datum Laterani, III nonas junii anno quinto.

CCCCXVII

Ad eumdem.

Eodem die.

[Regest., lib. V, epist. 683. Mss. La Porte du Theil.]

Dare operam jubet ne fideles bonis suis ab exercitu catholico spolientur.

Honorius, etc., venerabili fratri nostro C. Portuen. episcopo, Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nulli sit de prudentia sua, vel merito, sed de sola Dei providentia, et potentia confidendum, valde dolemus, quod fidelium exercitus, sive aliqui de ipso exercitu nonnullos injuste exhæredasse, spoliasse, ac etiam occidisse dicuntur; propter quod creduntur ad indignationem Dominum provocasse ac effecisse, ut ejus manus non sit, prout consueverat, cum eisdem. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad excessus hujusmodi coercendos impendas curam, et sollicitudinem diligentem, quoslibet, appellatione remota sine personarum acceptione, corrigens, et compescens prout videris expedire. Datum Laterani, III nonas jun. anno quinto.

CCCCXVIII

Ad comitem Fuxensem filiumque ejus.

3 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 639. Mss. La Porte du Theil.]

Quum Fuxensis et convenarum comites, eorumque filii rem christianam admodum labefactarent illos gravissimis litteris ab eorum consilio conatur avocare.

Honorius, etc., nobilibus viris... comiti Fuxen. et filio ejus spiritum consilii sanioris.

Exspectavimus ut excommunicationis sententiam, culpis vestris exigentibus, in vos latam, aliquando tandem de vestra salute solliciti formidantes, hæreticos fovere, atque defendere cessaretis et rediretis ad sinum Ecclesiæ matris vestræ; sed vos tanquam filii alieni pugnantes pertinaciter contra eam, sic in ipsorum hæreticorum favore ac defensione perstitistis, ut non solum defensores ipsorum, sed etiam ex ipsis non immerito existimari possitis. Licet igitur tanta fuerit contumaciæ vestræ duritia, ut juste jamdudum potuerimus contra vos severius processisse; adhuc tamen experiri volentes utrum blanda monitio vos ad viam rectitudinis valeat revocare : nobilitatem vestram monemus et obsecramus in Domino per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus infra duos menses post susceptionem præsentium redeatis ad ecclesiasticam unitatem precise jurando in manibus venerabilis fratris nostri C. Portuensis episcopi Apostolicæ Sedis legati, ac præstando alias idoneas cautiones, quod parebitis mandatis omnibus, quæ nos, vel ipse legatus vobis duxerimus facienda, scientes, quod si sano usi consilio nostris acquieveritis monitis et mandatis, nos' eam curabimus erga vos mansuetudinem exhibere, quod demum gaudebitis vos Apostolicæ Sedis jugo colla humiliter submisisse. Alioquin pro certo noveritis, quod per sententiam vobis sine spe restitutionis expresse abjudicabimus castrum Fuxi, ac aliam terram vestram, quæ vobis abjudicata non fuit in Concilio generali, quum castrum ipsum in Ecclesiæ Romanæ commissum inciderit, et alias secundum constitntionem concilii memorati promulgatam contra hæreticos et eorum fautores abjudicari vobis possit, et debeat terra ipsa. Nec confidatis in eo, quod nunc vobis successisse videtur, quasi contra Deum prævalere possitis, quia si vobis abjudicari contigerit terram ipsam, nunquam illam excommunicati diu poteritis retinere, cum ab ea possessione sit facile dejici, quæ sine justo titulo noscitur detineri. Datum Laterani, III nonas junii, anno quinto.

In eumdem modum scriptum est nobilibus viris comiti Convenarum, et filiis ejus spiritum consilii sanioris. Expectavimus ut excommunicationis, etc., ut supra *usque* abjudicabimus totam illam terram vestram quæ vobis abjudicata non fuit in Concilio generali. Cum secundum constitutionem ipsius concilii promulgatam contra hæreticos, etc., ut supra *usque in finem.*

CCCCXIX

Ad archiepiscopum Senonensem.

3 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 638. Mss. La Porte du Theil.]

Illum ad excidendas in ipsius diœcesi hæreses auctoritate instruit.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Senonen.

De prudentia et caritate tua indubitatam fiduciam obtinentes in omnibus, quæ spectant ad negotium fidei, quod in Provinciæ partibus geritur, legationis officium, tibi in tua provincia duximus committendum, concessa tibi plenaria potestate faciendi tam in indulgentiis, quam in aliis, omnia, quæ ad relevationem ipsius negotii videris expedire; ita tamen quod vota eorum, qui crucesignati sunt ad subsidium Terræ Sanctæ, nolumus aliquatenus commutari. Ideoque fraternitatem tuam rogamus et hortamur in Domino, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus carissimum in Christo filium nostrum Ph. regem Francorum illustrem, cujus specialiter interest, ut ipsum negotium relevetur, una cum venerabilibus fratribus nostris Remensi et Bituricensi archiepiscopis quibus in Remensi, Turonensi et Rothomagensi provinciis et diœcesi Bituricensi simile officium distincte commisimus, ad ipsius relevationem negotii studeas inducere diligenter, et tam ipsum, quam alios ad id satagens animare; commissam tibi sollicitudinem exsequaris ita sollicite, ac prudenter, quod per hoc crescens nomine apud homines et merito apud Deum, et specialiter nos et fratres nostri qui de prudentia, modestia et circumspectione tua spem non modicam gerimus, eam ex tuis operibus comprobantes merito in tua caritate crescamus. Datum Laterani, III nonas junii, pontificatus nostri anno quinto.

In eumdem modum scriptum est Bituricensi archiepiscopo. De prudentia et caritate tua indubitatam fiduciam obtinentes in omnibus quæ spectant ad negotium fidei, quod in Provinciæ partibus geritur, legationis officium tibi in Turonensi provincia, et tua diœcesi duximus committendum, etc., ut supra *usque* venerabilibus fratribus nostris Senonensi et Remensi archiepiscopis, quibus in Senonensi, Remensi et Rothomagensi provinciis simile officium, etc., ut supra *usque in finem.*

In eumdem modum scriptum est... Remensi archiepiscopo. De prudentia et caritate tua, etc., *usque* legationis officium tibi in Remensi et Rothomagensi provinciis duximus committendum, etc., *usque* venerabilibus fratribus nostris Senonen., et Bituricen. archiepiscopis, quibus in Senonen. et Turonen. provinciis Bituricen. diœcesi simile officium, etc., *usque in finem.*

CCCCXX

Ad Arelatensem archiepiscopum.

6 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 726. Mss. La Porte du Theil.]

Ordinationem in monasterio Sancti Gervasii de Fossa, a Conrado Portuensi episcopo Apostolicæ Sedis legato factam, auctoritate Apostolica confirmat (1).... Inseritur ipsa ordinatio.

Honorius, etc., venerabili fratri Arelaten. archiepiscopo.

Ea quæ per legatos Sedis Apostolicæ provide ordinantur, nostro expedit munimine roborari, ne ulli subjaceant quæstioni, cum immobili firmamento fuerint stabilita. Ea propter, venerabilis in Christo frater, tuis justis supplicationibus grato concurrentes assensu, ordinationem, vel translationem potius quam venerabilis frater noster... Portuensis episcopus, Apostolicæ Sedis legatus, in monasterio Sancti Gervasii de Fossa fecit, prout in ipsius litteris perspeximus continere, sicut provide facta est auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem rei evidentiam, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum præsentibus duximus inserendum, qui est talis :

Conradus miseratione divina Portuensis et Sanctæ Rufinæ episcopus, Apostolicæ Sedis legatus. Universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis tam præsentibus, quam futuris salutem in Christo Jesu. Rerum gestarum series idcirco scriptorum tenore munitur, ne lapsu notitiam posteritatis evitet, dansque locum cavillationibus, et in posteris liberiorem, ea quæ salubriter tempora præcedentia disposuerunt, machinatio fraudulosa succedentium nequiter irritare contendat. Hinc est quod volentes caute casibus occurrere futuris ad notitiam vestram duximus perveniendum. Nos quum adhuc legationis officio fungeremur, infra scriptam potestatem a sanctissimo patre nostro summo pontifice Honorio recepisse in hæc verba :

« Honorius episcopus, servus servorum

(1) Cette lettre est à comparer avec l'article concernant le monastère de Saint-Gervais et Protais, dans la *Gall. christ.*, t. I, col. 602. Ce qui est dit de la construction de cette abbaye n'est pas parfaitement conforme à la teneur de cette lettre.

Dei, venerabili fratri C. episcopo Portuensi, Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem. Cum in terra legationis tuæ multi sint solo nomine regulares, per quorum perversitatem, ecclesiæ, in quibus consistunt, fere in spiritualibus et temporalibus sint collapsæ, collocandi eos in aliis locis ad pœnitentiam peragendam, ac ordinandi easdem ecclesias de personis regularibus, seu etiam secularibus, prout pensatis locorum et temporum circumstantiis videris expedire, liberam tibi concedimus auctoritate præsentium potestatem. Datum Viterbii, idibus decembris, pontificatus nostri anno quinto. »

Ad decorem igitur domus Domini volentes pro modulo nostro plantanda plantare, et secundum potestatem præscriptam extirpanda extirpare; attendentes monasterium Sancti Gervasii de Fossa, Arelatensis diœcesis, ob culpam abbatis, et monachorum quondam dicti monasterii ita esse collapsum, quod vix adjiciet ut resurgat; considerantes etiam diligenter quod vix vel nunquam per viros illius professionis possit dictum monasterium reparari, denique cum per lapsum ipsorum et vitam abominabilem sint populo in derisum, et ab eisdem contemptibiles habentur, exclusis penitus et perpetuo abbate et monachis quondam dicti monasterii, et in aliis locis ad pœnitentiam peragendam collocandis, qui abbatiæ, et monachatui, et juri, quod habebant in monasterio timore probationum inducti, et propriorum criminum conscii renuntiaverunt in manibus venerabilis fratris Hugonis, Arelatensis archiepiscopi; dictum monasterium ad religionem canonicorum regularium duximus reducendum, cum per ipsos melius et facilius ad statum pristinum valeat reparari. Statuentes quod ibidem instituantur quatuor canonici, licet nunc, propter insolentiam abbatis, et monachorum dicti monasterii, quondam vix duo monachi possent in eodem monasterio commorari, qui etiam Dei timore prorsus abjecto non tamquam in monasterio, sed velut in prostibulo residentes de ipsorum conversatione religioni non modica eveniebat detractio, et in populo grave oriebatur scandalum, et enorme. Creantes nihilominus archidiaconum in ecclesia Arelatensi, qui perpetuo, dictis canonicis eidem archidiacono subditis et obedientiam promittentibus præesse debeat et prodesse. Ad provisionem autem archidiaconi, et dictorum quatuor canonicorum assignamus quicquid juris dictum monasterium habebat, vel habere debebat in tota diœcesi Arelatensi, excepta ecclesia Sanctæ Ceciliæ sita juxta castrum novum, quam [forte : *mensæ*] canonicorum Arelatensium perpetuo deputamus. De residuis vero bonis ipsius monasterii, monasterium monialium Cisterciensis ordinis duximus construendum. Sane cum per privilegia et indulgentias Romanorum Pontificum nobis constiterit evidenter, quod dictum monasterium de bonis episcopalis mensæ sit fundatum, et ad ipsum archiepiscopum jus pertineat patronatus, urbis Hugoni Arelatensi archiepiscopo, et per vos vestris in perpetuum successoribus concedimus, ut a vobis libere, et absque contradictione qualibet, archidiaconus, et dicti quatuor canonici regulares instituantur ibidem. Archidiaconus vero vobis promittat obedientiam manualem, et tamquam patri, et Domino teneatur in omnibus, et per omnia obedire. Ad hoc volumus et mandamus, ut per institutionem archidiaconatus quam in ecclesia Arelatensi fecimus nullum fiat præjudicium aliis dignitatibus seu personatibus in eadem ecclesia consuetis. Datum Biterris, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo, XIV kalendas martii.

Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Datum Laterani, octavo idus junii anno quinto.

CCCCXXI

Ad abbatem et conventum Sancti Pontii ordinis Cisterciensis.

7 junii 1221.

[Gallia Christiana, I, instrum. 129.]

Fundatio Parthenonis Sancti Petri de Almanarra.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo abbatissæ et conventui Sancti Pontii Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ea quæ per legatos Sedis Apostolicæ provide ordinantur, etc., ut in epistola præcedenti *usque* ad pœnitentiam peragendam, collocandis, in ecclesia Sancti Petri de Almanarra Tolonensis diœcesis monasterium monialium Cisterciensis ordinis duximus construendum, quod monasterium volumus

et mandamus subesse omnino monasterio Sancti Pontii Massiliensis diœcesis, in quo, ut dicitur, magna viget religio, et ibidem monialibus commorantibus laudabile testimonium a pluribus perhibetur. Ad provisionem autem monialium in monasterio Sancti Petri de Almanarra commorantium, assignamus quidquid juris habebat vel habere debebat monasterium quondam Sancti Gervasii in episcopatibus Tolonensi et Forojuliensi, vel aliis locis, excepto quod archidiaconatus Arelatensis, et excepta ecclesia Sanctæ Cæciliæ juxta Castrumnovum, quam mensæ canonicorum Arelatensium assignavimus, et exceptis ecclesiis Sancti Vincentii de Jons Massiliensis diœcesis, et Sanctæ Mariæ de Cupresso Aquensis diœcesis, quas dicto monasterio Sancti Pontii in perpetuum assignamus. Verum quia ad quælibet loca nostræ legationis personaliter accedere non valemus, volentes nihilominus partiri onera nostra inter fratres venerabiles, fratres B. Magalonensem episcopum et F. episcopum Tolonensem ad monasterium Sancti Petri de Almanarra duximus destinandos, committentes discretioni eorumdem, de qua plane confidimus, quod si quid circa provisionem dictarum monialium augmentando vel diminuendo duxerint innovandum, nostra freti auctoritate, libere et sine ulla contradictione qualibet valeant immutare ac ordinare. Datum Biterris, XI kalendas martii.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VII idus junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXII

Ad Romanum Portuensem episcopum.

7 junii 1221.

[Ripolli, Bullarium Prædic., t. VII, p. 4.]

De ordine (1) militiæ Jesu Christi constituendo.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri R...... (2) Portuensi episcopo (3) Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum quidam Christianæ fidei zelatores ordinem militum institui desiderent in provincia Narbonensi qui, sicut Templarii (4) contra Saracenos pugnant in partibus Orientis, ita in partibus illis decertent contra hæreticam pravitatem pro pacis ac fidei negotio, et ecclesiastica libertate, nos eorum laudabili desiderio favorem Apostolicum impendentes, constituendi hujusmodi ordinis secundum aliquam de religionibus approbatis, liberam tibi concedimus, auctoritate præsentium, facultatem, illis, juxta morem quorum elegerint vivere milites memorati, nullam per hoc jurisdictionem habituris in ipsos, nisi forte se, illis subdere voluerint spontanea voluntate. Datum Laterani, VII idus junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXIII

Ad abbatissam et moniales S. Laurentii de Venetiis.

7 junii 1221.

[Cornelius, Ecclesiæ Venetæ, XI, 102.]

Monasterium S. Laurentii a solutione decimarum liberat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ et mo-

(1) Ex archivo ordinis cujus auctor fuit S. pater Dominicus, ut in tractatu *De consensu Bullarum*, tom. ultimo, tit. 14.

(2) Romano scilicet Bonaventuræ, de quo Ciaconius, tom. II *Vitæ pontif. et cardinali*, pag. 35; Ughellus, tom. I *Italiæ sacræ* in episcop. Portuen. num. XL, pag. 130, edit. Venetæ, cæterique, quos isti laudant.

(3) Hinc liquet, Romanum episcopum Portuensem jam antea renunciatum fuisse, et ex hoc emendandi scriptores, qui de hoc episcopatu locuti sunt; Ciaconius enim hanc electionem refert ad annum MCCXXII. Oldoinus in *Additionibus ad Ciaconium* loco mox laudato, ad annum MCCXXXI, vel MCCXXXVI; Odoricus Raynaldus ad annum MCCXXV; Ughellus ad annum MCCXXVII.

(4) Sic dicti quia juxta templum Domini, in palatio regio mansionem habebant Hierosolymis, ubi equestris ordo militum Templi institutus est anno MCXVIII. Confirmatus est autem anno MCXXVIII in concilio Trecensi, præside Mathæo cardinali episcopo Albanensi, S. Sedis legato, ibique militibus illis tradita regula, et habitus albi coloris præscriptus, cui postea super pallium crucem rubeam attexi curavit Eugenius III anno MCXLVI. Regula legitur ad calcem concilii Trecensis. Hujus institutus finis erat, vias publicas custodire, fideles ab infidelibus, et peregrinantes ad loca sacra, christianos a prædonum insidiis, et Sarracenorum, Christiani nominis hostium, incursibus defendere, ac tutari. Adeas auctores, quos laudat, et excipit Carolus Du Cange in *Glossario*, verbo *Templarii*, Consulendi etiam Labbeus, et Aubertus Miræus de origine ordinum Equestrium.

nialibus S. Laurentii de Venetiis, salutem et apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benevolum impartiri. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus ut de novalibus quæ propriis sumptibus colitis aut de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VII idus junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXIV

Ad episcopum Ambianensem.

9 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 300. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem canonicos ecclesiarum Sancti Nicolai et Sancti Firmini ad residendum cogendi.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Ambianen.

Ex tua insinuatione didicimus, quod licet ex proventibus præbendarum ecclesiarum Sancti Nicolai et Sancti Firmini Ambianen. ipsarum possent canonici congrue sustentari, multi tamen ex ipsis quanquam suarum proventus percipiant præbendarum, in eisdem non curant ecclesiis residere; unde cum ex hoc eædem ecclesiæ debitis obsequiis defraudentur, concedi tibi a nobis humiliter postulasti, ut, post liberam receptionem canonicorum in eisdem ecclesiis, ipsos ad residentiam in eis [cogere posses]. Quantum coram Deo possumus, annuere precibus cupientes, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut, receptis libere in ecclesiis prædictis canonicis, eos ad faciendam in ipsis residentiam, si earum consuetudo non obstat, valeas prout ecclesiarum ipsarum utilitate expedire videris coarctare. Datum Laterani, V idus junii anno quinto.

CCCCXXV

Ad archipresbyterum, officialem, et P. Belli canonicum Bituricenses.

10 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 698. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut sententiam Apostolicam super numerum canonicorum in ecclesia Lemovicensi faciant observari.

Honorius, etc., dilectis filiis archipresbytero, officiali, et P. Belli canonico Bituricen.

Olim primo ad bonæ memoriæ G. Bituricensem archiepiscopum, secundo ad dilectos filios, decanum Bituricensem et collegas ejus super ordinatione Lemovicensis ecclesiæ, in qua nimis imminutus dicebatur esse numerus personarum, litteris a Sede Apostolica impetratis et nullo processu habito per eosdem, Lemovicense capitulum, ad quorum notitiam non pervenerat hujusmodi litteras emanasse, [propter] instantiam [eorum], qui eos super filiorum, et propinquorum suorum receptione graviter infestabant, cum nec possent omnibus satisfacere, nec gratificari aliquibus sine odio aliorum, vicesimum quintum canonicorum numerum statuerunt in præfata ecclesia, et juramento præstito confirmarunt, salvis quibusdam præbendis extra dandis, quæ de antiqua consuetudine quibusdam clericiis et laicis exhibentur. Postmodum vero ad venerabilem fratrem nostrum Petragoricensem episcopum et ejus collegas fuerunt aliæ super ordinatione ipsius ecclesiæ litteræ impetratæ, in quibus etiam de certo numero, qui statutus in eadem ecclesia fuerat, mentio facta fuit. Unde præfatum capitulum intellecto, quod super ordinatione prædicta variæ fuerant litteræ impetratæ, statutum ipsum a nobis obtinuit confirmari, expresso in confirmationis litteris, quod multi per litteras pro ordinanda ipsa ecclesia impetratas idem statutum infringere nitebantur. Porro, cum dictus Petragoricen. episcopus et collegæ sui eidem capitulo certum terminum assignassent, tandem idem episcopus, et alter collegarum ipsius Lemovicum accesserunt, et post appellationes multiplices, Petrum de Monteculi, et B. Reilier, ac tredecim alios nominarunt in canonicos ecclesiæ sæpedictæ, in ea quantum in ipsis fuit instituentes eosdem. Capitulo igitur asserente vitiosum

esse processum, et nominatorum multitudinem onerosam, ac propter hoc, ordinationi hujusmodi resistentes, dilectus filius... decanus et magister S. Mauritii canonicus Lemovicensis pro ipso capitulo, et præfati P. et B. pro se ac pro aliis nominatis propter hoc ad nostram præsentiam accesserunt, quibus dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad velum aureum diaconum cardinalem, dedimus auditorem; sed jamdicti P. et B. coram eodem cardinali pro se dumtaxat agentes, pro aliis nominatis in ecclesia prædicta canonicis agere noluerunt. Nos igitur his, quæ coram auditore prædicto fuerunt hinc inde proposita, per ejus relationem plenius intellectis, quia invenimus et appellationem legitimam præcessisse et nominatorum numerum excessisse ipsius ecclesiæ facultates, de fratrum nostrorum consilio sententialiter irritavimus quod de præfatis P. et B. per dictos Petragoricensem episcopum et ejus socium factum fuit. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod a nobis est sententialiter diffinitum, facientes firmiter observari, ecclesiam ipsam fatigari contra nostram diffinitivam sententiam non sinatis. Contradictores censura ecclesiastica, sublato appellationis obstaculo, compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, IV idus junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXVI

Ad Conradum Portuensem episcopum, Apostolicæ Sedis legatum.

10 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 323. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut in terra legationi suæ commissa, Ecclesiarum exemptarum prælatos cujuscumque sint ordinis ad conferenda negotio belli contra hæreticos subsidia cogat.

Honorius, etc., venerabili fratri nostro Portuen. episcopo Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Quum bona Ecclesiæ speciale sint patrimonium Jesu Christi, vix aut nunquam utilius possunt expendi quam pro tuenda Christianæ fidei veritate. Quare satis videtur absurdum ut ecclesiæ, vel monasteria, quæ per privilegia Sedis Apostolicæ sunt exempta, occasione hujusmodi libertatis, quominus negotio Jesu Christi auxilium conferant, eximantur; quin conditioni eorum in nullo penitus dirigatur, quantumcumque de bonis suis erogatur in beneplacito conditoris. Ideoque fraternitatem tuam monemus attente per Apostolica scripta mandantes, quatenus in terra tuæ legationi commissa, ecclesiarum exemptarum prælatos tam Cistercien., quam Cluniacen., seu Præmonstraten. ordinum, ut prædicto negotio conferant sicut ecclesiæ aliæ non exemptæ, moneas efficaciter et inducas, et si opus fuerit auctoritate nostra, cessante appellatione compellas. Datum Laterani, IV idus juni anno quinto.

Ad eumdem.

Eodem die.

[Regést., lib. V, epist. 324. Mss. La Porte du Theil.]

Et quanto pravitatis hæreticæ sectatores, in suæ perversitatis errore pertinaciter obstinati, contra Deum et Ecclesiam audacius insolescunt, tanto catholicæ fidei zelatores in sua fidelitate constantes insurgant fortius contra eos; expedit ut bona ecclesiastica, quæ cum sint speciale patrimonium Jesu Christi, nunquam utilius quam pro defensione christianæ fidei expenduntur, in auxilium assumantur, quum tantum negotium vix aut nunquam sine magnis sumptibus ad votum valeat promoveri. Ideoque fraternitatem tuam monemus attente per Apostolica scripta mandantes, quatenus in terra tuæ legationi commissa studeas ordinare, ut de proventibus ecclesiasticis, pensatis ecclesiarum facultatibus, tam urgenti necessitate negotii usque ad certum terminum, quem videris expedire, annuatim competens subsidium conferatur. At quidem viri ecclesiastici non sine multæ avaritiæ nota, vel cujusdam occulti favoris suspicione in talibus sua subtraherent, cum nonnulli secularium seipsos obtulerint causam fidei suo sanguine prosequentes; porro confidimus in Domino Jesu Christo, qui superbos dejiciens, exaltat humiles in salutem; quod cito rem faciens sui moris, causam propriam judicabit, ut repente stultorum prosperitas perdat eos, et ecclesia tandem in suarum glorietur tolerantia passionum, exultantibus qui auxilium contulerunt, quod de reliquo reposita est eis corona

justitiæ, quam in illam diem reddet illis Dominus justus Judex. Datum Laterani, ut supra, anno quinto.

CCCCXXVII

Ad monasterium S. Stephani.

11 junii 1221.

[Dumoustier, Neustria pia, 641.]

Illud monasterium et ejus possessiones sub beati Petri protectione et sua suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, salutem, etc.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilectissimi in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium Sancti Stephani Cadomensis, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis memoriæ Alexandri Papæ III, prædecessoris nostri, cujus privilegii tenorem, in ejus perspeximus contineri regesto; in jus et tutelam beati Petri, et nostram, suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus : statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium, in præsentiarum juste, ac canonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus illibata permaneant. Ad hæc, prædicti antecessoris nostris vestigiis inhærentes, statuimus, nullum ecclesiastica seu sæculari præditum dignitate, in rebus, vel dispensatione monasterii prælibati, aliquam habere, præter romanum pontificem, potestatem : sed omne jus ipsius monasterii, ad sollicitudinis nostræ, successorumque nostrorum decernimus studium pertinere. Si autem alicujus episcopi molestia prægravati fueritis, sanctamque Apostolicam Sedem appellaveritis, donec causa vestra ad Romanum deferatur pontificem, et ab eo, vel de mandato ipsius terminetur, nulli ulterius episcoporum liceat contra vos litem movere. Prohibemus etiam ne Bajocensis episcopus, pro qualibet abbatis, vel monachorum culpa, eos præsumat excommunicare, vel in monasterio divinum officium prohibere. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi astutia qualibet subreptionis, seu malitia, præponatur, nisi quem fratres communi assensu, vel fratrum pars sanioris consilii, secundum Dei timorem, et B. Benedicti regulam, providerint eligendum. Præterea, liberas et absolutas personas e sæculo fugientes, liceat vobis ad conversionem vestram suscipere, et eas absque ullius contradictione in vestro collegio retinere. Chrisma vero, oleum sanctum, dedicationes ecclesiarum, consecrationes altarium, ordinationes monachorum et clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi; laicorum etiam, qui criminalia peccata incurrerint, consilia, et pœnitentiarum injunctiones, a Bajocensi suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam, atque communionem Apostolicæ Sedis habuerit, et illa gratis, absque ulla pravitate vobis voluerit exhibere : alioquin liceat vobis quem malueritis catholicum adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur, indulgeat: et maxime si ordinationes monachorum et clericorum vestrorum, ultra unius mensis spatium, secundum quod ab eodem antecessore nostro statutum est, episcopus Bajocensis distulerit. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel abbatiam retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia, et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolica auctoritate; si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existat, de perpetrata iniquitate cognoscat : et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat : atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi : quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et

apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Honorius catholicæ Ecclesiæ episc.

Ego Guido, prænestinus episcopus.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diaconus cardinalis.

Ego Stephanus, basilicæ Duodecim Apostolorum presbyter.

Ego Gregorius presbyter.

Datum Laterani, per manum Willelmi S. R. E. vicecancellarii, III idus junii, indictione IX, Incarnationis Domini anno MCCXXI, pontificatus vero Domini Honorii Papæ, in anno quinto.

CCCCXXVIII

Ad abbatem Gernotum et conventum Nieuburgensem.

11 junii 1221.

[Heinemann, Codex Anhaltinus, p. 45, n. 53.]

Abbati et conventui Nieuburgensi compositio inter ipsos et comitem Ascariæ confirmatur.

Honorius, etc.

Ea quæ pro bono pacis provide ordinantur, scripturæ decet authenticæ commendari, ne per oblivionis incommodum in recidivæ quæstionis scrupulum relabantur. Sane quum dilectus filius Rodegerus monachus et procurator vester contra nobilem virum Henricum comitem Ascariæ, in nostra præsentia constitutum, multa tam super exoculatione et mutilatione tua, fili abbas, quam super diversis gravaminibus et injuriis, quæ occasione advocatiæ vobis et monasterio vestro irrogasse dicebatur nobilis memoratus, proponere curavisset, nos eis diligenter auditis, ad concordiam inter vos et eumdem comitem reformandam, curantes interponere partes nostras de consensu dictorum comitis et procuratoris, qui mandatum tam ad componendum quam ad agendum habebat, sic duximus providendum, ut videlicet triginta tantum marcarum redditus annuatim percipiendus in certo loco vel locis, prædicto comiti et ejus hæredibus in bonis monasterii vestri per te, fili abbas, advocatiæ nomine assignetur ita, quod ipse comes vel hæredes ejus nec in monasterio **ipso nec in hominibus vel aliis rebus seu juribus ejusdem monasterii occasione advocatiæ aliquid ulterius exigent vel recipient quoquomodo, nec se aliquibus monasterii negotiis immiscebunt, nisi a monasterio requisiti. Requisiti vero ipsum monasterium defendere teneantur, ita tamen, quod defensionem hujusmodi non extendent, nisi quatenus ipsum monasterium sibi viderit expedire. Quod si forte contra venerint, et prædicto advocatiæ nomine et præfato redditu sint ipso jure privati. Ad rei ergo memoriam et perpetuam firmitatem provisionem seu compositionem hujusmodi, quam comes et procurator prædicti in præsentia nostra sponte ac concorditer receperunt, præsenti paginæ annotari fecimus et bullæ nostræ munimine roborari. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, III idus junii, pontificatus nostri anno quinto.**

CCCCXXIX

Ad scholasticum et pœnitentiarium Ambianensem.

11 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 310. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut B. monachum monasterii Sancti Fusciani Ambianensis qui se in quodam ergastulo fecerat intrudi, ad monasterium suum revocent.

Honorius, etc., dilectis filiis scholastico et pœnitentiario Ambianen.

Dilecti filii major et sanior pars conventus monasterii Sancti Fusciani Ambianen. diœcesis nobis humiliter supplicarunt ut B. monachum ejusdem monasterii virum litteratum, providum et honestum, qui dudum in quodam ergastulo se fecit intrudi motu propriæ voluntatis, ad dictum monasterium revocari misericorditer faceremus. Nos igitur præmissorum fratrum devotis precibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus memoratum B. ut ad claustrum suum redeat sub abbatis sui obedientia regulariter moretur, auctoritate nostra monere diligentius, et inducere procuretis. Datum Laterani, III idus junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXX

Ad Hugonem Ostiensem episcopum, Apostolicæ Sedis legatum.

13 junii 1221.

[Pennotus, Cleric. Can. Hist., p. 205.]

Legato qui, quum nullo modo speret quod monasterium S. Petri in Cœlo aureo per monachos nigros valeat reformari, mandat ut transferantur ad dictum monasterium canonici ordinis Sancti Augustini Mortariensis ecclesiæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Ostiensi Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Benigne tuas recepimus litteras continentes, quod te accedente Papiam, inter alia reperisti monasterium S. Petri in Cœlo aureo nobis immediate subjectum, adeo in spiritualibus, et temporalibus esse collapsum; quod nisi per Sedis Apostolicæ providentiam relevetur, nunquam adjicere poterit, ut resurgat. Idem quoque monasterium pro majore parte est dirutum, et debito septem millium librarum monetæ Papiani oppressum; rursus abbas ejusdem loci ea occasione, quod ad nimiam jam memoratum monasterium dissolutionem pervenit, noviter est occisus. Sane constitutis per te religiosis personis ad bona monasterii procuranda in solutionem debiti convertenda, et monachis interim donec illud ab hujusmodi respirat onere, in diversis monasteriis collocatis, cum nunquam speretur, quod locus ipse per Nigros valeat monachos reformari, considerasti esse congruum, et reformationi ejusdem expedire vidisti, si Mortariensis ecclesiæ ordinis Sancti Augustini ad prædictum monasterium, ubi corpus ipsius requiescere dignoscitur, transferatur, cum canonici ejusdem ecclesiæ laudabile habeant testimonium, et dictum monasterium satis fuerit honorabile inter cætera provinciæ Lombardiæ; insuper a nobis in eisdem litteris postulasti, ut nostrum super hoc beneplacitum scriberemus. Multorum enim prælatorum ejusdem provinciæ recepimus litteras supplicantium, ut ad prædictum monasterium eamdem ecclesiam transferamus, ac proponentium hoc ipsi monasterio, et eisdem canonicis expedire, pro eo quod præfatum monasterium per eosdem canonicos, qui vita, et conversatione, Deo, et hominibus sunt accepti, facilius, et melius, quam per alios creditur reformandum: et inde iidem canonici liberius insistere poterunt regularibus institutis, qui hactenus in eadem ecclesia sæpe passi propter continua guerrarum discrimina, destructionis, et combustionis incommodum nequiverunt, quæ sui sunt ordinis commode observare. Nos igitur plenam de fraternitate tua fiduciam obtinentes per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus super hoc, consideratis singulis circumstantiis, auctoritate nostra, cum ea, quæ convenit maturitate, procedas, prout, secundum Deum videris procedendum. Datum Laterani, idus junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXXI

Ad Fredericum Romanorum imperatorem et regem Siciliæ.

13 junii 1221.

[Huillard-Bréholles, Hist. dipl., II, 190, et Raynald, Ann., ad anno 1221, § 6.]

Honorius Fredericum Romanorum imperatorem hortatur ad galeas quas præparare fecit in auxilium christiani exercitus transmittendas, celeriter, cum multi jam de mora ejus murmurent sibique dilationem voti præcipue imputent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Frederico, Romanorum imperatori, salutem et apostolicam benedictionem.

Si aliqua, etc. Utinam attenderes quam desiderabiliter te præstolatur exercitus christianus militans Domino in partibus transmarinis, et adverteres quantam de te spem promiseris Ecclesiæ generali, credenti pro certo, quod proponens Hierusalem in principio lætitiæ tuæ, postpositis aliis, ad recuperationem ejus totis desideriis aspirares, præsertim cum ad hoc tibi Dominus omnem obtulerit facultatem. Sed nunc multi murmurant, multi clamant quod postponis exsequi votum tuum; at ut velle illud exsequi videaris galeas quas feceras præparari detines, quasi tecum in tuo comitatu ducturus easdem : quæ si forsitan nunc transirent magnum possent conferre auxilium exercitui christiano qui eo indiget vehementer. Ut igitur hoc a te opprobrium auferas, nec nos facias ab homi-

nibus lacerari qui dilationem voti nobis præcipue imputantes contra nos jurant incessanter, imo ut illi complaceas cujus te obsequio devovisti, serenitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, obsecrantes per Dominum Jesum Christum, quatenus ei qui est veritas, verax existens, causam ejus in veritate pertractes. Datum Laterani, idibus junii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXXII

Ad canonicos sæculares in monasterium de Vithuhu, Cenadiensis diœcesis.

14 junii 1221.

[Fejer, Codex diplom. Hungariæ, III, I, 314.]

Honorius canonicos sæculares in monasterio de Vithuhu cum consensu regio illocatos, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, C. præposito, et canonicis de Vithuhu, Cenadiensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut venerabilis frater noster Dominus Cenadiensis episcopus olim nobis exposuit, idem in suæ reperit promotionis initio ecclesiam vestram, quæ Nigrorum fuerat monachorum, in spiritualibus et temporalibus destitutam, et consistentes ibi personas, regulari abjecta observantia, inter alia, quæ committebant enormia intra ejusdem loci septa, falsam fabricavere monetam; ita quod distractis propter hoc mobilibus et immobilibus in eam cruces ecclesiæ, necnon calices, et alia vasa sacra conflarent. Cumque ipsius loci monachi ex tantorum criminum conscientia, indignationem regiam et ejusdem episcopi metuentes, ab eadem ecclesia migravissent, et de regalibus ei non posset personis commode provideri; episcopus ipse cum B. Augustino claudos habere maluit, quam mortuos deplorare. Unde prædictam ecclesiam personis vacuam, et facultatibus spoliatam, de sæcularibus duxit canonicis ordinandum te, fili carissime, cujus expertam habebat industriam, in ipsius præpositum instituto, postmodum vero cui idem episcopus et capitulum, tam humiliter, quam suppliciter institissent, ut quod super hoc ab eodem episcopo ea causa factum est, misericorditer approbantes, confirmare ordinationem hujusmodi, quæ sicut dicebant, immutari non posset absque gravi ecclesiæ memoratæ dispendio, dignaremur. Nos venerabili fratri nostro Varadiensi episcopo, et C. præposito Albensi nostris dedimus litteris in mandatis, ut super his, et an per canonicos sæculares ipsi ecclesiæ salubriter sit provisum, inquisita sollicite veritate, quod invenirent, nobis fideliter intimarent; qui tandem suas ad nos direxere litteras, continentes : reperisse se statum ipsius ecclesiæ tempore monachorum et modum, et quantitatem excessuum eorumdem, prout nobis fuerat intimatum, et quod ad trium duntaxat monachorum numerum prædicta ecclesia devenisset; facta nunc de spelunca quasi latronum domus orationis, et de iniquitatis hospitio locus Dei. Recepimus etiam carissimi in Christo filii nostri A. Hungarorum regis illustris, et quorumdam prælatorum regni sui litteras, quæ approbari a nobis ordinationem ipsius episcopi de prædicta ecclesia suadebant. Nos igitur regis ipsius, et eorumdem episcopi ac capituli, ac vestris precibus inclinati, quod ab eodem episcopo super hoc factum est, ratum habentes, ordinationem eamdem auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XVIII kalendas julii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXXIII

Ad Romanum S. Angeli diaconum cardinalem, Campaniæ et maritimæ rectori.

15 junii 1221.

[Theiner, Codex diplom. dominii temporalis, t. I, p. 67, n. 108.]

Rectori Campaniæ ac maritimæ, ut cum Terracinensibus nullam ineat pactionem, nisi Signinis prædam ablatam prius restituerint.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio R(omano) Sancti Angeli diacono cardinali Campaniæ maritimæque rectori, salutem, etc.

Grave gerimus et indignum, quod, sicut audivimus, pro eo quod Signini de mandato tuo tecum contra Terracinam in exercitum processerunt, milites Terracinenses et quidam alii maritimani nuper contra eos hostiliter æquitantes, prædam non modicam abstulerunt eisdem non sine nostra et tua

injuria manifesta. Quia igitur interest tua, ne obedientes de sua devotione dispendium, vel de rebellione commodum afferant pertinaces, discretionem tuam monemus attente, per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus nullam omnino a Terracinensibus recipias pactionem, nisi prius Signinis præda integre fuerit restituta : sed tamen illos ac alios prædones, ut prædam restituant, omni qua potes districtione compellas, et de omnibus illis, qui Signiam æquitarunt, diligenter inquirens, eos nobis litteris tuis studeas intimare. Terracinenses autem, ut prædam restituant, moneas, et si monitis non acquiverint, in eos excommunicationis sententiam, appellatione remota, promulges. Datum Laterani, XVII kalendas julii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXXIV

Ad decanum et capitulum ecclesiæ Sancti Castoris in Confluentia Trevirensis diœcesis.

15 junii 1221.

[Wurdtwein, Nova subsidia, t. IV, p. 118.]

Quum inter magistrum Alatrinum et Raynaldum de Puzallia de quadam præbenda vacante quæstio verteretur, voluntarie posuerunt causam litigantes in manibus Pontificis, qui fructus hujus præbendæ inter eos æquis portionibus dividendos esse duxit, donec alia ibidem vacet præbenda.

Honorius, servus servorum Dei, dilectis filiis decano et capitulo ecclesiæ Sancti Castoris in Confluentia, Trevirensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum inter dilectos filios magistrum Alatrinum capellanum, ecclesiæ vestræ præpositum, et Raynaldum de Puzallia subdiaconos nostros super quadam præbenda in ecclesia vestra vacante quæstio verteretur, memorato R. ipsam ea ratione petente, quod de mandato nostro in ecclesia vestra receptus est in canonicum et in fratrem, nec est præbendale beneficium assecutus, et dicto capellano e contrario allegante, quod eum ipse in eadem ecclesia præposituram obtineat et semper præpositi consueverint habere præbendam, in hoc præferendus erat eidem; tandem ambo causam suam in manibus nostris voluntarie posuerunt, ut provideremus exinde juxta nostræ beneplacitum voluntatis. Nos itaque viam æquitatis sectari volentes, ita duximus providendum, ut fructus præbendæ vacantis, donec alia vacet ibidem, inter eos æquis portionibus dividantur ; primam autem vacaturam nostræ donationi ad opus dicti R. ita quod prædictus capellanus istam habeat, duximus reservandam, decernentes irritum et inane, si quid de ipsa præter mandatum nostrum a quoquam temere fuit attentatum, et nequaquam impedientes quominus ipsius præbendæ redditus integre percipiant et quiete, nec occasione consuetudinis qua sicut forte dicitur decedente in ecclesia ipsa persona, mortuo per annum et ecclesiæ per biennium debent redditus conservari in excusationem assumant ; volentes igitur ut quod per nos actum est robur obtineat inviolabilis firmitatis, universitati vestræ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus provisionem hujusmodi tam in una quam in alia firmiter observantes, nec attentetis aliquid contra eam, nec permittatis ab aliquo quantum in vobis fuerit, molestari ; alioquin dilectis filiis abbati S. Albani, scholastico et custodi S. Stephani Mogunt. nostris vos noveritis litteris injunxisse, ut vos ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota, compellant. Datum Laterani, XVII kal. julii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXXV

Ad decanum et capitulum Sanctæ Mariæ in Campis.

17 junii 1221.

[Wurdtwein, Diœcesis Moguntina in archidiaconatus districta, I, 196.]

Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Campis sub beati Petri et sua protectione suscipit Honorius et eidem ecclesias de Sowelenheim et de Hilberseim confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano et capitulo ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Campis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum et honestum tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis præcibus inclinati personas vestras et

locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ impræsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum, præstante Domino, justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem de Sowelenheim et de Hilberseim ecclesias, quas ad supplicationem dilecti filii A. præpositi vestri venerabilis frater noster archiepiscopus Moguntinus, cum capituli sui assensu vobis concesserunt, intuitu pietatis ac alia bona vestra sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XV kalendas julii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXXVI

Ad canonicos de Vituhu, Cenadiensis diœcesis.

19 junii 1221.

[Fejer, Codex diplom. Hungariæ, t. III, p. 316.]

Honorius bona a Cenadiensi episcopo, præpositure de Vituhu donata, et alia confirmat; ipsamque sub suam suscipit protectionem.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, canonicis de Vituhu, Cenadiensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur, etc., *usque* inclinati, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poteritis adipisci; sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem de Jani, de Popi, et de Ponte Ivancæ ecclesias cum suis capellis et pertinentiis earumdem, a venerabili fratre nostro D. Cenadiensi episcopo, sui capituli accedente consensu, pia vobis liberalitate concessas, ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste et pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XIII kal. julii anno quinto.

CCCCXXXVII

Ad episcopum Claromontensem.

20 junii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 343. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut ecclesiam Artonen. accedat, et præbendas tamdiu jam in ea vacantes quod donatio earum ad Apostolicam Sedem delata fuisset, personis idoneis vice sua provideat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Claromontensi.

Ad nostram noveris audientiam pervenisse quod in Artonen. ecclesia tuæ diœcesis tamdiu quædam præbendæ vacarunt, quod donatio earumdem ad nos est, secundum Lateranense concilium, devoluta. Quo circa fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad ecclesiam memoratam accedens, et habens præ oculis solum Deum, inquiras super præmissis diligentius veritatem, et si rem inveneris taliter se habere, præbendas ipsas, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, vice nostra personis idoneis conferas et assignes, et facias ipsas earumdem pacifica possessione gaudere, contradictores, si qui fuerint vel rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Laterani, X kalendas julii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXXVIII

Ad Albertum archiepiscopum Magdeburgensem.

21 junii 1221.

[S. Lentzens., Dipl. Stifts, Hist. von Magdeburg, p. 510.]

Mandat ut compellet O. præpositum ad ordinem diaconatus accedere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Magdeburg., salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod, quum O. major præpositus, archidiaconatum civitatis habeat sive præposituræ annexum et causas audiat cond.....

synodales, idem tam ab ipso, quam a capitulo suo sæpe commonitus ad diaconatus, cum compelli non possit, nec ad ordinem superiorem assumi sine nostra licentia speciali. Nos igitur ordinandi eumdem tibi licentiam concedentes, discretioni tuæ quoad Apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, ipsum ut ad ordinem diaconatus accedat, ex parte nostra moneas et inducas, eumdem ad id, si necesse fuit per archidiaconatus substractionem, appellatione remota, compellens. Datum Laterani, XI kalendas julii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXXIX

Ad præpositum et conventum S. Lucii Curiensis diœcesis.

24 junii 1221.

[Mohr, Codex diplom., t. II, p. 292, n. 219.]

Monasterio S. Lucii confirmatur collatio ecclesiæ in Benedure ab Arnaldo Curiensi episcopo facta.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et conventui Sancti Lucii Præmonstratensis ordinis Curiensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam in Benedure, vobis a venerabili fratre nostro Arnaldo Curiensi episcopo, de sui capituli assensu collatam, sicut eam juste ac pacifice possidetis et in prædictorum episcopi et capituli litteris plenius continetur, auctoritate vobis Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VIII kalendas julii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXL

Ad Joannem archiepiscopum Turonensem, et ad episcopum Cenomanensem.

24 junii 1221.

[Piolin, Histoire de l'église du Mans, t. IV, p. 581, n. 69.]

Illis mandat ut in eo statu et libertate capellam regiam S. Petri de curia Cenomanensi dimittant in quibus tempore Henrici et Ricardi regum Angliæ noscitur extitisse.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo, Turonensi et episcopo Cenomanensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Charissimi in Christo filii nostri Philippus et Henricus Anglorum reges illustres suis nobis intimaverunt [litteris] quod cum capella regia Sancti Petri de curia Cenomanensi, temporibus præclaræ memoriæ Henrici et Ricardi regum Angliæ, nec non prædecessorum vestrorum, gavisa fuit libertate omnimoda, sub solo Romano Pontifice constituta, vos eorumdem prædecessorum juribus non contenti, in eorumdem regum opprobrium, et Apostolicæ Sedis injuriam ejus infringere libertatem volueritis. Super hoc ad abbatem Sancti Petri Carnotensis suosque collegas, in quos procuratores ejusdem ecclesiæ capellæ consenserunt, litteris impetratis, Unde tam dicti reges quam carissima in Christo filia nostra Berengaria quondam Angliæ regina illustris, nunc ejusdem capellæ patrona, et dilectus filius P. electus cameræ, nostræ, Apostolicæ Sedis legatus, et venerabilis frater noster Lincolniensis episcopus, et quam plures alii fide digni quibus plene constare dicitur de libertate prædicta, nobis humiliter supplicarunt ut eadem non permitteremus infringi, scilicet ipsam potius faceremus illibatam servari. Nos igitur tam prædictorum quam reginæ in Christo filiæ et Romanorum imperatoris illustris et reginæ Siciliæ precibus annuendo, nolentes ejusdem capellæ statum in Apostolicæ Sedis injuriam, et eorumdem regum opprobrium immutari, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in eo statu et libertate capellam dimittatis eamdem in quibus tempore prædictorum regum et hucusque noscitur extitisse, contenti tantummodo illis quibus prædecessores vestri noscuntur fuisse contenti, nihil aliud exigentes ab eadem capella quam

quæ iidem ab ejusdem capitulo receperunt; alioquin dilectis filiis abbati majoris monasterii, et decano Sancti Martini Turonensis et thesaurario Sancti Hilarii Pictaviensis nostris dedimus litteris in mandatis, ut ipsi eamdem, prædictis litteris nequaquam obstantibus, in prædictis statu et libertate, nostra fieret auctoritate, confirmantes præmissa, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, exsequantur, contradictores si qui fuerint vel rebelles per censuram ecclesiasticam, etc. Datum Laterani, VIII kalendas julii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXLI

Ad Walterum comitem Crotonensem.

26 junii 1221.

[Theiner, Cod. diplom. dominii temp., I, 67, n. 109.]

Illi mandat ut a molestanda civitate Reatina desistat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Waltero comiti Crotonensi, magistro regni Justitiario, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum non dubites de beati Petri patrimonio civitatem existere Reatinam, vix credere potuimus quod tu hostiliter velis, sicut relatum est nobis, procedere contra eam, in quo non tantum civitatem eamdem quantum Ecclesiam Romanam offenderes, quæ ad civitatem ipsam suum specialius inclinat affectum, et eam inter suos arctius tenet amplexus. Quocirca discretionem tuam rogandam duximus et hortandam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus sicut coram habes gratiam Apostolicæ Sedis et nostram, ab omni civitatis ipsius et civium suorum gravamine, quod patienter a nobis sustinendum non esset, penitus conquiescas. Parati etenim sumus justitiæ plenitudinem exhibere pro his, quæ tu et alii contra civitatem habueritis supradictam. Datum Laterani, VI kalendas julii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXLII

Ad archipresbyterum F. et Jul. canonicum Pistorienses.

26 junii 1221.

[Lami, Ecclesiæ Florentinæ mon., III, 1212.]

Mandat ut causam de jure parochiali vertentem inter plebanum et capitulum ecclesiæ S. Stephani ex una parte et priorem Sancti Donati ex altera ad finem perducant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis archipresbytero, F. et J. canonicis Pistoriensibus, salutem etc.

Sua nobis dilecti filii plebanus, et capitulum ecclesiæ Sancti Stephani petitione monstrarunt, quod cum causam inter ipsos ex una parte, et priorem Sancti Donati, Florent. diœcesis ex altera, super jure parochiali ecclesiæ supradictæ ac rebus aliis vertentem, vobis commiserimus terminandam, vos in causa ipsa jam elapso biennio procedere hactenus non curastis. Ne igitur prorogando judicium justitiæ derogetis, discretioni vestræ per iterata scripta præcipiendo mandamus, quatenus in eadem causa juxta priorum litterarum continentiam ratione prævia sine moræ dispendio procedatis. Datum Laterani, VI kalendas julii, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXLIII

Ad Conradum capellanum et pœnitentiarium suum.

3 julii 1221.

[Regest., lib. V, epist. 315. Mss. La Porte du Theil.]

Metensi episcopo propter fractionem tibiæ morbo laboranti dilationem voti in Terram Sanctam indulget.

Honorius, etc., dilecto filio magistro Conrado capellano et pœnitentiario nostro, salutem, etc.

Audivimus quod venerabilis frater noster... Metensis episcopus, imperialis aulæ cancellarius, fractionem tibiæ patiatur, propter quod sui voti executio impeditur; quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus veritate super hoc diligentius inquisita, si rem inveneris ita esse, dilationem sibi ad sui voti præsumptionem usque ad aliud passagium auctoritate nostra concedas. Datum Laterani, V nonas julii, pontificat. nostri anno quinto.

CCCCXLIV

Ad Romanum Portuensem episcopum, Apostolicæ Sedis legatum.

16 julii 1221.

[Federici Istoria de' caval. Gaudenti, II, Cod. dipl., 5, n. 7.]

Honorius respondet Romano cardinali legato, episcopo Portuensi, se recepisse de nova instituenda militia a quodam Savarico et sociis ejus, in auxilium Amalrici comite de Monteforte, litteras et nuntios, ipsique legato mandat ut statuat super his quod viderit statuendum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri R. Portuen. episcopo, Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Præsentatæ nobis fraternitatis tuæ litteræ continebant quod P., Savarici miles, lator præsentium, cum quibusdam sociis suis, ad præsentiam tuam accedens, humiliter supplicavit, ut signaculum crucis quod defert, sibi et ejus sociis, nomine pœnitentiæ in remissionem suorum imponeres peccatorum, specialiter ad expugnandum hæreticos, et defendendam ecclesiasticam libertatem in Narbonensi et Auxitanensi provinciis, et regionibus convicinis, juxta beneplacitum et nutum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, secundum observantiam ordinis fratrum militiæ Templi in omnibus, habitu duntaxat excepto, toto tempore vitæ suæ. Tu vero ipsius et dilecti filii nobilis viri Amalrici comitis Tolosani, qui jam quosdam redditus sibi dedit et adhuc plures alios se daturum promisit, ac baronum suorum precibus inclinatus, eum, de venerabilium fratrum nostrorum.... Auxitanensis archiepiscopi, ac.... Tolosani.... Agathensis.... ac quorumdam aliorum episcoporum consilio, ad nostram duxisti propter hoc specialiter præsentiam destinandum, rogans humiliter et devote ut deferendi crucem jam dictam et observandi ordinem antedictum, prout superius est expressum, sibi et ejus sociis licentiam concedere dignaremur. Nos igitur de discretione tua plenam fiduciam obtinentes, ipsum ad te qui de prædicto negotio, et ipsius circumstantiis universis, intelligere poteris plenius veritatem, duximus remittendum, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandantes, quatenus auctoritate nostra statuas super his, quæ secundum Deum ad honorem Ecclesiæ ac defensionem fidei atque pacis, videris statuenda. Datum Laterani, XVII kalendas augusti, pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXLV

Ad Sigfridum archiepiscopum Maguntinum.

20 julii 1221.

[Wurdtwein, Nova subsidia, IV, 114.]

Mandat episcopo Maguntino ut eligat quatuor vel tres viros cujuscumque ordinis ac ipsos ad Sedem Apostolicam transmittat ad sollicitudinem diversarum gentium destinandos.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Maguntin., salutem et apostolicam benedictionem (1).

Ne, si secus vineam Domini nostræ curæ commissam positas undique solitudines redigere neglexerimus ad culturam, et propagare in eis propagines, quæ flores odoris et fructum afferant honestatis, possimus merito de torpore seu desidia reprehendi; licet undecima sit hora, operiaros tamen in ipsas proponimus destinare, qui sarculo prædicationis ex circumadjacentibus nationibus vitiorum spinas evellentes et vepres, et extendentes in easdem palmites fidei, compluentes illas aquis, quæ transeunt inter medium montium, ipsas florere faciant et virtutum germina germinare, ac sic, effundente Domino spiritum de excelso in solitudine, judicium, quo se cum Deo et coram Deo, ne ab eo judicetur, judicet, habitet flatque nationum desertum in Chermel, in veræ circumcisionis scientiam veniendo, et postquam intraverit gentium plenitudo, tandem reconciliationis justitia sedeat in Chermel, in israelitico populo, qui nunc reputatur in saltu. Verum cum multi per Dei gratiam ad hoc opus idonei latitent intra ecclesiam, otio contemplationis vacantes, amplexibus infecundæ Rachelis videntur tamen subtilius inhærendo, qui se in cultura Dominicæ vineæ non curarunt hactenus exercere, Lyæ fecundæ sed lippæ

(1) In Domino gravisus est Honorius PP. barbaras Livoniæ, Estoniæ, Prussiæque gentes infidelitatis tenebris obrutas divinæ gratiæ radiis illustrari, luceque evangelica collustratas mitescere ac fide suscepta ecclesiæ sese aggregare. Hoc salutare opus ut perficeret, litteras hasce paternas exarare illi visum fuit valde opportunum.

quasi connubium aspernando, ipsos per te ac alios ecclesiarum prælatos, ne cum tota die circa propagationem et dilatationem vineæ Dominicæ steterint otiosi, quod nemo eos conduxerit, valeant excusari, ducimus excitandos, ut et in hac undecima hora, conducti mandragoris Lyæ, ingrediantur cubiculum, et vineam Domini studeant propagare, laboraturi quasi brevi horæ spatio in eadem et diurni denarii pretium recepturi. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in provincia tua quatuor viros opinionis sinceræ et litteraturæ probatæ, vel tres, seu saltem duos cujuscumque religionis vel ordinis, et Cisterciensis præsertim (1) cui Dominus benedixit a mari usque ad mare ipsius extendendo palmites, eligas, qui super *nitentes asinos* ascendentes, habentesque vitam in patientia et mortem in desiderio sponte velint animas suas offerre discrimini ac benedicere Domino, parati, pro ipsius nomine, si opus fuerit, martyrium sustinere, ac ipsos usque ad festum beati Martini ad præsentiam nostram transmittas, secundum circumspectionis Apostolicæ providentiam, una cum illis, quos de provinciis aliis ad nos mandamus transmitti ad sollicitudinem diversarum gentium destinandos, ut in eis fungentes legatione pro Christo, reconciliari obsecrent illas Deo, quasi per ipsos Domino exhortante, ac tamquam cives apostolorum et domestici Dei, easdem verbo doctrinæ illuminent, pacem gentibus tribuendo ac cum exultatione ad nos, seu ad Dominum potius revertentes, justitiæ manipulos referant et ab eodem vitæ senatum recipiant, sanguine proprio laureati. Quod si forsan prælati eorum, qui animas suas sponte periculo duxerint offerendas, voluntati eorum præpsumpserint obviari, præsumptionem eorum, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas. Datum Laterani,..... pontificatus nostri anno quinto.

(1) Cistercienses ad hoc negotium maxime habiles censuit, utpote quos sub antecessore suo Innocentio III, observavit summa humilitate, paupertateque, more apostolico, proximi invigilantes saluti atque sectarios ad rectam fidei semitam reducentes prout enarrat Petrus Vallisarnensis, *Hist. Albigens.*, cap. 3.

CCCCXLVI

Ad archiepiscopos, episcopos, et ecclesiasticos sæculares.

20 julii 1221.

[Wilkins, Concilia Britanniæ et Hiberniæ, I, 584.]

In quinquagesimo anno translationis S. Thomæ conceditur indulgentia plenaria.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis, tam ecclesiasticis quam sæcularibus personis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto venerabilis martyr Thomas modernis temporibus contra versutias antiqui hostis, qui Ecclesiam Dei impugnare non cessat, gloriosus triumphavit, et Cantuariensem ecclesiam reddidit pretioso sui corporis sanguine decoratam; tanto, licet enim a nonnullis sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontificibus translatio ejusdem fuerit affectata, et Sanctæ Cantuariensis ecclesiæ pro tempore demandata, non potuit tamen ante tempora adimpleri : quod quidem dispositioni divinæ adscribamus, non humanæ. Annus quinquagesimus, annus jubilæus est. Jubilæus remissionis annus, vel remissivus interpretatur. Sicut enim in Lege anno jubilæo onera et servitutes consueverunt dimitti populo; sic et in anno jubilæo cum quindecim dierum spatio translationis ipsius martyris, onera pœnitentium remittuntur. Ideoque universitatem vestram monemus, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ob reverentiam Dei et ejusdem martyris privilegia vestra et indulgentias servetis. Datum Laterani, anno pontificatus nostri quinto.

EPISTOLÆ SINE DIE.

I

Ad priorem et fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum.

[Strehlke, Tabulæ ord. Theutonici, p. 332, n. 400.]

Honorius III ordini Theutonico concedit, quod fratres ejus ob minora delicta ante susceptum habitum commissa intra ipsum ordinem absolutionem possint adipisci.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem, etc.

A Sede Apostolica nec petitur improbe nec injuste conceditur, per quod sic unius votum admittitur, quod juri alterius injuria non infertur. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod, cum plerumque contingat fratres vestros illa confiteri delicta, quæ ante habitum religionis assumptæ se recolunt commisisse, vos eis pœnitentiam injungere dubitatis. Volentes igitur vestræ ac fratrum vestrorum saluti paterna sollicitudine providere, auctoritate vobis præsentium indulgemus, quatenus eisdem fratribus super delictis hujusmodi, domus ordine non relicto, secundum Deum libere pœnitentias injungatis, nisi excessus eorum esset difficilis et enormis, utpote si esset ad mutilationem membri vel sanguinis effusionem processum aut violenta manus in episcopum vel abbatem injecta, cum excessus tales et similes sine scandalo nequeant præteriri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum, etc.

II

Ad archiepiscopos, episcopos et abbates.

[Strehlke, ibid.]

Honorius III vetat ordinis Theutonici homines compelli, ut contra christianos prælientur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, etc.

Cum de viris ecclesiasticis, quibus plurimum expedire dignoscitur, ut in cunctis actibus suis modum ordinemque conservent, nobis aliqua referuntur, quæ illos reprehensibiles reddant, paterno dolemus affectu et de ipsorum emendatione curam volumus gerere specialem. Significantibus sane dilectis filiis fratribus domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani accepimus, quod pro communitatibus, quæ in partibus quorumdam vestrum fiunt, magna domibus ipsorum per vos inferuntur incommoda, cum homines illorum, contra juramentum præstitum, super christianos præliaturos ire compellitis, unde et ipsi perjurium incurrunt et iidem fratres ea, quæ pro defensione christianitatis in transmarinis partibus expendere consueverant, pro redemptione ipsorum, cum capiuntur in prælio, tradere compelluntur. Quod quam indignum et sacerdotali officio sit contrarium, vestra discretio recte sapiens non ignorat. Volentes igitur in tanto dispendio prænominatis fratribus, sicut debemus, paterna sollicitudine providere discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus homines eorumdem fratrum ad certamina communia ire de cætero non cogatis nec ab eis propter hoc aliquid exigere præsumatis, sed ita ipsos sua permittatis libertate gaudere, quod nec ipsi de vobis justam habeant materiam conquerendi nec nos ea requirere districtius compellamur. Datum, etc.

III

Ad eosdem.

[Strehlke, ibid., p. 333, n. 402.]

Honorius III vetat prælatos ordinem Theutonicum procurationibus vel exactionibus aggravare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, etc.

Cum ex susceptæ administrationis officio debeatis viros religiosos a pravorum ma-

lignitate defendere et ipsos a gravaminibus relevare, nequaquam eis graves esse debetis nec exactiones novas imponere aut aliquas injurias erogare. Pervenit autem ad nos, quod quidam ex vobis dilectos filios fratres domus hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani crebris procurationibus et aliis exactionibus graviter inquietant et bona eorum, quæ ad defensionem orientalis ecclesiæ necessaria plurimum esse noscuntur, pro suæ voluntatis arbitrio minuere non formidant. Quapropter universitatem vestram attentius duximus admonendam per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatinus fratres ipsos super præmissis nullatenus aggravetis, verum ipsos potius a præsumptione malignantium et in eorum bona præsumentium debacchari, quotiens ad vos querela pervenerit, taliter defendatis et suam faciatis justitiam obtinere, quod ex hoc vobis a Deo præmium augeatur et ipsi liberi valeant inimicis crucis Christi resistere et illis resistentibus grata subsidia ministrare. Datum, etc.

IV

Ad eosdem.

[Strehlke, ibid., n. 403.]

Honorius III monet prælatos, ut parochianos ab injuriis ordinis Theutonici possessionibus inferendis arceant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum fratres domus hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani tanquam veri Machabæi crucem dominicam in proprio corpore bajulantes, sese pro defensione christianitatis extremis exponant periculis et carnalia desideria negligentes discipulos sese constituerint Jesu Christi, dignum est et rationi consentaneum, ut eosdem fratres intuitu religionis et honestatis suæ sincerius in Domino diligamus et famam ipsorum, quæ per gratiam Dei ubique terrarum noscitur redolere, modis omnibus satagamus conservare illæsam et ita eos Apostolicæ protectionis clipeo muniamus, quod ab impugnantium persecutionibus quieti esse valeant et securi. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatinus parochianis vestris sub interminatione anathematis prohibeatis, ne prædictis fratribus in domibus, animalibus aut aliis possessionibus suis aliquam injuriam inferant vel gravamen. Si quis autem parochianorum vestrorum bona eorumdem fratrum perturbaverint, nisi moniti eis plenarie satisfecerint, ipsos publice accensis candelis excommunicetis et faciatis tanquam excommunicatos ab omibus evitari. Datum, etc.

V

Ad magistrum et fratres ejusdem hospitalis.

[Strehlke, ibid., p. 334, n. 404.]

Honorius III concedit ordini Theutonico, ut de decimis cæt. non sit astrictus respondere Apostolicis litteris, si non ordinis expressam faciant mentionem.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus, etc.

Cum inter vos et ecclesiasticas et sæculares personas super decimis et pluribus aliis quæstio sit suborta, ipsi litteras a Sede Apostolica impetrantes, domos vestras litigiis, sicut significantibus vobis accepimus, expensis difficilibus inquietant. Volentes igitur sollicite providere, ne super his possitis qualibet temeritate vexari; auctoritate vobis Apostolica indulgemus, ut, si contra vos super decimis et aliis non facta mentione fratrum hospitalis ejusdem litteræ fuerint a Sede Apostolica impetratæ, eis minime teneamini respondere. Datum, etc.

VI

Ad eosdem.

[Strehlke, ibid., n. 405.]

Honorius III mandat, ne cui sine speciali Apostolicæ Sedis jussu liceat in ordinem Theutonicum vel servientes ejus excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus domus hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum vos tamquam speciales Romanæ Ecclesiæ filios vestræ, religionis intuitu et consideratione obsequii quod Deo ferventer impenditis in ultramarinis partibus in defensione christiani nominis, diligamus, vestris precibus inclinati auctoritate præsentium vobis indulgemus, ut nemini liceat sine mandato Romani pontificis speciali, in vos, presbyteros et laicos vestros, quorum vobis aliqui gratis, alii vero ad solidos serviunt, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare; et, si quando in vos vel in eos ab aliquo hujusmodi sententia lata fuerit, non obmittatis ecclesias frequentare aut servitio domus vestræ vel divinis officiis interesse, cum hujusmodi sententia sit irrita penitus et inanis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum, etc.

VII

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates et alios ecclesiarum prælatos.

[Strehlke, ibid., p. 335, n. 406.]

Honorius III vetat prælatos a capellanis ecclesiarum ordini Theutonico pleno jure concessarum fidelitatem aut obedientiam exigere; jubet illorum obedientia esse contentos.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii... magister et fratres domus hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani post concilium multipliciter fatigati, ut asserunt, graves querimonias coguntur in nostro auditorio replicare. A capellanis quidem illorum fidelitatem et obedientiam præter solitum quæritis, et, quia vestræ nolunt satifacere voluntati, eos pro vestræ voluntatis arbitrio molestatis, non attendentes, quantum sit jam dictis fratribus consideratione obsequii, quod christianitati in partibus transmarinis exhibent, deferendum. Quia igitur gravamen eorum sustinere in patientia non debemus, quibus, quantum coram Deo possumus, præscripti obsequii et suæ devotionis intuitu in sua tenemur justitia providere, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatinus a capellanis ecclesiarum, quæ pleno jure jam dictis fratribus sunt concessæ, nec fidelitatem nec obedientiam exigatis, quia tantum Romano pontifici sunt subjecti, ab illis vero juramentum fidelitatis non quæratis, sed obedientiæ sitis promissione contenti, scituri, quod, si eos post inhibitionem nostram, indebite gravaveritis, non sine rubore vestro ipsis curabimus, auctore Domino, providere. Privilegium enim meretur amittere, qui commissa sibi abutitur potestate. Datum, etc.

VIII

Ad magistrum et fratres hospitalis, etc.

[Strehlke, ibid., p. 336, n. 408.]

Honorius III concedit ordini Theutonico, ut ecclesiarum suarum redditibus, assignato tantum vicariis, unde honeste vivant et debita præstent, alias utantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus hospitalis, etc., salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, Apostolica vobis auctoritate concedimus, ut in ecclesiis, quæ vobis ad sustentationem eorum, qui in transmarinis partibus pro defensione christianitatis animas suas ponere non formidant, sunt concessæ, assignato vicariis, unde honeste vivant et in spiritualibus et synodalibus possint episcopis et eorum officialibus respondere, liceat vobis cætera ad usus vestros, quibus deputata sunt, retinere salva moderatione Concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum, etc.

IX

Ad archiepiscopos, episcopos et alios ecclesiarum prælatos.

[Strehlke, ibid., n. 409.]

Honorius III jubet prælatos ordinis Theutonici bona et jura tueri, justitiam quærenti non denegare, parochianorum apud fratres sepulturam non impedire.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, etc., ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet omnibus Dei fidelibus in suis simus justitiis debitores, religiosis tamen fratribus hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani propensius in suo jure convenit nos adesse. Inde est quod universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus prædictorum fratrum possessiones et jura integra, quantum in vobis fuerit, et illibata servetis et, cum de aliquibus malefactoribus suis, parochianis vestris, querelas a fratribus receperitis memoratis, de ipsis eis ita districtam justitiam faciatis, quod bona eorum per sollicitudinem vestram a pravorum sint vexatione quieta. Ad hæc præsentium vobis auctoritate injungimus, ut parochianos vestros, qui in ultima voluntate apud ecclesias prædictorum fratrum elegerint sepeliri, nisi excommunicati vel nominatim fuerint interdicti aut etiam publice usurarii, apud ecclesias ipsas sepulturam habere libere permittatis, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Datum, etc.

X

Ad magistrum et fratres hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum.

[Strehlke, ibid., p. 337, n. 410.]

Honorius III concedit ordini Theutonico, ut in locis de Saracenorum manibus ereptis ecclesias soli Summo Pontifici subjiciendas construant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... magistro et fratribus hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto majora pro defensione christianitatis discrimina sustinetis, tanto benigniori vos debemus oculo intueri et libentius, ubi cum justitia possumus, vestris vestrorumque commodis providere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus annuentes, præsentibus vobis litteris indulgemus, ut in locis, quæ de Saracenorum manibus poteritis cum auxilio cœlestis gratiæ liberare, si non fuerint sedes episcopales in eis, ecclesias construatis, quæ soli Romanæ Ecclesiæ debeant subjacere, ita ut a nullo prælatorum Ecclesiæ post Romanum Pontificem aliquid juris in eis valeat vendicari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum, etc.

XI

Ad eosdem.

[Strehlke, ibid., n. 411.]

Honorius III bonorum ab ordine Theutonico possessorum protectionem suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... magistro et fratribus hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Quotiens a Sede Apostolica postulatur, quod ad pacem religiosorum locorum respicit et profectum, juxta petentium voluntatem consentaneum rationi libenter Apostolicum impertimur assensum et effectu prosequente complemus. Eapropter vestris justis postulationibus annuentes domos vestras et omnes alias vestras possessiones seu quæcumque bona tam in decimationibus quam in aliis rebus ecclesiasticis rationibus possidetis aut in futurum, præstante Domino, justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum, etc.

XII

Ad archiepiscopos et episcopos et alios ecclesiarum prœlatos.

[Strelhke, ibid., p. 338, n. 412.]

Honorius III apostatarum ordinis Theutonici fautores censura ecclesiastica cohiberi jubet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, etc., salutem et apostolicam benedictionem.

Res quidem ad nos omnino detestabilis et regulari disciplinæ inimica pervenit, quod, cum quidam de fratribus vel professis hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, diabolo instigante, a voto et proposito ordinis sui resilientes, relicto religionis habitu, de militia Christi ad militiam mundi redire nullatenus erubescant, quidam etiam, animi levitate potius ducti quam zelo religionis accensi, sine licentia magistri sui ad alium ordinem transire præsumant; quidam vestrum de præsumptione hujusmodi vigiles et studiosi existere et excessus corrigere negligunt eorumdem, sed quosdam ipsorum ad militiam secularem et nuptias transire et juxta suæ voluntatis arbitrium in seculari vita manere permittunt, propter quod præfato ordini multa scandala et detrimenta sæpius provenire noscuntur, in quo utique et vos ipsi animarum vestrarum potestis periculum non modicum formidare. Nos igitur statum prædicti ordinis integrum et illæsum conservare volentes et tanti scandali materiam non valentes aliquatenus sustinere, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus, si quos hujus inveneritis viæ viros, in synodis et conventibus vestris excommunicatos publice nuntietis, eis, inter quos illorum conversatio esse dignoscitur, sub interminatione anathematis prohibentes, ut illos apud se retinere et eisdem communicare nulla ratione præsumant, et hoc tamdiu faciatis inviolabiliter observari, donec præfati viri ad se redeuntes, reverti ad suum ordinem compellantur et votum, quod violaverunt, omnimodis observare. Datum, etc.

XIII

Ad eosdem prœlatos.

[Strehlke, ibid., n. 413.]

Honorius III jubet prælatos favere ordini Theutonico nec de donatis ei sibi quicquam vindicare, quarta parte testamenti parochianorum apud illum sepeliri cupientium esse contentos, exceptis armis et equis. Fratribus sacerdotibus licere confessionem recipere apud ordinem sepeliri eligentium.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, etc., salutem et apostolicam benedictionem.

Si diligenter attenditis, quanta dilectis filiis fratribus hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani reverentia debeatur, numquam his inveniemini graves existere aut molesti, qui sustentationi et refrigerio pauperum pia noscuntur sollicitudine mancipati. Quoniam igitur iidem fratres ad hoc principaliter elaborant, ut se pariter et omnia, quæ acquirunt, devotis obsequiis pauperum undique confluentium diligenter impendant; universitatem vestram monemus attentius et per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatinus ab ipsorum gravaminibus abstinentes, ad solatia, quæ pro pauperum consolatione requirunt, vestram potius curam et sollicitudinem convertatis, et in his quæ domui eorum ab aliquibus fidelibus sanis vel ægrotantibus conferuntur, sive convalescant, sive apud alios recipiant sepulturam, nihil vobis in eorum domus præjudicium vendicetis; pro parochianis autem vestris, qui videlicet ad extrema deducti in cœmeteriis hospitalis Theutonicorum elegerint sepeliri, quarta tantum sitis testamenti portione contenti, nec aliud pro ipsis a jam dictis fratribus exigatis non impedientes occasione qualibet sepulturam, quam eis misericorditer duximus indulgendam, ex quo prætaxatam partem pro illis ecclesiis, a quibus mortuorum corpora assumuntur, fideliter resignarint. In his autem eleemosynis, quæ pietatis intuitu prædictorum fratrum domui a sanis et bene valentibus conferuntur, nemo vestrum præsumat aliquam sibi exigere portionem. Ex illa vero quarta, quæ vobis conceditur exigenda, arma et equos excipi volumus et mandamus, quæ prædictæ domui ad defensionem terræ Hierosolymitanæ a

quibuslibet decedentibus dimittuntur. Liceat autem fratribus supradictis eos, qui apud ipsos elegerint sepeliri, ad confessionem de occultis peccatis recipere per sacerdotes suos et per eosdem illis viaticum ministrare atque cum cruce et processione ad cœmeterium suum corpora eorum libere et sine impedimento tumulanda deferre. Datum, etc.

XIV

Ad eosdem prælatos.

[Strehlke, ibid., p. 339, n. 414.]

Honorius III jubet prælatos, ne fratres ordinis Theutonici violati prorsus testimonio destituantur, de violentia a suspectis parochianis censura ecclesiastica proposita purgatorium exigere juramentum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, etc., salutem et apostolicam benedictionem.

Significarunt nobis dilecti filii fratres hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, quod quidam eorum verberati aliquando et vulnerati interdum destituuntur testibus et probare violentiam non valentes nullam de malefactoribus justitiam consequuntur. Volentes igitur super hoc eisdem fratribus paterna sollicitudine providere, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus quisque vestrum parochianum suum, qui de hoc suspectus habetur et fama vexabitur, si convinci nequiverit, ut se purget per proprium juramentum, districte compellat. Quod si facere noluerit, sicut excommunicatum faciatis ab omnibus evitari. Datum, etc.

XV

Ad magistrum et fratres hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum.

[Strehlke, ibid., p. 340, n. 415.]

Honorius III ordini Theutonico concedit, ut in terris de Sarracenorum manibus aut per ipsum ereptis aut ipsi donatis, liceat villas, castra, oratoria, cœmeteria construere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... magistro et fratribus domus hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hirosolymitani, salutem, etc.

Vestris piis postulationibus inclinati auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut in terris, quas, dante Domino, populus christianus a Sarracenorum eripuerit manibus, si ad vos postmodum justo titulo fuerint devolutæ, ac eis etiam, quas vos ipsi eisdem auferre poteritis Sarracenis, villas et castra vobis ædificare liceat, ecclesias, oratoria et cœmeteria fabricare ad opus hominum morantium in eisdem; statuentes insuper, ut prædicta omnia sub Apostolicæ Sedis et nostra protectione consistant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, constitutionis et protectionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum, etc.

APPENDICE DU LIVRE III.

LES ORDRES RELIGIEUX ONT EMPRUNTÉ A LA FAMILLE ROMAINE SA PUISSANTE ORGANISATION.

La constitution de la famille romaine a donné, suivant Gaius, à tout l'ensemble du Droit romain son caractère spécial, et, d'après les historiens, elle a exercé son influence sur toute l'histoire de Rome, sur les mœurs, sur les institutions: « Quod jus proprium civium Romanorum est; fere enim nulli alii sunt homines qui talem in filios suos habeant potestatem, qualem nos habemus. Gaius, I, § 55. L'énergie de la puissance paternelle est la base de cette constitution familiale qui, pendant des siècles, est plus forte que la voix du sang, et qui ne peut s'affaiblir sans que Rome elle-même s'affaiblisse. La durée de la grandeur romaine est liée à la durée d'une institution fondamentale.

Le chef de famille romain, le *pater familias*, est à la tête d'une petite société, qui forme l'un des éléments de la société générale. Il la gouverne despotiquement; lui seul est propriétaire absolu de tous les biens, et même des individus composant la famille. Les esclaves vivent sous la puissance dominicale, les enfants sous la puissance paternelle; la femme est *in manu;* l'homme libre dans l'ordre de la cité peut, dans la famille, se trouver asservi, *in mancipio*. L'affranchi, le client relèvent du seul *pater familias*. L'esprit d'individualisme résume en une seule personne la famille entière. Un seul est capable d'avoir des droits: tous ceux qui sont *in potestate*, tous ceux qu'il a sous la main n'agissent, n'acquièrent que pour lui.

De telles institutions se transforment, se déplacent; elles ne disparaissent jamais tout entières. C'est dans les ordres religieux que nous retrouvons la famille romaine, et, sous cette nouvelle forme, elle s'est perpétuée jusqu'à nos jours, ayant son histoire interne écrite dans les Bulles des Souverains Pontifes, et son histoire externe mêlée à l'histoire générale. Au milieu d'un monde nouveau, mal assis, agité par une perpétuelle inquiétude, les ordres religieux ont apporté l'exemple d'un élément social stable, affermi dès son origine, et que rien n'a pu ébranler. Ils ont devancé les communes dans l'établissement d'une organisation indépendante, assurant à une aggrégation d'individus le calme du présent et de l'avenir. Les révolutions, les guerres, les incendies et le pillage leur ont causé plus d'une fois un dommage matériel considérable, mais en les laissant toujours debout après l'orage.

Dans un *Mémoire sur les Phongies ou religieux bouddhistes*, Paris, 1855, Mgr Bigandet, vic. apost. de Birmanie, affirme que toute la vitalité du bouddhisme est due à ses religieux. Quelques citations de ce Mémoire feront comprendre plus aisément la portée de nos remarques, dans une analogie évidente du sujet. « Dans le système extraordinaire établi par Bouddha, système qui agit sur un grand nombre de nations, dit Mgr Bigandet, l'ordre religieux est la base caractéristique et essentielle, p. 3. Il est un point caractéristique de l'ordre religieux bouddhique, lequel lui a été très-favorable et a contribué puissamment à le maintenir, durant de longs siècles, réuni en un corps compacte et solide, qui semble défier l'action destructive des révolutions. Nous voulons parler de sa hiérarchie constituée régulièrement, laquelle est aussi parfaite qu'on puisse la concevoir, spécialement en Birmanie et à Siam, p. 11. En effet, il est assez surprenant de trouver au milieu de nations à demi civilisées, telles que les Birmans, les Siamois, les Chingalais et les Thibétains, un ordre religieux avec une hiérarchie distincte et bien caractérisée, avec des constitutions et des règlements dont les prévisions s'étendent sur l'admission des membres, leurs occupations, leurs devoirs, leurs obligations et leur genre de vie, un ordre qui forme en réalité un corps solide, compacte et parfait, et qui a subsisté presque sans changement durant plusieurs siècles, et a survécu à la destruction des royaumes, à la chute des dynasties royales, et à toute la confusion et le désordre produits par les commotions et les révolutions politiques, p. 22. Il y a donc, dans ce corps religieux, un principe latent de vitalité qui le conserve, et qui lui communique une somme de forces et une énergie qui l'ont maintenu jusqu'à ce jour, au milieu des guerres, des révolutions et des convulsions politiques de tout genre: protégé ou délaissé par le pouvoir politique, il est toujours demeuré ferme et inébranlable. Il est impossible de se rendre compte d'une manière satisfaisante d'un pareil phénomène, si

nous ne cherchons pas une cause claire et évidente d'une réalité aussi extraordinaire..., p. 31. Nous le répétons, et c'est notre conviction réfléchie, c'est sur cette association que repose principalement, comme sur une base très solide, tout le grand édifice du bouddhisme. Si cette institution devait tomber en poussière ou être anéantie, l'énergie radicale de cette fausse doctrine languirait immédiatement et serait paralysée. Le bouddhisme doit céder devant la première attaque habile et énergique qui sera dirigée contre l'établissement des Phongies, p. 64. »

Ainsi, dans des milieux différents, dans des sociétés non semblables, sous l'influence de doctrines religieuses et d'origines historiques qui n'ont rien de commun, les similitudes d'organisation conduisent à des similitudes de résultats fort singulières. Un tel rapprochement devra paraître bien digne de remarque à quiconque s'arrêtera à l'histoire externe des ordres religieux chrétiens et de l'ordre religieux bouddhique. Quant à l'histoire interne, Mgr Bigandet ne nous fournit aucun document, et nous devons nous borner à esquisser, à grands traits, celle des religieux de l'Église catholique, régis par des constitutions Pontificales, telles que celles de Honorius III, ép. 121, 129, 136, 145, 175, 183, 280, du liv. III, et beaucoup d'autres des liv. I, II, IV et suiv.

Le *pater familias* romain devient tel, lorsqu'il cesse d'être *in potestate*. Il pourrait n'être âgé que d'un an, ou de quelques mois. Il devient *sui juris*.

Dans un ordre religieux, qui ne peut se perpétuer par la génération (les brahmes seuls forment un ordre religieux héréditaire dans l'Inde et sont, par conséquent, une caste), la *potestas* est conférée par le suffrage de ceux qui devront vivre *in potestate*. C'est là un trait d'audace qui différencie profondément les deux familles, la famille romaine des Douze-Tables, et la famille religieuse. Mais, de part et d'autre, une fois que le chef de famille existe, est reconnu, la descendance n'est plus nécessaire pour constituer les membres. Sans doute, la descendance contribue à l'extension de la famille romaine, mais elle n'est pas le seul moyen. L'adoption et l'adrogation suffisent à atteindre le but. Or, l'adrogation, si l'on y regarde de près, est en réalité le moyen de recrutement de la famille religieuse. Le religieux cesse d'appartenir à sa famille première; il quitte la famille du sang et de la chair, les liens de parenté sont rompus, il appartient à une famille nouvelle, à laquelle il est attaché par l'agnation spirituelle. Toutefois, l'adrogation religieuse est personnelle, et, si l'adrogé a des enfants, ils deviennent *sui juris*, en restant dans la famille du sang, sans passer *in potestate* avec leur auteur. C'est ici une seconde différence, que les faits rendent indispensable pour adapter l'institution romaine à des besoins nouveaux. La perpétuité de l'adrogation religieuse est d'ailleurs la perpétuité de l'adrogation romaine; elle n'a rien de nouveau. Et, de même que l'adrogé, qui était *sui juris*, devient *capite minutus;* ainsi l'adrogé religieux est et demeure, pour le reste de sa vie, *in potestate*. Ceux qui ont parlé de cette rupture des liens de famille et de la perpétuité du lien nouveau n'ont, plus d'une fois, suffisamment compris ni celle-ci ni celle-là, parce qu'ils ont négligé d'envisager une institution dans son ensemble, de remonter d'une part à son origine (1), de rechercher d'autre part les analogies chez les nations où, maintenant encore, on peut les rencontrer (2).

L'adrogation religieuse crée de telle sorte la perpétuité de la *potestas*, que le religieux ne pourra cesser d'appartenir à la famille monacale, s'il n'obtient l'*absolution* du lien, comme on peut le voir dans le tome II, col. 889, Notes courantes sur l'ép. 16 du liv. II, et col. 890, Notes sur l'ép. 74. La clause habituelle dans les Bulles de confirmation d'une famille religieuse est celle-ci : « Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio vestro professionem, fas sit sine licentia abbatis sui de eodem loco discedere, discedentem vero, absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere (3). Quod si quis forte retinere præsumpserit, liceat vobis in ipsos monachos vel conversos vestros regularem sententiam promulgare. » L'absolution doit être *tam a capite quam a membris*, voir ib., col. 889 du tome II. Car elle doit faire cesser tout à la fois l'adrogation, d'où la *potestas* résulte, et l'*agnation* à l'égard des frères. Tout est véritablement calqué sur la famille romaine. Et, pour plus de ressemblance, la famille religieuse comprend aussi le *mancipium*, l'homme libre qui ne reçoit pas l'adrogation, mais qui se range sous la puissance: « Liceat quoque vobis clericos, vel laicos, *liberos* et absolutos, a sæculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. » Ce sont ces convers que nul ne doit retenir sans licence de l'abbé, absolument comme les religieux eux-mêmes, voir ci-dessus.

Mais une particularité fort curieuse, et que l'on

(1) La famille romaine est une institution politique, et elle a en même temps pour but le maintien des *sacra*. L'Etat est une fédération de familles ou de petites sociétés indépendantes, dont le chef est le magistrat, le maître, *dominus*, et le pontife. Dans la famille religieuse, l'abbé bénit les novices; il garde les *sacra*. Son autorité est constituée précisément en vue de cette fin à atteindre. Dans les deux cas, point de famille sans les *sacra*.

(2) La famille romaine est, dans sa forme générale, la famille patriarcale, que l'on retrouve partout au début des sociétés, et que l'on peut rencontrer encore dans des sociétés vieilles, mais dont les institutions sont immobiles.

(3) Le *pater familias* peut se faire restituer ses enfants, même la fille qu'il a donnée librement en mariage. Il a pour cela l'action *de exhibendis liberis*. Il faut arriver jusqu'à Antonin, pour que l'exception *doli mali* soit admise contre l'interdit *de exhibendis liberis*, et puisse en paralyser l'effet.

peut qualifier d'imprévue, est la suivante. D'après le droit romain, la femme ne pouvait pas être adrogée. La famille, qui se recrutait en dehors de la descendance, en établissant un lien artificiel si puissant, n'admettait au bénéfice de ce procédé ou de cette fiction de la loi que les mâles. C'est ce qui dura jusqu'au temps où l'adrogation put avoir lieu en vertu d'un rescrit impérial, l. 8, *C. de adopt.*, liv. VIII, tit. 48. Mais, dans la famille religieuse, la femme put être adrogée, et, ce qui est plus fort, elle put être adrogeante; elle eut la *potestas*, elle fut, à son tour, le *pater familias*. L'attention de M. Laboulaye, dans son excellent ouvrage des *Recherches sur la condition civile et politique des femmes* depuis les Romains jusqu'à nos jours, ne s'est pas portée sur ce point, non plus que celle de M. Gide, dans son excellente *Étude sur la condition privée de la femme* dans le droit ancien et moderne. On peut le regretter. Notons, en passant, que la femme obtenant la puissance familiale acquérait, *ipso facto*, la capacité civile la plus entière.

On sait que l'adrogation des impubères ne fut permise que par Antonin le Pieux, et qu'elle avait lieu seulement « causa cognita, an honesta sit expediatque pupillo », *Instit.*, l. I, tit. 11, *de adopt.*, § 3. Ainsi en est-il dans la famille religieuse, où l'on pourrait dire qu'elle a lieu sous condition résolutoire. Dans le droit ecclésiastique moderne, rien n'empêche, dit Craisson, l'admission au noviciat avant l'âge de puberté, pourvu qu'il y ait l'âge de raison, et toutefois, le décret de la S. Cong. des Évêq. et Régul., du 23 mai 1659, défend l'admission des femmes avant quinze ans accomplis; le Concile de Trente exige pour la *profession*, tant des hommes que des femmes, seize ans accomplis; les Chartreux ont fixé l'âge de vingt ans, les Servites celui de dix-neuf ans, etc., *Manuale totius jur. can.*, n. 2638, s. La condition résolutoire peut se conclure de la *Quint. Compil.*, liv. III, tit. 17, ch. 1 et 3; tit. 2, ch. 4 : « Olim in minori constitutus ætate, coronam clericalem assumpsit, ... non est cogendus deferre habitum. » Le Concile de Trente s'exprime en termes plus impératifs, sess. 25, c. 15 : « Professio antea facta, sit nulla nullamque pariat obligationem ».

Dans l'ancien droit romain, tous les droits acquis par le fils lui-même profitaient au père de famille. Ce ne fut que plus tard, que la possession d'un pécule fut autorisée. « Qui in potestate nostra est nihil suum habere potest », dit Gaius, II, 87. « Adquiritur nobis non solum per nosmetipsos, sed etiam per eos quos in potestate habemus », dit Justinien, *Instit.*, liv. II, tit. 9, procem. Le religieux n'a pas de pécule (1). C'est le retour au droit non mitigé qui constitue l'ancienne famille romaine.

(1) Cf. ép. 3 du liv. IV, col. 279 : « Et quicumque de cætero inventus fuerit habere proprium, pœnæ subjaceat regulari. et, semel in anno, in proprietarios solemnis excommunicatio proferatur ».

La propriété moderne est « individuelle, inégale, perpétuelle et transmissible », on le sait. Mais telle n'est pas la propriété romaine entre les mains du *pater familias*, en qui et par qui tous possèdent. Le religieux ne peut aliéner à titre gratuit, ou à quelque titre que ce soit, une partie de la propriété; il ne peut faire emprunt ni cautionner, et le couvent ne sera jamais tenu par des engagements de cette nature s'il n'y a utilité manifeste, c'est-à-dire dans le cas seulement où les juristes reconnaissent en celui qui a agi la qualité du *negotiorum gestor*. La clause ordinaire, et de style, est celle-ci : « Illud districtius inhibentes, ne terras, seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum, liceat alicui personnaliter dari, sive alio modo alienari, absque consensu totius capituli, vel majoris aut sanioris partis ipsius. Si quæ vero donationes, aliter quam dictum est, factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc etiam prohibemus ne aliquis monachus, sive conversus, sub professione vestræ domus adstrictus, sine consensu et licentia abbatis et majoris partis capituli vestri (2) pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat, ultra pretium capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem. Quod si facere præsumpserit, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere ».

On a vu, dans le tome II, col. 857 et s., Notes courantes, ép. 9, 10, 14, 33, comment s'établit la propriété incontestable, le *dominium* de la famille religieuse. Il est inutile d'y revenir présentement. Malheureusement, le Mémoire de Mgr Bigandet, cité plus haut, ne nous fournit aucune donnée pour la comparaison avec l'ordre religieux bouddhiste, dont l'organisation, selon lui, fort rapprochée de celle de nos ordres religieux, serait la seule véritable force du bouddhisme. En dehors de toute question de croyances, le problème paraîtra identique et sera le suivant. La famille religieuse doit se perpétuer sans la descendance; elle doit être reliée par un lien puissant; ce lien artificiel produira les mêmes effets que produit le sang dans la famille naturelle; la *potestas* résultera non de l'obéissance servile, mais de l'élément mystique du renoncement; la liberté individuelle disparaîtra néanmoins aussi sûrement, ou plus sûrement que par la *capitis minutio* du droit romain; le *dominium* sera constitué pour répondre aux fins spéciales de la famille religieuse, et demeurera invariable, quelles que soient les lois constitutives de la propriété civile ou les modifications successives de ces mêmes lois; la famille religieuse, malgré les distinctions qui protégent sa vie propre, demeurera une institution civile et sociale gardant ses relations avec toutes les institutions civiles et

(2) La nécessité de l'assentiment de la *pars major* et *sanior* découle d'un principe non romain, mais germain. Voir infr. dans les Notes courantes du liv. III, ép. 204 et 207.

sociales du temps dans lequel elle existe ; non-seulement elle manifestera sa capacité civile et sa vie juridique par les contrats qui sont du droit commun, mais, dans un pays féodal, elle possédera le fief suzerain ou le fief servant, elle participera, s'il le faut, aux fonctions de justice, et le reste. C'est ce qui s'est vu dans notre Europe, avec la constitution romaine de la famille religieuse, et il nous paraît supposable que l'institution bouddhique n'a pas eu cette même souplesse (1).

Nous voyons dans nos ordres religieux la constitution de la famille romaine. Nous n'y saurions trouver le fait juridique constitutif du contrat de société. Dans la société, chaque membre garde sa personnalité distincte, son individualité, ses obligations propres, ses intérêts, et *sa part déterminée* dans les biens. Rien de semblable dans la famille religieuse.

Les Romains connaissaient aussi la corporation, la communauté, dont la nature est de subsister plus longtemps que les individus, de subsister, en général, par le but permanent à atteindre. La famille religieuse n'est pas la communauté ; elle n'est pas la corporation. Les droits et obligations de la communauté lui appartiennent comme telle, et les individus n'y sont point tenus personnellement à des charges. Ainsi la communauté, qui existe par le but, n'absorbe pas l'individu. Et la corporation n'a jamais conféré à un seul la *potestas*. D'où il suit que la famille religieuse garde bien évidemment le caractère propre que nous lui avons assigné.

DE LA COLLATION DES BÉNÉFICES.

[Cf. tom. II, col. 873.]

Nous ne poursuivrons pas au delà des deux premiers livres des Ep. cette étude sur la collation des bénéfices pour laquelle les livres III et suivants conduiraient à des conclusions identiques à celles qui ont été déjà formulées. Il nous paraît utile seulement de noter ce qui suit :

Liv. III, ép. 29 : La naissance légitime est requise pour obtenir les bénéfices ecclésiastiques ; mais le mérite personnel et la vertu ont le pouvoir de légitimer celui qui les possède : « Meritorum gratia insignitos ipsa legitimat prærogativa virtutum. » L'honêteté de la vie et la science l'emportent sur la faute des parents, non imputable au fils. — Ep. 36 : Information ordonnée par le Pontife contre un abbé, à qui l'on reproche des énormités, « enormia, » qui tournent au péril de son âme et au scandale de plusieurs. Car il ne craint pas, « non veretur, » de concéder des prieurés et des bénéfices à ceux qui sont moins dignes, en laissant de côté les plus dignes. — Ep. 52 : Les saintes Lettres veulent que le salaire de celui qui travaille ne soit pas retenu jusqu'au lendemain: il n'est donc pas juste qu'un clerc, après des services rendus, attende pendant vingt ans et au delà, soit une prébende, soit un bénéfice ecclésiastique. — Ep. 57 : Nous croyons mériter devant Dieu et devant les hommes quand nous accordons une récompense à celui en qui est le mérite, estimant que la vertu en reçoit plus d'éclat, et que d'autres seront portés à une louable émulation. C'est pourquoi nous voulons que le clerc W..., déjà d'un âge avancé, ne demeure point privé d'un bénéfice ecclésiastique après que, plusieurs fois, des prébendes ont été vacantes, auxquelles il n'a point été appelé, bien qu'il y ait eu alors une occasion favorable de le pourvoir, attendu d'ailleurs que sa science et la dignité de sa vie sont un objet d'éloges de la part d'un grand nombre. — Ep. 59 : La charité qui agit conformément à l'ordre devient doublement féconde, lorsqu'elle distribue les bénéfices ecclésiastiques aux plus dignes, au grand profit des églises, et pour l'avantage des personnes ainsi favorisées. Notre cher fils Mathieu, joignant à l'honnêteté des mœurs le talent de la science, est donc bien digne d'être libéralement pourvu d'un bénéfice, conformément aux règles tracées par le Concile général. En déférant à ces règles, vous ferez honneur à votre église, vous prouverez *votre amour du prochain*, et nous pourrons louer votre dévotion envers le Saint-Siége.

Nous terminons ici nos citations. Mais une remarque importante nous est fournie par la dernière ép. L'amour du prochain, d'après Honorius, ne doit pas demeurer étranger aux motifs de collation, ou plutôt il est l'un de ces motifs. D'où il suivrait que l'amour du prochain, au degré où il devient une vertu chrétienne, « caritas, » lorsqu'il est surabondant et épuré par la grâce, « caritas fecundata,

(1) Un missionnaire français, qui a longtemps résidé à Siam, nous donne les indications suivantes : La pauvreté des religieux bouddhistes, dans le pays de Siam, est absolue ; ils ne peuvent acquérir individuellement, ni contracter, ni poursuivre juridiquement un droit. Cependant, s'ils viennent à hériter, leur part n'accroît pas celle des cohéritiers et ne leur est pas dévolue ; un prête-nom la recueille, pour la transmettre au religieux lorsqu'il rentrera dans la vie civile. A cette époque, l'ancien religieux aura même la capacité nécessaire pour réclamer en justice contre le détenteur provisoire.

Nous ignorons si celui-ci a fait siens les fruits perçus, en totalité ou en partie. Nous ignorons également de quelle façon est désigné ou choisi ce détenteur entre les mains duquel les cohéritiers consentent la délivrance; s'il pourrait aliéner, échanger, ou s'il est tenu de restituer en nature.

Quant à la propriété collective, celle du terrain et de la pagode qu'habitent les religieux, elle appartient nominalement au roi, ce qui rappelle ces expressions fréquentes des Lettres pontificales : Monasterium vestrum, in quo Dei obsequio mancipati estis, quod, nullo mediante, pertinet ad Sedem Apostolicam. L'acte par lequel est concédé le titre de *terre royale* soustrait la pagode et ses dépendances à tout *commercium* ; la terre devient *res sacra* ; mais un acte royal postérieur peut en changer la destination, en cas, par exemple, d'abandon par les religieux, qui iraient se fixer ailleurs.

caritas ordinata, » dit l'ép. 59, constituerait le don spécial d'en haut pour celui qui a charge de distribuer les bénéfices ecclésiastiques et les prébendes.

En sorte qu'après avoir lu Honorius, il faudrait ajouter à la définition de saint Thomas, en disant du collateur des bénéfices qu'il est : Non Dominus, sed dispensator, *per caritatem et propter caritatem*, sive erga Deum, sive erga Ecclesiam, sive erga homines; non le maître, mais le dispensateur, par l'amour (*caritas*), et pour accomplir la loi d'amour, soit envers Dieu, soit envers l'Eglise, soit à l'égard des hommes. Nous avons dit qu'en présence des attaques, non-seulement des hérétiques, mais de quelques orthodoxes, tels que l'abbé Joachim, contre la hiérarchie, Honorius dut être porté à établir plus nettement les principes sur la collation des bénéfices, et à mettre celle-ci à l'abri de tout reproche. Mais, plus d'une fois, emportés par l'ardeur du zèle, quelques-uns, même parmi les fils soumis de l'Eglise, ont oublié que ces principes sont une règle de conduite pour le collateur, et non la charte des privilèges, revendicables en toute circonstance et rigoureusement acquis. De là bien des malentendus dons tous les temps.

Nous avons signalé, en note, col. 879, tome II, sur ce même sujet, une étude intitulée : *Le Grand péril de l'Eglise de France*, par M. l'abbé Bougaud, vicaire-général d'Orléans; Paris, 1878, chez Poussielgue. C'est principalement aux pages 47, 59, 85 et suiv., que l'auteur traite avec une grande autorité la question de la science du clergé comme un corollaire de sa thèse principale qu'il y a parmi nous, en France, une insuffisance actuelle des vocations sacerdotales, d'où résultent les plus grands périls. Nous n'avions pas d'abord entre les mains cet écrit éloquent. « Ce ne sont pas seulement, dit M. Bougaud, des pasteurs et des apôtres qu'il faut à l'Eglise, ce sont des docteurs (1). Mais comment en former? Et d'autre part, comment ne pas en avoir?... Les docteurs manquent, et, à cause de cela, les âmes périssent. » Dites-moi, est-ce dans les accablements du ministère paroissial des villes que l'on pourra élaborer ces grandes œuvres qui absorbent toute une vie? [Les œuvres de saint Chrysostôme et de saint Augustin sont là pour répondre. Bossuet et Fénelon, d'autre part, n'étaient pas des *désoccupés* du ministère.] Est-ce dans la solitude du ministère des campagnes? continue M. Bougaud. Oh! là le temps ne manque pas; mais les livres, mais les revues, mais les conversations avec les maitres, mais ce milieu intellectuel absolument nécessaire à l'éclosion des grands travaux.

Avec M. Bougaud, nous sortons pour un instant d'une pure et simple interprétation d'auteur. Il s'agit d'intérêts si graves que ce sera notre excuse. M. Bougaud parle du légendaire abbé Gorini que, pour notre part, nous soupçonnons véhémentement d'avoir fait grand tort au clergé. Depuis que Gorini, curé de village, a su prendre un rang parmi les savants, malgré tant d'obstacles découlant de sa situation, on ne demande pas ce que, placé ailleurs, il eût accompli pour Dieu, l'Eglise et la science. On aime mieux l'admirer et paraître croire que de tels hommes peuvent surgir et vivre en n'importe quels lieux, sans souci de la parabole des talents que le maître confie à ses serviteurs, avec l'obligation de les faire fructifier au mieux de ses intérêts. Certainement telle n'est pas la pensée exprimée par Honorius, et il a su agir souvent, ses épîtres en font foi, en faveur des Gorini du moyen âge.

LES CROISADES SOUS LE PONTIFICAT DE HONORIUS III.

Le mouvement des croisades ne fut pas seulement suscité par la Papauté; mais les Pontifes se chargèrent eux-mêmes du fardeau le plus pesant, en mettant la main à l'œuvre pour la diriger et créer l'unité au milieu des foules guerrières aussi indisciplinées qu'enthousiastes. Il fallait à cette besogne des efforts incessants et une sollicitude toujours attentive. Les ép. du liv. III relatives à la croisade de Terre-Sainte sont les suivantes : ép. 2, 6, 8, 15, 22, 40, 77, 83, 86, 100, 105, 108, 123, 162, 165, 185, 186, 227, 248, 258. Celles du même livre qui concernent la croisade contre les Albigeois sont les ép. 7, 9, 10, 16, 17, 18, 19, 49, 51, 107, 146, 153, 164, 176, 181, 184, 220, 231. Une telle abondance de documents dispense de toute démonstration et suffit à prouver le zèle de Honorius III pour la grande cause de la chrétienté.

1. Les événements de la croisade de Terre-Sainte peuvent se résumer ainsi qu'il suit. Le concile de Latran avait ordonné une nouvelle croisade, et les lettres d'Innocent III en avaient pressé l'exécution. Dès le commencement de son pontificat, Honorius s'était efforcé de hâter le départ des croisés. André, roi de Hongrie, et le duc d'Autriche Léopold partirent en 1207. Antérieurement, des enfants, des femmes, comme au temps de la première croisade et de Gauthier Sans-Avoir, s'étaient mis en marche par troupes nombreuses, mais sans aucun résultat. Le comte de Hollande et bon nombre d'Allemands s'étaient embarqués sur

(1) Nous hasardons un rapprochement : Mgr Bigandet, dans le Mémoire cité au cours de la dissertation précédente, sur les religieux bouddhistes, leur reproche leur manque de science : « J'ai rencontré, dit-il, un grand nombre de séculiers qui étaient incomparablement plus instruits et plus éclairés que les Phongies, » p. 72. Il s'étonne beaucoup d'avoir rencontré des supérieurs n'ayant pas la science : « L'auteur a rencontré deux ou trois de ces dignitaires qui, dans son opinion, étaient tout à fait inférieurs en talents et en intelligence à un grand nombre de leurs subordonnés, » p. 28. — Ce ne peut être seulement chez les Bouddhistes qu'il faut la science!

la Meuse ; ils se rendirent à Lisbonne et aidèrent les chrétiens de la péninsule à remporter une victoire signalée sur les Maures. Pendant ce temps, le roi de Hongrie et le duc d'Autriche, parvenus en Palestine, battaient Conradin, venu à leur rencontre. Le roi de Hongrie, jugeant qu'il avait accompli son vœu, quitta l'armée en même temps que le roi de Chypre, Hugues de Lusignan. Le duc d'Autriche et le roi de Jérusalem, qui était Jean de Brienne, résolurent de porter la guerre jusqu'en Egypte, où ils firent le siége de Damiette, et où ils furent rejoints par les croisés partis de la Meuse, vainqueurs des Maures en Espagne. Honorius excita alors les croisés français et autres, qui avaient choisi Gênes et Venise pour rendez-vous, à se diriger sur l'Egypte. En novembre 1219, après dix-huit mois de siége, la ville fut enfin prise. Puis, Jean de Brienne, mécontent du légat, s'en retourna à Jérusalem, suivi de la plupart des Templiers et des Français. Le Pape, cependant, ne pouvait décider Frédéric II, couronné empereur en 1220, à accomplir son vœu pour l'expédition de Terre-Sainte. Aussi, malgré le retour du roi de Jérusalem et la résolution prise d'attaquer le Caire, les croisés, au milieu de terrains inondés, réduits en nombre, durent capituler, en septembre 1221, en stipulant la reddition de Damiette.

2. Le résultat final matériel était peu considérable en Orient. La croisade albigeoise, dont profita la royauté en France, obtint des effets de plus longue durée : l'hérésie disparut et la suprématie féodale du roi fut reconnue de l'un à l'autre bout du territoire.

3. La croisade de Prusse et de Livonie assura l'existence pacifique des nouveaux chrétiens dans ce pays. La croisade d'Espagne affermit tout ensemble la foi et la royauté. Dans l'Occident, la croisade se faisait, en quelque sorte, sur place, et trouvait un point d'appui ou une base d'opérations plus rapprochée. C'était là un grand avantage pour assurer le succès.

On a reproché aux croisés leurs divisions trop fréquentes et leur manque de persévérance. Guibert de Nogent, au contraire, *Gesta Dei per Francos*, lib. V, signale la patience et la constance de ces mêmes hommes qui, « lorsqu'ils habitaient leur patrie, ne pouvaient pas demeurer seulement trois jours de suite sous les tentes et dans l'armée de leur roi, même quand on ne les forçait pas à sortir de leur province. »

Ce qui a fait défaut, plus que la persévérance, et ce qui était nécessaire pour des expéditions si lointaines, c'est l'argent. Les peuples d'Occident ne possédaient pas la richesse ; le commerce ne l'avait pas encore développée. L'argent fut l'un des sujets de préoccupation de Honorius. Cf., t. II, liv. I, des Ep., notes courantes, ép. 243 ; Cf., liv. III, ép. 105, notes courantes.

Au reste, pour savoir si les croisades ont atteint leur but, il ne faut pas déterminer ce but d'après nos idées modernes. Expier ses péchés, faire un acte de foi héroïque et mourir près du saint Tombeau : c'était toute l'ambition d'un grand nombre.

Il est digne de remarque que l'islamisme garde le tombeau de son prophète et les lieux dans lesquels il a vécu, tandis que les chrétiens n'ont pu conserver, comme leur propriété, Jérusalem et le Saint Tombeau. Car, ce ne sont pas seulement les Juifs qui sont expulsés de la Terre-Sainte et n'ont pu y rétablir leur domination. Les Papes, et en particulier Honorius, considéraient la possession des Saints Lieux par les infidèles comme un châtiment de la Providence irritée, et ils n'omettaient pas de prêcher la pénitence comme préparation nécessaire à la grande entreprise. La croisade fut, pour le moyen âge, un acte de foi, mais aussi, plus que toute autre chose, une source d'expiations pour le péché. Les princes et les grands manifestèrent plus d'une fois des pensées ambitieuses. Les motifs qui faisaient agir les petits, qui entraînaient la foule du peuple chrétien étaient d'autre nature.

De quelques causes ignorées des croisades, et du sentiment populaire qui portait à les entreprendre.

La grande et majestueuse histoire n'entre guère dans certains détails, qu'elle répute minimes ; elle se borne à retracer les grands faits, sans s'inquiéter des causes lointaines et obscures. Il se peut, cependant, que la connaissance de ces causes jette un jour nouveau sur les événements. La note suivante a pour but d'apporter cette lumière nouvelle sur les faits.

I. A la fin du v[e] siècle, les deux filles d'Ells, roi d'Ecosse, Maure et Brigide, disent les écrivains pieux qui ont laissé le récit de leur martyre, voulant satisfaire leur piété, se rendirent à Rome et à Jérusalem, pour vénérer les Lieux Saints et prier au tombeau du Sauveur. A leur retour, lorsqu'elles traversaient la France, elles arrivèrent dans le Beauvaisis, en un lieu appelé Balagny, dans cette vallée du Thérain qui s'étend de Creil à Beauvais, où elles reçurent la couronne du martyre, et où la dévotion n'a cessé d'attirer les fidèles qui viennent les invoquer. Le culte rendu sans interruption aux deux vierges que la piété avait conduites à Jérusalem eut pour effet, on peut le croire, de rendre plus vivant, dans tout le Beauvaisis, le souvenir de la Terre sanctifiée par la vie et la mort de Jésus-Christ, de cette Terre qui conserve son sépulcre glorieux où la mort n'a pu retenir l'auteur de la vie.

Durant les sixième, septième et huitième siècles, les rapports habituels avec Jérusalem restaient possibles ; mais lorsque les Fatimites d'Egypte eurent soumis à leur pouvoir la Palestine et la Syrie, la situation des chrétiens du pays et celle des pèlerins devint intolérable. Puis, lorsque nul de ceux qui portaient le nom de chrétiens ne pouvait pénétrer dans la Terre Sainte sans avoir à redouter la fureur des musulmans et s'exposer au péril de mort, un puissant seigneur du Beauvaisis, Lancelin, fils de Foulques, comte de Beauvais (à cinq ou six lieues

de Balagny, dans la même vallée du Thérain), se rendit à Jérusalem, vénéra le tombeau de Jésus-Christ, et enleva un morceau assez grand de la roche du saint sépulcre, qu'il rapporta à Villers, à quelque distance de Beauvais (et à distance un peu plus grande de Balagny). Il fonda, en 1060, sur sa terre de Villers, pour garder cette relique (conservée au même endroit jusqu'à nos jours), un prieuré qu'il dota de grands revenus, et il convoqua à la solennité de la fondation les plus grands seigneurs ecclésiastiques et laïques, qui signèrent la charte dressée en cette circonstance.

Le fait de Balagny, où le concours des fidèles dévots n'avait jamais cessé, explique et prépare celui de Villers, c'est-à-dire le triomphe de la pierre du sépulcre rapportée dans le Beauvaisis.

Pierre l'Ermite, qui appartenait à la Picardie (pays joignant le Beauvaisis), a-t-il visité la pierre du sépulcre rapportée d'Orient? C'est ce que l'on ne peut dire. Lui aussi, il réussit à parcourir la Terre-Sainte. C'était peu de temps après Lancelin, dont, à coup sûr, il n'a pu ignorer le voyage, dont l'exemple était un encouragement, dont les récits, soit directs, soit transmis par intermédiaires, devenaient un enseignement précieux pour quiconque entreprenait de courir les mêmes risques. Pierre ne revint des Saints Lieux que pour prêcher à l'Occident la première croisade, et l'on assure qu'il commença ses prédications en l'église de Montataire, à l'entrée de la vallée du Thérain. A son tour, Lancelin avait préparé Pierre l'Ermite. — Montataire est à deux lieues de Balagny.

En 1095, le pape français Urbain II fit décider la guerre contre les infidèles par le concile de Clermont en Auvergne. Roger, évêque de Beauvais, Renard de Beauvais, Dreux de Mouchy (en Beauvaisis), Mathieu de Clermont (en Beauvaisis), Clérembaud de Vendeuil (non loin de Clermont), et beaucoup d'autres s'enrôlèrent. Ceux qui sont nommés ici étaient naturellement portés, plus que beaucoup d'autres à cette sainte expédition, 1° par les récits qui se faisaient à Balaguy et à Villers; et 2° par ceux que faisait Pierre l'Ermite, leur compatriote à tous.

Autre remarque : Urbain II était né à Chatillon-sur-Marne. Il avait été moine de Cluny. Les rapports entre les couvents du moyen âge étaient beaucoup plus fréquents, plus réguliers que l'on ne serait tenté de le supposer. L'abbaye de Saint-Germer, au diocèse de Beauvais, de qui relevait le prieuré de Villers fondé par Lancelin, entretenait des relations avec l'ordre de Cluny. Avec tout cela, est-il bien difficile d'admettre que la nouvelle d'un fragment du saint Sépulcre, ravi aux musulmans, enlevé de Jérusalem et rapporté dans l'Occident, ait été connue du pape, qu'elle ait même contribué à enflammer son zèle? En tout cas, Roger, évêque de Beauvais, qui se trouvait au concile de Clermont, et qui prit la croix, n'ignorait pas l'existence du prieuré de Villers, fondé près de sa ville épiscopale, trente-cinq ans auparavant. Dreux de Mouchy, qui prit la croix, ne l'ignorait pas davantage. Les seigneurs du Beauvaisis se sont-ils abstenus, dans une telle circonstance, de parler de cette pierre du tombeau de Jésus-Christ gardée sous leurs yeux? On ne pourra le supposer. Plusieurs d'entre eux ayant dû se trouver dans le grand cortége de noblesse présent à la fondation du prieuré du Saint-Sépulcre, ils contribuèrent par leurs paroles à augmenter l'ardeur de ceux qui, comme eux, s'enrôlèrent pour la première croisade, et, dans la suite, le Beauvaisis et la Picardie fournirent encore des guerriers pour toutes les croisades ultérieures.

II. Un fait dont nul n'a envisagé les relations avec les faits de guerre des croisades, est celui de Notre-Dame de Liesse.

La « pierre » de Villers-Saint-Sépulcre ayant une histoire qui se rattache à celle du martyre des saintes Maure et Brigide ; cette même pierre du tombeau de Jésus-Christ excitant l'ardeur des esprits dans le Beauvaisis et l'émulation dans la Picardie ; ces deux contrées devenant celles d'où part l'enthousiasme qui se communique de proche en proche, et toutes deux gardant un pareil zèle, une pareille ardeur pendant la période entière des croisades, voilà l'un des côtés des événements passés qu'il fallait remettre en lumière. Mais, outre les princes et les grands, il y eut aussi la foule s'enrôlant pour les croisades. Quarante mille paysans et manants marchèrent avec Pierre l'Ermite pour chef : c'était l'élément populaire. Les premiers, dont l'exemple entraîna tous les autres, furent certainement, en grande partie, Beauvaisins et Picards. Ceux-là n'avaient nul souci des profondeurs d'une politique qui voulait réfréner l'Orient musulman, en lui opposant un Occident guerrier, au sein duquel l'Eglise opérerait l'unité, dans le même temps qu'elle mettrait fin aux divisions intestines et aux luttes locales. Pour eux, les beaux discours étaient superflus. Qu'ils eussent une fois vénéré et pieusement baisé la pierre de Villers, c'était un bien plus sûr moyen pour les ébranler. Leur compatriote Pierre pouvait compter sur eux. C'est pour de telles âmes que le fait de Liesse était un argument tout-puissant.

Les ordres religieux militaires s'étaient établis à Jérusalem, après la conquête; ils sont nés des croisades. Leur raison d'être fut le dévouement pour les petits et les humbles. Saint Bernard rédigea, en 1118, la première règle destinée aux chevaliers. La Picardie et le Beauvaisis eurent des maisons de chevaliers du Temple et de chevaliers de Saint-Jean. Or, dès le début de ces ordres militaires, trois chevaliers frères, combattant près d'Ascalon, furent faits prisonniers. La fille du soudan d'Egypte, admirablement belle et instruite, fut envoyée dans leur cachot pour les convertir et discuter contre eux. Convertie elle-même à la foi chrétienne, elle les délivra. Ils couraient risque d'être repris. Ensemble, ils furent transportés tout d'un coup, pendant leur sommeil, en pleine Picardie, avec la princesse tenant entre ses bras une statue miraculeuse de la sainte Vierge.

Etant données les circonstances, l'histoire de Notre-Dame de Liesse fut la merveille qui répandit dans les esprits une allégresse et une confiance toutes nouvelles. La statue miraculeuse fut, comme la pierre de Villers-Saint-Sépulcre, le trésor rapporté de l'Orient pour enrichir l'Occident, trésor plus enviable que la possession d'une province, plus accessible au populaire. C'était la récompense donnée par le Ciel, et qui ne serait point ravie à ces contrées d'où l'élan premier était parti.

Et que cette histoire de Notre-Dame était belle! Le courage vaincu, l'héroïsme des chevaliers accablés par le nombre, trouvaient la sainte Vierge pour protectrice puissante. Un noir cachot, dans lequel on les précipitait, pouvait s'illuminer des rayons de sa gloire, être rempli, par sa présence, des parfums les plus exquis, des parfums célestes. La menace des tortures était rendue vaine. Les chaînes pesantes ne retenaient pas ses dévots serviteurs. Les rudes chevaliers, habitués aux batailles, et mis aux prises avec les philosophes et les docteurs de l'islamisme, réduisaient au silence toute la science de l'Orient, toute la sagesse de l'Egypte. C'était alors que la fille du soudan, éru-

dite et habile autant que les docteurs, plus habile peut-être dans les détours de l'argumentation, jugeait ces adversaires de sa loi dignes d'être convaincus par elle. Enfin la beauté de la princesse Ismérie et son intelligence plus cultivée qu'on ne la suppose chez les femmes de l'Orient, en faisaient une digne conquête pour la foi chrétienne. La femme de l'Orient, environnée de séductions, ayant fait à Mahomet, jusqu'alors, autant de prosélytes que le sabre, était gagnée à Jésus-Christ. Et, dans cette histoire toute remplie de miracles et de pureté, la vierge de l'Islam portait en ses bras l'image de la Reine des vierges. Le triomphe de Marie ressortait éclatant, manifeste.

D'autre part, Mahomet avait défendu les statues comme un acte d'idolâtrie, et la princesse Ismérie sentait une consolation divine descendre dans son âme en contemplant l'image. Une bonne partie de l'Orient détestait les images, depuis Léon l'Isaurien, le premier iconoclaste ou briseur d'images. Les Juifs étaient ennemis des images et proscrivaient toute représentation. Notre-Dame de Liesse apparaissait comme le signe de la victoire sur l'erreur iconoclaste, qui s'appuyait sur l'erreur juive et sur l'erreur musulmane. C'était la revanche de la religion de l'Occident, tout à la fois contre la force brutale qui forge des chaines, contre l'hérésie, contre la science et la sagesse de l'Orient, revanche illuminée de l'éclat incomparable de la sainteté, de la pureté et du miracle.

Si l'on tait ces causes intimes et populaires de l'origine des croisades et de l'enthousiasme qui en prolonge la durée, on en laisse dans l'ombre un côté épique, naïf et vrai. On pourra dire que les Papes ont excité les princes et les grands; mais ils cédaient au sentiment des masses. Le cri: *Dieu le veut!* était bien le cri de la chrétienté.

NOTES COURANTES ET BRÈVES SUR LES ÉPITRES DU LIVRE III.

Nous ne signalons ni dans les notes courantes, ni dans des *errata* les fautes laissées dans le texte, espérant que quelques-unes disparaîtront au clichage, que d'autres seront rectifiées avec un peu d'attention par les hommes instruits auxquels s'adresse l'édition. Ce n'est qu'à titre exceptionnel que nous rétablissons quelquefois le sens.

Ep. 3. Honorius prend en mains la cause de l'évêque exilé pour la défense des libertés ecclésiastiques. — Ep. 4. Mais il sait résister aux prétentions du patriarche de Constantinople, qui envoie des légats avec la plénitude de la puissance, lesquels excommunient ou relèvent de l'excommunication, ne tiennent pas compte des appels, méprisent les lois du Concile de Latran.— Ep. 15, col. 22, lig. 7, lisez : Sed nullo dubio, avec le sens : sans nul doute. Ou : nullo medio, avec le sens : sans autre alternative entre les deux extrêmes. — Ep. 16, 17, 18, 19. Le Pape accorde à la croisade contre les Albigeois toutes les faveurs des croisades de Terre-Sainte. — Ep. 24. Très-remarquable pour le droit public du moyen âge : Honorius concède au roi de Danemark la souveraineté sur les territoires enlevés aux infidèles. — Ep. 27. Evidemment incomplète. La fin manque; il n'y a point de conclusion. — Ep. 29. Cf. supr. *Collation des bénéfices.* — Ep. 35. Beauté de la pensée et de l'expression : « Et verbera patris et ubera matris Apostolica Sedes habet. » Plus loin, paroles conformes au caractère particulier de Honorius, manifesté en plusieurs endroits avec des termes analogues : « Nos qui juste commoti fuimus contra eum, nequeuntes in ira misericordiæ oblivisci... » — Ep. 42. Celui qui a la science et en même temps le désir de la mettre à profit pour l'utilité des autres, ne doit pas rencontrer d'obstacles, car le Seigneur adresse ses reproches à celui qui garde enfoui le talent confié : doctrine conforme à tout ce qu'a dit antérieurement Honorius. — Ep. 44. Droit public : L'absolution des censures est accordée aux habitants d'Alexandrie, dans la haute Italie, à la condition de s'obliger par serment à n'adhérer à aucun parti, à aucune ligue contre la prohibition du Siége Apostolique. — Ep. 46. Privilége concédé au roi d'Ecosse : Le royaume ne sera soumis à aucun interdit, à aucune excommunication qui ne procéderaient pas directement du Siége apostolique ou du légat; les fonctions de légat ne seront confiées qu'à un Ecossais ou à un membre de la cour Romaine; toute cause sera jugée définitivement en Ecosse, si ce n'est en cas d'appel au Pontife. — Ep. 49. Bulle où se trouve le nom de Lourdes, devenu par la suite si célèbre. — Ep. 52, 53, 57. Collation des bénéfices. — Ep. 55. Correction probable : Qui hæreticis illius provinciæ, qui Faiditi dicuntur, communicare præsumens. — Ep. 62. Témoignage rendu aux moines de Citeaux : Dieu bénit le travail de leurs mains; plus ils donnent abondamment aux pauvres et plus ils trouvent chez eux l'abondance. — Ep. 71. Voir l'ép. 126. Le véritable texte sera facile à rétablir par le rapprochement des deux épitres. — Ep. 73. Ad forum publicum, pro causarum strepitu, *extrudantur*. Ce dernier mot est exigé par le sens. — Ep. 78. Correction probable : Et rebus aliis *injuriatur eisdem*. — Ep. 82. Cantuaria, cantus *ara*. Expression ingénieuse. — Ep. 91. Gouvernement des religieuses identique à celui des religieux. Cf. dissertation en tête du présent Appendice. — Ep. 92. Voir ép. 199 du liv. I. — Ep. 93. L'élection de celui « qui pateretur in litteratura defectum, » est annullée; les électeurs sont déclarés déchus de leur droit, et le pouvoir d'élire passe tout entier aux autres électeurs. — Ep. 97. Deux conditions requises pour l'élection de l'abbé : « persona litterata et provida, » et c'est là ce qui constitue l'*idonéité*. — Ep. 99 : épître décrétale; discipline. Correction : « Ad commonitionem et jussionem episcopi corrigantur, infra terminum competentem ab episcopo præfigendum, alioquin ex tunc... » — Ep. 102. Cf. tom. I, *Quint. Compil.*, lib. III, tit. 8, c. 1. —

Ep. 105. Comptabilité des croisades et du cens. Honorius recommande aux collecteurs de procéder « cum omni mansuetudine et diligentia, » d'inscrire exactement ce qu'ils ont reçu, « quid et quantum, » de recueillir comme pièces de comptes des attestations de conformité délivrées par chaque archevêque, évêque ou abbé; enfin d'en effectuer exactement le dépôt, puis l'envoi. — Ep. 107. Pouvoir d'absoudre des cas réservés ceux qui participeront à la croisade albigeoise. — Ep. 114. Correction probable : « Quæ separata est ab alia parte civitatis ejusdem *prædictæ*, nostris et ejusdem episcopi juraverint stare mandatis. » — Ep. 119. Très-curieuse par l'énumération des redevances à payer à l'évêque. — Même ép., col. 119, corrections : Verbum in concione, super prædictis et aliis, ad populum proponente, et populo unanimiter consentiente, hanc chartam et satisdationem omnium prædictarum rerum, possessionum, etc. Res quæ evincerentur, in duplum, nomine pœnæ, etc. — Ep. 121. Plusieurs incorrections faciles à corriger par le rapprochement de bulles nombreuses renfermant les mêmes clauses de style. — Ep. 124. Maxime : « Hominum non est malitiis indulgendum. » — Ep. 130. Discipline: « Iidem singulis diebus dominicis, usque ad annum, in capitulo verberentur, et omni sexta feria vivant in pane et aqua. » — Même ép. Mention faite des *vicaires* de l'évêque dont le nom commence à figurer, à cette époque, dans divers documents, tandis que l'institution des archidiacres est à son déclin. — Ep. 136. Cf., ép. 130, sur le même sujet. — Même ép. Le *Curiosus*, en certains monastères, était celui qui avait la charge du temporel. — *Ib.*, col. 145, lig. 32, lisez : Vel si nequiverint omnes commode interesse. — *Ib.*, col. 147. A remarquer : Le langage par signes, pour ne pas rompre le silence du monastère. — *Ib.*, col. 149 : Laborem loco pœnitentiæ. — Ep. 146. Droit canon : Les dérogations à un privilége concédé, qui ne font pas mention expresse de ce privilége sont considérées comme n'étant pas « de certa scientia a Sede Apostolicæ emanantes. » — Ep. 150. Sommaire : Illi ecclesiam de Grinda, præpositurae ejus libere, in augmentum præbendarum, collatam a Frederico rege, confirmat. — Ep. 152. Historique : Honorius ordonne la démolition des fortifications des églises, et défend que d'autres églises soient fortifiées à l'avenir. — Ep. 153. Il permet la translation, en lieu plus convenable, des églises bâties près des fortifications des villes. — Ep. 162. Dispense du vœu de Terre-Sainte, moyennant une aumône proportionnée. — Ep. 165. Fête de la Dédicace fixée pour l'ordre de Cîteaux, au 3 des nones d'octobre. — Ep. 170. Historique. Priviléges des étudiants de l'Université de Paris maintenus. — Ep. 174. Sommaire : Ne quæstio sopita. — Ep. 175. Conforme, sur ce point, à beaucoup d'autres précédentes; favorise les défrichements par l'exemption d'impôts. — Ep. 181. La croisade des Albigeois, moyen d'expiation comme celle de Terre-Sainte. — Ep. 183, col. 196. Lisez : Fructum ex vinea vobis commissa faciemus requiri. Perditis male malis, vineam ipsam aliis agricolis profecto locabimus. — Ep. 190. Honorius demande l'envoi à Rome de sujets propres pour les missions : c'est la Propagande avant Grégoire XV et le dix-septième siècle. — Même ép. Ponctuation généralement mauvaise, accompagnée de quelques fautes. Lisez : Ne, si secus vineam Domini, nostræ curæ commissam, positas undique *solitudines*....: extendentes in easdem palmites fidei, compluentesque illas aquis..., ac sic, effundente Domino spiritum de excelso in solitudine, judicium (vraisemblablement : juridiction, territoire, région)... ne ab eo (a Deo) judicetur, dividicus (rivus, cours d'eau vive, qui sépare), habitet, fiatque nationum desertum in Chermel (le désert des nations devenant fertile comme le Carmel), etc. Quum multi, per Dei gratiam, ad hoc opus idonei, latitent intra Ecclesiam, otio contemplationis vacantes, amplexibus infecundæ Rachelis videntur inhærentes, ... eos duximus excitandos, ut et in hac undecima hora, conducti mandragoris, Lyæ ingrediantur cubiculum, et vineam Domini studeant propagare (cf. *Gen.*, c. xxx). Nitentes asinos (cf. *Judic.*, v, 10). Vitæ senatum, la récompense de la vie. — Ep. 204. Dans la famille religieuse, les aliénations et les actes d'administration réputés majeurs exigent le consentement de la « major pars et sanior » des membres de la communauté. Dans la famille romaine, les enfants n'ont aucun droit sur les biens, du vivant du père, pour en empêcher la vente ou concourir à l'administration : la *potestas* suffit à tout. Le principe du droit actuel sur les biens paternels et du consentement des enfants, nécessaire pour aliéner, malgré l'autorité éminente du chef de famille, est un principe germain (cf. *Recherches* sur la condition des femmes, par Laboulaye, p. 72), que la famille religieuse s'est approprié, en modifiant sur ce point l'institution romaine. V. supr. Dissert. en tête de l'Appendice. — Ep. 206. La pensée que nous touchons à la fin des siècles a été adoptée bien avant Honorius. — Ep. 207. Fort curieuse. Le principe germain du droit actuel des membres de la famille sur les biens que nul, cependant, ne possède individuellement, vient ici en aide, après le serment prêté pour un compromis. Les anciens, liés par la sainteté du serment, ne peuvent réclamer contre la convention intervenue, « maxime damnosam » (le sens indique *maxime* au lieu de *minime*); ils n'osent pas, « non audeant. » Les nouveaux membres, adrogés postérieurement à la date du compromis, se regardent comme libres à l'égard du serment, comme ayant droit actuel (à cause du principe germain), et ils réclament du Souverain Pontife, soit la restitution *in integrum*, soit tout autre re-

mède efficace. — Ep. 216. Exhortation pressante à maintenir la trêve. Remarque sur l'inégalité de valeur des serments. Philippe-Auguste a conclu la trêve, mais il refuse le serment parce que son adversaire étant un enfant, le serment fait par celui-ci n'aurait pas la force de celui du roi de France. — Ep. 227. Honorius annulle une excommunication portée contre les maîtres et les étudiants de l'Université de Paris. — Ep. 221. Cf., liv. II, ép. 233, t. II, col. 737, même sujet. — Ep. 230, col. 239, ligne 42, membre de phrase omis. Après : Major pars capituli vestri : « pro aliquo fidejubeat, aut ab aliquo mutuam pecuniam accipiat, ultra pretium capituli vestri. » — Ep. 250. Avant la Réforme, l'Eglise n'a cessé de réformer, toutes les fois que le besoin a été manifeste; beaucoup d'autres épitres, aussi bien que celle-ci, en donnent la preuve. Dans le cas présent, ce sont les moines eux-mêmes qui demandent la réforme : A nobis humiliter postulabant monachi ut desolationi sui monasterii paterno compatientes affectu, id quod per inquisitores quoad correctionem ejusdem monasterii fuerat inchoatum, perfici misericorditer faceremus. Cf., ép. 130, 136, etc. — Ep. 257. Cf., tom. II, col. 885 : Les siècles de violence.

APPENDICE DU LIVRE IV.

LE RÈGNE DE FRÉDÉRIC II.

Le règne de Frédéric II est un règne fort troublé, et c'est au caractère même du souverain qu'il faut attribuer les troubles de ses États. Autant qu'il est possible de constater l'unité de vues dans la conduite d'un prince qui suivit bien souvent les hasards de ses caprices, sans adopter une politique de principes, on pourra croire qu'il eut pour but l'établissement à son profit d'une vaste monarchie absolue, s'étendant des mers du nord jusqu'à l'extrémité de la Sicile. Un tel dessein ne serait pas sans grandeur, s'il eût été fondé sur la loyauté; mais Frédéric se joua toujours de ses serments et de ses promesses. De si grands projets devaient être accompagnés de sagesse et de maturité dans les conseils ; mais Frédéric fut « ondoyant » dans ses résolutions, et sa perspicacité n'alla pas jusqu'à voir l'incompatibilité de caractère des peuples qu'il voulait réunir sous une même domination, savoir les Allemands et les Italiens du midi. Le royaume de Naples parut avoir ses prédilections personnelles ; il y séjournait volontiers, et néanmoins le centre de sa puissance comme souverain était en Allemagne. Il ne jugea pas que son empire eût besoin d'idées communes devenant la base de la vie nationale, car il donna l'étrange spectacle, en plein moyen âge, d'un empereur chrétien prenant à sa solde des troupes de Sarrazins, et allié des souverains musulmans. La gloire du législateur le tenta; mais il ne fut pas un Justinien, et ce furent les Papes ses contemporains qui publièrent de nouveaux Codes, répondant aux besoins du temps. Frédéric ne fut pas grand, malgré l'étendue de ses États ; Honorius III le fut bien davantage. Le règne de Frédéric apporte une note discordante au milieu de l'Europe chrétienne. Il prend son parti très-aisément de vivre soumis à des excommunications successives ; il se couronne de ses propres mains dans Jérusalem, au refus de l'autorité ecclésiastique; une implacable persécution des hérétiques d'Allemagne signale la fin de son règne, et il meurt revêtu de l'habit de Cistercien. C'était à force de ruses et d'astuce qu'il avait fait reconnaître roi des Romains son fils Henri, contre le gré du Pape Honorius. Plus tard, au milieu des réjouissances pour ses troisièmes noces, avec Isabelle, il fait charger de chaînes ce fils aîné, jadis si cher, et jeter en prison sa femme et ses deux enfants : Henri meurt six ans après, oublié et toujours prisonnier. Conrad, fils de Yolande, sa seconde femme, meurt à la fleur de l'âge. Enzio, son fils naturel, tomba aux mains des Bolonais, à l'âge de vingt-quatre ans, et ils firent serment de ne jamais lui rendre la liberté, quelque rançon qu'on pût offrir : la mort seule le délivra. Mainfroy, autre fils naturel de Frédéric, fut accusé de lui avoir versé un breuvage empoisonné, durant sa dernière maladie, et de l'avoir étouffé, jugeant que la mort ne venait pas assez vite. Conradin, son petit-fils, fut le dernier des Hohenstauffen; il porta sa tête sur un échafaud. Après sa déposition prononcée par le Concile de Lyon, Frédéric avait de nouveau posé avec orgueil, sur sa tête, cette couronne ornée de pierreries, qu'il avait portée aussi à Jérusalem. Elle tomba aux mains de ses ennemis, lorsqu'il attaquait Parme ; on la mit sur la tête d'un nain, qui fut promené dans la ville avec dérision. Pierre des Vignes, le légiste qui avait aidé à affermir sa puissance, en mettant au service du monarque sa

science juridique, eut les yeux crevés, sur un soupçon de trahison, et périt dans son cachot. Thaddée de Suesse, son défenseur au Concile de Lyon, tomba au pouvoir des Parmesans, qui lui coupèrent les mains et hachèrent son corps en morceaux. Ezzelino le Féroce, tyran de Padoue, gagna son surnom en secondant Frédéric : les Sarrazins combattant sous ses ordres avaient imaginé de fendre en quatre les prisonniers. Un auteur contemporain raconte ce qui suit : Les temples étaient profanés, les vases sacrés servaient à la cuisine et dans les offices de l'empereur ; les cendres des saints étaient jetées au vent, et leurs ossements sacrés dispersés par les Sarrazins, qui s'en faisaient un jeu ; des ecclésiastiques vénérables furent jetés dans de sombres cachots, d'autres eurent les yeux crevés, d'autres furent jetés dans les flammes ; des villes entières furent détruites et ruinées ; Ezzelino fit périr par le feu douze mille Padouans renfermés dans l'amphithéâtre de Vérone. On assura que Frédéric était l'auteur d'un livre intitulé : *Les trois imposteurs, Moïse, Jésus-Christ et Mahomet*. Le Pape l'en accusa au Concile de Lyon. En ce qui concerne ses projets d'un vaste empire héréditaire dans sa famille, il fut déçu par la fin tragique de sa race et par les événements ultérieurs.

Un changement immense, dit Hofler, résulta de la sentence prononcée par le Concile contre l'empereur ; ce fut l'ouverture d'une ère nouvelle. On nomma d'abord roi des Romains Henri de Thuringe, puis Guillaume de Hollande. Plus de cent cinquante ans se passèrent avant que la succession à l'empire se réglât définitivement, et que les élections se fissent sans répandre du sang. Au calme d'un développement naturel succéda la violence qui engendra l'oligarchie des sept électeurs. D'autre part, des historiens affirment qu'en Égypte, après la prise de Damiette, cent mille esclaves, chrétiens ou autres, n'attendaient que l'arrivée de l'armée de secours promise par l'empereur d'Allemagne pour un soulèvement général, qui eût ruiné à tout jamais la puissance des soudans. Frédéric manqua cette grande occasion d'illustrer son nom. — Tel a été l'empereur contemporain de Honorius.

Les Papes, chefs spirituels de toute la chrétienté, ne peuvent être jugés isolément. Il faut, de toute nécessité, les replacer au milieu de leurs contemporains, pour savoir quels obstacles s'opposaient à leur action, quelles difficultés des circonstances devaient être surmontées, quelles tendances mauvaises du siècle ou des hommes menaçaient la société chrétienne. Or, bien que les faits du règne de Frédéric II appartiennent, pour une partie notable, au Pontificat suivant, Honorius III est néanmoins celui qui l'a couronné empereur, celui qui l'a pressé d'accomplir le vœu de Terre-Sainte, qui a consenti par indulgence à ses délais, etc.

Honorius n'a pas connu l'homme tout entier, tel qu'il est acquis à l'histoire et qu'on vient de le dépeindre ; il a connu un règne se faisant au jour le jour, avec ses promesses successives, avec les démentis des faits succédant aux promesses. Instruits par l'histoire, nous pouvons mieux définir quelle était cette nature peu docile sur laquelle devait s'exercer l'action pontificale.

L'extérieur de Frédéric, assure-t-on, rappelait sa double origine, allemande et italienne. Ses cheveux d'un blond ardent étaient ceux d'un enfant du nord ; ses traits, et sa taille peu élevée, le rapprochaient du type italien. Il devait au pays dans lequel il était né, son amour pour la musique vocale et instrumentale, dans laquelle il excellait, ainsi que son goût pour la poésie. Il était redevable à l'éducation que lui avait fait donner Innocent III, et au cardinal Cencius, son savant précepteur, plus tard Honorius III, de connaissances beaucoup plus étendues que ne les possédait aucun prince de son siècle, en histoire, en littérature ancienne, même en théologie dogmatique et morale. Il parlait également bien l'italien, l'allemand, l'arabe, le grec et le latin. Ajoutons, pour compléter ce portrait, qu'il réunissait en lui toutes les qualités brillantes, et qu'au début de son règne il attirait à lui les cœurs en se montrant au besoin caressant, affable et généreux. Ce n'était donc pas sans motif que Honorius avait fondé sur lui les plus grandes espérances (1), hélas déçues !

LE CHANCELIER PIERRE DES VIGNES.

Le chancelier Pierre des Vignes, né pauvre, à Capoue, étudia à Bologne et devint l'ami et le confident de Frédéric II, dont il fut le légiste. Il avait, suivant le Dante, les deux clés du cœur de Frédéric, « pour le fermer et pour l'ouvrir ». Son maître l'avait initié, dit Dezobry, à ses plans de réforme religieuse. Ce fut lui, dit l'abbé Blanc, *Cours d'hist. eccl.*, leçon 129, qui rédigea, au nom de l'empereur, un Code pour la Sicile, dans lequel les deux puissances étaient séparées, ce qui faisait disparaître la constitution primitive du nouvel empire d'Occident. Frédéric, suivant la remarque

(1) Frédéric II fut, dit Villeneuve, *Hist. d'Allemagne*, « le génie poétique de la famille des Hohenstauffen, mais il méprisa le rude idiome tudesque pour la langue harmonieuse de l'Italie, dont les accents furent les premiers qui frappèrent son oreille. Quoi qu'il en soit, on dit que Frédéric était le premier poète de son temps ».

En littérature, comme en politique, il fit fausse route. C'est vers l'an 1210, c'est-à-dire à l'époque de Frédéric II, que fut colligé le poème des *Niebelungen*, que des critiques allemands n'ont pas craint de placer à côté, et même au-dessus de l'*Iliade*, en l'attribuant à Conrad de Wurtzbourg, à Klingsœr, à Wolfran d'Eschenbach, à Henri d'Otherdingen. Cette grande inspiration poétique resta ignorée du poète-empereur.

de Rohrbacher, faisait appeler par son chancelier tous les autres souverains du nom de « rois provinciaux », et lui-même s'intitulait « la loi vivante », *Hist. de l'Église catholique*, liv. 73. Car il gardait, ajoute-t-il, la prétention héréditaire de sa famille, de revendiquer à l'empire tous les pays que les Romains avaient jadis possédés, et il espérait réaliser la politique allemande qui faisait de l'empereur allemand la seule loi et le seul maître du monde. Tel était dans le fond le grand péril de la chrétienté à cette époque.

On a publié six livres de *Lettres* de Pierre des Vignes, Bâle, 1566. Il a écrit aussi un *Traité* de la puissance impériale. (Cf. Durand, *Pierre des Vignes, sa biographie et ses lettres*, thèse, 1848; Hofler, *Kaiser Friedrich II*, 1844; Huillard-Bréholles, *Hist. diplom. Friderici II*, 1852-61; Alberto Vecchio, *Intorno alla legislazione di Friderico II, Saggio*, 1872; Dantier, *Rev. contemp.*, XX, 590; Huillard-Bréholles, *Rev. britann.*, 1863, VI, 309.)

Pierre des Vignes, secondant les desseins de Frédéric II, était un Italien et un juriste s'inspirant du passé, c'est-à-dire du droit romain, n'ayant point dès lors une intelligence suffisante soit de l'Allemagne, soit du droit nouveau. Luden, *Hist. d'Allemagne*, liv. XXVI, ch. 4, 5, décrit ainsi qu'il suit l'état de fractionnement de l'empire, d'où sortit une nationalité vivace, par des causes bien imprévues de Frédéric et de Pierre des Vignes : « Nul ne pouvait dire, dans cet empire allemand, où était le centre, où étaient les frontières. La ville elle-même, à laquelle était attaché le nom impérial, n'était pas dans l'empire. Frédéric était empereur des Romains, Henri roi des Romains. Dans les négociations officielles, il n'était jamais question d'un roi des Teuschs, ni d'un peuple teusch. Comment les princes se seraient-ils souciés du trône et de l'empire? Ils devinrent seigneurs territoriaux, par l'effet des circonstances, sans avoir l'intention de se séparer de l'État ou du roi ». Les villes se sentaient isolées. Celles des bords du Rhin et du Danube avaient gardé quelques vestiges du commerce qu'elles faisaient jadis, aux derniers temps de l'empire romain. Dans leur sein, l'industrie forma des corporations. Entre elles, elles s'unirent par des ligues, *V.* ci-après. Le droit coutumier naissait ou se fortifiait, sans aucun souci de la législation impériale plus savante. Et tandis que Pierre des Vignes et Frédéric codifiaient sans l'intelligence des temps nouveaux, le *Miroir de Saxe* codifiait, d'autre part, dans le premier tiers du XIII[e] siècle, à l'époque même de Frédéric, une législation spéciale, beaucoup plus nationale. Le *Miroir de Souabe* suivait bientôt. Les véritables instincts nationaux se révélaient de toutes parts, et lors même que Frédéric eût pu asservir la Papauté, pour en faire l'auxiliaire docile de ses projets, il n'aurait pas réussi dans son œuvre impossible. La lutte, tantôt sourde et tantôt ouverte, était inévitable entre l'empereur et la Papauté, que l'on a si bien nommée la conscience de l'humanité, et qui, durant tout le moyen âge, a si bien ressenti et pressenti tous les incidents de la vie des peuples. Toute la vie sociale aboutissait au cœur de la chrétienté et refluait du centre aux extrémités. Tout monarque qui méconnaissait ou qui combattait les véritables aspirations de la nation à la tête de laquelle il se trouvait placé était l'adversaire du Pape.

Comme l'a fait remarquer Huillard-Bréholles, auteur si compétent sur le règne de Frédéric II, *Rev. britann.*, loc. cit., le treizième siècle n'est pas exclusivement une époque de paix, de piété, d'obéissance et de concorde, mais un siècle travaillé, à certains égards, par des besoins vagues et mal définis de rénovation. A ce point de vue, le seul représentant complet de cette époque turbulente, sceptique... et violente, lui paraît être Frédéric II, sur lequel les travaux de MM. Raumer et de Cherrier ont commencé les premiers à rappeler l'attention. C'est dans la vie de ce souverain, suivant eux, qu'il faut chercher le « point culminant de la lutte du sacerdoce et de l'empire, » et le nœud même du moyen âge. (Voir aussi les travaux de Kington, en Angleterre, et de Schitmacher, en Allemagne.)

En effet, les défenseurs officiels de l'empire, sous Frédéric II, poussant à l'extrême leurs déductions, dit toujours M. H.-Bréholles, arrivaient à cette formule, qui est la contradictoire de celle de la Papauté : Le pouvoir de l'empereur est, comme celui de Dieu, si haut qu'on n'y peut atteindre, si plein qu'on n'y peut rien ajouter; à plus forte raison n'en peut-on rien retrancher, car aucune portion de la souveraineté impériale ne saurait être valablement aliénée. D'où il suit, par voie de conséquence du principe juridique de révocabilité des donations pour cause d'ingratitude, que les Césars peuvent retirer au Saint-Siége tous les pouvoirs dont il jouit, et qui ne sont que des concessions ou des démembrements du pouvoir impérial. Au reste, imbu des idées romaines des Césars sur l'unité du pouvoir, Frédéric entend subordonner l'Eglise à l'Etat, et il arrive incidemment, en ce qui concerne le Souverain-Pontife, à la pensée de le dépouiller de ses revenus et domaines, en lui attribuant une pension fixe, perpétuelle, assurée par cautions suffisantes. Kington estime que, dans l'hypothèse de la réussite de Frédéric, le résultat peut se conjecturer par l'exemple analogue de Constantinople et de Moscou. Le Pape n'avait plus qu'à enregistrer les décrets d'Auguste. Mais Rome vit le danger, et Kington reconnaît que la politique des Papes fut prévoyante.

Frédéric II s'efforça de donner à la Sicile une organisation sérieuse, fondée sur la « concentration politique et l'administration régulière. » Il espérait imposer cette même organisation, de proche en

proche, aux diverses parties de l'Italie d'abord. Mais il envisagea le pouvoir des Papes, nous dit-on, comme un élément réfractaire et, par sa nature, séparatiste. S'en tenir à cette appréciation, c'est restreindre, néanmoins, et limiter hypothétiquement le danger que Frédéric faisait courir à l'Eglise et à la société catholique du XIII[e] siècle.

Nous citons M. H.-Bréholles : « Il commença par préconiser le retour à l'antique Eglise, à l'humilité, à la pauvreté, seul moyen, disait-il, d'opérer de nouveaux miracles dont la foi chancelante avait besoin. Puis, il se déclara égal, *sinon supérieur au Pape, en vertu d'une sainteté inhérente de droit divin au caractère impérial*. Enfin, par suite de ce principe, il résolut d'établir une Eglise indépendante, *dont il eût été le chef*, et non-seulement de *se substituer au Pape dans le gouvernement spirituel* des Siciliens, mais aussi de faire triompher dans les pays voisins *la suprématie religieuse du pouvoir laïque* ». Ses prédicateurs s'exprimaient en ces termes : Qu'il ne soit plus question du Pape, mais priez plutôt pour le seigneur empereur Frédéric et pour son fils; ce sont là les parfaits et les justes. Pierre des Vignes était devenu « le nouveau Pierre, la pierre angulaire de la nouvelle Eglise, car c'est sur lui qu'est fondée « l'Eglise impériale » (*sic*), *in cujus petra fundatur imperalis ecclesia;* Pierre le Galiléen a renié trois fois son maître: il n'est pas à craindre que Pierre le Capouan renie une fois le sien. » Ainsi parlait-on, et l'on ne saurait révoquer en doute que Frédéric tenta ouvertement d'établir une Eglise indépendante, au moins dans la Sicile, dont il eût été le *chef spirituel*, et Pierre des Vignes l'administrateur et le vicaire.

En même temps, l'infatuation de sa propre personne faisait dépasser tout le langage hyperbolique employé à l'égard des Césars romains. Il appelait son fils : Race *divine* du sang des Césars; sa mère : *Diva* mater nostra. Jesi, lieu de sa naissance, devenait « la terre bénie de Bethléem de la Marche d'Ancône ». Les courtisans le nommaient « le juste descendu des nues, et sur lequel les Cieux ont versé leur rosée, le chef de la loi, le vicaire et le coopérateur de Dieu, la réelle image, dans les choses visibles, de l'Intelligence céleste ».

Quant à Pierre des Vignes, on sait que son maître lui fit crever les yeux, et qu'il mourut dans un cachot contre les murailles duquel il se brisa la tête. Triste fin d'une longue carrière d'adulation.

LA HANSE.

Frédéric II, résidant plus volontiers en Italie qu'en Allemagne, ne paraît pas avoir soupçonné qu'une transformation importante s'accomplissait au sein de la nation allemande, à l'époque à laquelle il vécut. Là où il voulut transformer, il échoua. Là où la nation transformait, par suite de l'énergie inhérente à une société douée de vitalité, il ne vint point en aide.

Honorius fut certainement plus clairvoyant que Frédéric II.

On a reproché même au Pontife, à tort néanmoins, d'avoir divisé les forces et l'action de la chrétienté par les croisades de Prusse et de Livonie. Ces croisades de Prusse et de Livonie n'avaient point pour objectif, comme les croisades de Palestine, la conquête du tombeau de Jésus-Christ. Il n'était pas non plus question de ce côté, comme en Espagne, du refoulement d'une religion et d'une race, l'une et l'autre envahissantes, qu'il fallait obliger à repasser le détroit. Ces croisades étaient-elles donc sans but utile ?

Honorius a provoqué, encouragé les missions, autant et plus que les croisades, dans les pays situés au nord de l'Allemagne, devançant, pour obtenir des résultats plus décisifs, et par une sorte d'intuition, l'institution de la Propagande, et les œuvres de la Sainte-Enfance et de la Propagation de la Foi par l'aumône, Cf. tom. II, Append., col. 885; tom. III, Append. du liv. III, ép. 190, notes courantes.

Ses efforts tendaient tout à la fois, dans les régions voisines de la mer du Nord et de la Baltique, à l'établissement d'un état social, conservant la nationalité des populations, mais cessant d'être une menace pour les pays chrétiens, et à la diffusion de la doctrine de l'Évangile, c'est-à-dire à l'admission des peuplades encore barbares dans le sein de la fraternité européenne et chrétienne, Cf. notamment liv. II, ép. 217, 218.

Or, c'était le temps où le travail intérieur des peuples amenait l'établissement de la Hanse, comme puissance commerciale, puissance maritime, et même puissance politique. Il fallait à cette puissance nouvelle en voie d'organisation, la paix sur les frontières. L'alliance de Hambourg, de Lubeck, à laquelle accédèrent successivement les autres villes, est rapportée à l'an 1241, c'est-à-dire moins de quinze ans après la mort de Honorius III. Mais déjà, avant cette date de 1241, donnée comme le commencement de la Hanse, Nuremberg avait des traités avec Worms, Regensbourg et Spire (1). Ses traités avec ces dernières villes dataient de 1219; ils étaient conclus en plein pontificat de Honorius (2). Cologne avait eu de bonne heure sa hanse particulière, et ses relations commerciales avec l'Angleterre lui avaient valu une grande

(1) « En 1247, Brunswik se ligua avec Lubeck et Hambourg, l'année suivante avec Stade, en 1256 avec Brême. C'est ainsi que la Hanse s'accrut successivement. Dès 1260, on convoqua une diète, *hansetag*, à Lubeck. A partir de cette époque, la ligue s'étendit et se ramifia de plus en plus. Bientôt elle prit une attitude formidable; elle avait des armées et des flottes. » (Duesberg.)

(2) « Il résulte d'anciens documents que déjà, en 1243, les marchands de Lubeck et de Hambourg arrivaient, par la Hollande, en Flandre. Les marchands de Dortmund

prospérité. Les relations de Regensbourg avec Venise d'une part, et de l'autre avec les pays riverains du Danube, en avaient fait une ville florissante : ce fut au milieu du XIIIe siècle, du siècle de Honorius, qu'après une longue prospérité, elle perdit les éléments de sa splendeur, alors que Nuremberg, Augsbourg, Francfort commençaient à s'élever plus haut. Mais, suivant la remarque de Duesberg, *Hist. du commerce*, Paris, 1849, à aucune époque les rois d'Allemagne n'ont su tirer parti de la liberté et de la puissance des villes, et « la plus considérable parmi les associations commerciales, la ligue anséatique, n'obtint jamais des empereurs des franchises générales ». La prospérité et la richesse du pays purent aller croissant, par suite de la seule vitalité propre du commerce, et tout était dû à la seule infatigable activité des marchands. Lors donc que les empereurs ne voyaient rien poindre à l'horizon dans les régions du nord, la sollicitude de la Papauté était seule à chercher une organisation sociale de ces contrées.

Vers la fin de son Pontificat, Honorius, sollicité par l'évêque Christian de Prusse, consentit à une mesure importante. Les croisades au nord de l'Allemagne ne produisaient que des effets passagers : les croisés, après avoir donné leur présence en armes pendant un temps suffisant pour gagner les indulgences et se dégager de leur vœu, rentraient dans leurs foyers. D'autre part, les missions produisaient des résultats lents et incertains, par suite de l'attachement des peuplades barbares à leurs superstitions. C'est pourquoi, en 1226, Christian envoya au Pape une députation pour demander de concéder les territoires encore païens au grand-maître teutonique, Hermann de Selza, et à son ordre, qui jouissaient de la faveur de l'empereur et des grands. Honorius avait prescrit jusque-là le désintéressement absolu et le renoncement à tout esprit de conquête, Cf. tom. II, liv. 2, ép. 233, 249. Cf. ci-après, note sur l'ép. 126, liv. 4. Il accorda ce qui lui était demandé. Un état social régulier, normal, qui permettait à l'Allemagne du nord le développement libre de ses institutions, était la conséquence immédiate de cette décision. La conséquence éloignée fut la formation de l'État prussien, protestant, militaire, et tel que le connaît le XIXe siècle.

y viennent en 1248. Puis, ceux de Brême et de Stade; en 1252, ceux de Sœst, ainsi que les sujets des margraves Jean et Othon de Brandebourg. Cette même année, la compagnie des négociants allemands obtint des lettres de franchise en Flandre. (Id.)

NOTES COURANTES SUR LES ÉPITRES DU LIVRE IV.

Epître 1. Jacques d'Aragon, né en 1206, avait treize ans : ætate tenera. Il devint Jacques le Conquérant. — Ep. 3, col. 280 : Te petente omnia jura episcopalia in eisdem, tandem inter te et Pandulfum. — Ep. 5, col. 284 : Procuratoribus in præsentia constitutis. — Ep. 6. L'église dans laquelle il y a rixe sans effusion de sang n'a pas besoin d'être consacrée, mais réconciliée. — Ep. 7. Caution devant être fournie à l'évêque par les barons : pignoraticia vel fidejussoria. — Ep. 9. Exemple d'appel au Pape en matière de sacre royal. — Ep. 11. Liturgie. Abus devant être corrigé : un seul cierge allumé pendant la messe, et jusqu'à l'évangile, point de lumières aux processions. — Ep. 13. Quos ipsi elegerunt, procuratores, etc. — Ep. 15. Honorius abroge, casse, annulle les décrets portés par les Fulginates, podestat, consuls et représentants de la puissance publique, dans la forme et presque dans les mêmes termes employés par Pie IX, dans les encycliques *Nunquam fore*, du 15 déc. 1856, et *Incredibili*, du 17 sept. 1863, à l'égard du Mexique et de la Nouvelle-Grenade. — Ep. 18. Cf. tom. II, col. 885 : Siècles de violence. — Ep. 19. Organisation de la comptabilité des croisades. — Ep. 21. Viso processu, *ajoutez* : quem. — Ibid. Evêq. accusé d'adultère, de parjure, de simonie, d'homicide, de dilapidation ; ces accusations prouvées fausses. — Ep. 23. Exhortation très-pressante à Frédéric II, pour la croisade : Festina, festina, noli diutius exspectare, ... festina, rex egregie ; ... festina, si forte Dominus tanti consummationem negotii tuæ gloriæ reservavit. — Ep. 24. Belle pensée, exprimée dans un beau langage : Comment ceux qui n'obéissent pas à Dieu peuvent-ils commander à leurs inférieurs ? Quid autem hi a suis inferioribus gratuitum exigunt, qui majori et factori suo, omnino jam debita non exsolvunt ? — Ep. 26. Quiesa, ainsi écrit dans d'autres documents de la même époque, en latin, n'est autre que le mot italien *chiesa*, église. — Ep. 29, col. 311 : Liceat priori aliquid leviter dicere, probabl. : breviter. Col. 315 : Obedientiam secundum Deum et regulam, priori, qui pro tempore fuerit, fideliter servandam. — Ep. 31, col. 318 : Visis rationibus partium, monasterium vestrum, etc. — Ep. 32, col. 320 : Ab ipsius molestatione. — Ep. 33. Cum noluit exaudire, lisez : eum. — Ep. 27, col. 321. Erreur dans les chiffres romains indiquant la série des ép. — Ib. Violences des moines noirs, Cf. supr. note sur l'ép. 18. — Ep. 29, col. 322, dern. lign. : scandalo et *horrori* ou *oneri*. — Ep. 31. On pourrait interpréter dans le sens d'une exhortation pour la croisade de Livonie, « ad subsidium terræ acquisitionis ejus in Livonia », mais plus probabl. il s'agit de la croisade de Terre-Sainte. — Ep. 35. La fabrication de fausse monnaie dans quelques monastères atteste du moins la persistance de l'art pour le travail des métaux. — Ep. 36, col. 330, l. 2 : potes-

tatis abusu. — **Ep. 39.** Refus accompagné de toutes les formes les plus bienveillantes. — Ep. 40, col. 334 : damna et injurias irrogandi. Sens : devant attirer sur eux, en cas contraire, etc. — Ep. 46, col. 341, correction probabl. : mandamus quatenus, si [ita] est, [ut] revocato in statum debitum, si quid post hujusmodi appellationem inveneritis temere attentatum, partibus convocatis, causam [audiatis], et appellatione remota, etc.

Ep. 52. Collation de bénéfice : C'est avec un sentiment de douleur que le Pontife voit un clerc lettré et d'un âge suffisant, déçu dans son espoir d'obtenir un bénéfice dans son propre pays, « dolentes eum illusum fuisse. » — Ep. 53. Cette ép. est celle dont un extrait forme le célèbre ch. *De magistris*, dans la *Quint. Comp.* et dans le *Corpus juris*. Honorius élève solennellement la voix pour dénoncer un péril : « Plerique vigiles qui tenentur custodire Domini vineam, *dormiunt somnum suum*,... quumque lacteus et parvulus deficiat in plateis, vix est qui frangat panem parvulis, aut propinet sitientibus aquam sapientiæ salutaris, EO QUOD MODICA EST IN TERRA SCIENTIA DOMINI ». — Même ép. Le texte a besoin de plusieurs corrections, parmi lesquelles, col. 349 : [ad] archidiaconos, decanos... hæc extendi volumus ; col. 349: Hi [sunt] vestiti duplicibus,... [qui venient] in die novissimo, ad judicandum cum terræ senatoribus con[sessuri] ; col. 350 : patri : Quid generas? et matri : Quid parturis? — Ep. 54. Liturgiq., culte de la sainte Eucharistie. Importante. Cf., ép. 55, col. 354, au bas de la page, et 355. — Ep. 55. Caractère et style véhéments des encycliques : De manibus prælatorum negligentium sanguis requiritur pereuntium subditorum... claustrales plurimi fregerunt jugum, ruperunt vincula, qui etiam sicut stercus terræ jam contemptibiles sunt effecti..., propter hoc hæreses invalescunt, etc. — Ep. 61, col. 360 : divitiis cor [a]pponens. — Ep. 65, col. 365, 2e lign. : te ipsam offeras ; au bas de la page : prohibemus [ut] nulli. — Même ép., L'abbesse présentera à l'évêque un prêtre qui recevra charge d'âmes et sera : perpetuus vel *annuus*. Cette hypothèse va plus loin que l'amovibilité : il sera à l'année. En Droit, c'est la simple *locatio operum*. Il doit y avoir peu d'exemples du même fait. — Ep. 68, col. 370, au bas : Quantum in ipsis fuit, restiterunt. — Ep. 73. Belle pensée : Nimis natus est sibi soli, nimis intentus est propriis, nimis negligit communem causam populi christiani, qui diebus nostris in mentis angustia et tribulatione non fuit, etc. Col. 375 : Quis ipsius non obliviscebatur exercitus, qui ejus recordabatur, etc. — Ep. 80. Exemption de l'impôt de Terre-Sainte pour ravages causés par des guerres continuelles et stérilité de l'année. — Ep. 82, cf., ép. 119. — Ep. 83. Énergie d'expression, beauté du style : Perversi difficile corriguntur, libenter se contra suos erigunt, etc. — Ep. 90. Révocation de toutes les aliénations antérieurement faites des biens d'un monastère : exemple de *restitutio in integrum*. — Ep. 99. Droit eccl. Les demoiselles nobles qui vivent dans un monastère sans y avoir fait profession ne peuvent prétendre à la voix active dans les délibérations. — Ep. 102. Ecclesiastica [districtione] compelli. — Ep. 104. Ad agnitionem veritatis [veniant]. — Ep. 109. Exhortation à Frédéric II pour la croisade : il demande délai pour la quatrième fois, mais il ne doit pas ignorer que, d'après le droit, trois citations sans effet produisent la contumace : application inattendue d'un principe juridique. — Ep. 110. Abolition de statuts contraires à l'Université de Bologne : Statuta hujusmodi sunt iniqua et manifeste obviant scholasticæ libertati. Cf., ép. 55. — Ep. 114. L'*advocatia* d'une église concédée par le fondateur, à la condition pour ceux qui en seront revêtus de ne pouvoir la céder à titre de *subadvocatia*. — Ep. 117. Monastère qui ne connait pas toutes les terres lui appartenant : on aura recours à la notoriété. — Ep. 118. Exhortation pressante pour l'envoi de missionnaires en Livonie. — Ep. 119. Cf., ép. 82. — Ep. 124. La pauvreté n'exempte pas de l'accomplissement du vœu de Terre-Sainte : Quum et pauperes sint plurimi necessarii. — Ep. 126. Aux nouveaux chrétiens de Prusse : on croirait lire l'une des épitres apostoliques. Pensée chrétienne d'une grande élévation : « Non commodum rerum temporalium, quod cito periret, sed lucrum, quod erit perpetuum, in vobis quærimus animarum. » Désintéressement de la propagation de l'Evangile en Livonie. Quantum in nobis est, nunquam alicujus gravari dominio vel jugo patiemur subjici servitutis. » Cf. supr. *La Hanse*, dern. alinéa. — Ep. 127. Celui qui sème son grain sur l'eau et celui qui cache le froment sont maudits du peuple : proverbe de ce temps. — Ep. 128, col. 429 : Super eorum observatione [juramentum] præstitum. Ibid., avant-dernière ligne : Minime teneantur. Col. 430 : Appellatione remota compellatis. — Ep. 131. Salvis privilegiis. — Ep. 138. Pouvoirs les plus amples donnés par l'évêque pour le temps de son absence : administration libre et générale pour les prébendes et les bénéfices, et pouvoir non dénommé *in aliis*. — Ep. 140. Défense aux barons du roi d'Angleterre (dont le Pape est le protecteur) de posséder à la fois plus de deux forteresses royales. — Ep. 141. Le meurtre de l'évêque est puni par la privation de la dignité épiscopale pour la ville : telle est la prescription du Droit. — Ep. 142. Même sujet. — Ep. 145. Quelques évêques refusaient d'autoriser dans leurs diocèses les Frères Mineurs, même approuvés par le Pape. — Ep. 147. Historique. — Ep. 148. Justis petentium, etc. — Ep. 153. Providere a nobis [petitur] ne archidiaconus, etc. — Ep. 157. Petitio exhibita [monstravit], etc. — Ep. 158. Eo quod episcopus [sit] canonicus. Le texte n'est nullement mutilé.

En voici le sens : L'évêque se croit en droit, d'après la décision du Concile, de conférer les bénéfices vacants depuis six mois, en vertu de son autorité propre; mais les chanoines objectent que, dans le diocèse, l'évêque est membre du chapitre, et qu'en conséquence, s'il y a déchéance des droits du chapitre, à raison des six mois écoulés sans nomination, la déchéance doit atteindre l'évêque faisant partie du chapitre : c'est ce que le Pape n'admet pas, puisqu'après la déchéance du chapitre, l'autorité propre de l'évêque est celle en vertu de laquelle il agit. — Ep. 160, col. 456, dernière lig. : Idoneas cautiones [dando]. — Ep. 161, col. 457 : Favens hæreticis et receptans [illos]. — Ep. 162, col. 459 : [Plenariam] concedimus remissionem, etc. — Ep. 170. Quod sequens [effectus] nos doceat, etc. — Ep. 171. A ferri duritia Ferrarienses gloriamini nuncupari. Jeu de mots, défaut d'ailleurs assez rare dans les ép. — Même ép., col. 467 : Perfidiæ vulnus in [vobis] nondum incisione, etc. — Ep. 173. Flere libet, etc. Beau mouvement épistolaire. Col. 470 : pénitence prescrite. Remarquable discipline de ce temps. — Ep. 174. Le sceau détaché par rupture de fil ne rend pas la bulle vaine et sans force. — Ep. 176. Per clausulam illam : « possessionibus et rebus aliis » intentaret, etc. — Ep. 177, col. 475 : responderunt quod hoc nullatenus [Conradi fuisset] quod in sui juris., etc. — Ep. 184. Aucune satisfaction pécuniaire préalable ne peut être demandée aux religieux avant la levée de l'excommunication, parce qu'ils n'ont rien en propre.

APPENDICE DU LIVRE V.

CONSTITUTION DE FRÉDÉRIC II, PROMULGUÉE AU JOUR DU COURONNEMENT.

Ainsi qu'on l'a vu dans l'épître 109 du liv. V, col. 162 supr., Honorius III avait chargé son légat de proposer à Frédéric, avant le couronnement, des lois, rédigées à l'avance, et que l'empereur revêtirait de son autorité : « Capitularia quæ vobis mittimus inclusa, sub competentibus verbis, quæ sub nomine regio in leges redigantur, ... in die coronationis in basilica principis Apostolorum solemniter publicanda ». Ces lois, en quelque sorte imposées par la Papauté, deviennent la Grande Charte octroyée pour toujours : « leges... in æternum valituras ». Un tel document est d'une importance extrême, car il résume toutes les aspirations du Pontife, tous ses désirs pour la formation de la société chrétienne. Les dispositions contre les hérétiques sont celles, ou à peu près, de la législation de Justinien. L'empereur condamne, comme le Pape, les statuts des villes, qui venaient à éclore chaque jour, à cette époque, et que le Pape avait cru devoir annuller plus d'une fois, pour sauvegarder la liberté de l'Église. Un droit nouveau se fait jour, en faveur des naufragés et des aubains : on en a souvent fait l'éloge. Audessus de ces détails plane la question de principe : Rien n'est plus glorieux pour le prince que de purger ses terres des hérétiques et d'en faire disparaître les statuts contraires à l'Église, en assurant sa liberté; l'Église, par une disposition d'en Haut, recherche uniquement le bien, et il en résulte, entre son action et celle de l'empire, une nécessaire et indissoluble unité d'efforts et de volonté. Tel n'a pas toujours été, il est vrai, le langage de Frédéric II, et il a invoqué plus tard des principes différents. Cf. supr. l'Appendice du liv. IV.

CONSTITUTIO FREDERICI II,

QUAM APPROBAVIT DOMINUS PAPA HONORIUS III.

22 nov. 1220.

[Bullar. Romanum, edit. Taur., III, 374.]

Confirmatio legum pro immunitate, libertate et juridictione ecclesiastica editarum a Frederico II Romanorum imperatore.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, etc. Has leges a Frederico, Romanorum imperatore, filio nostro carissimo, pro utilitate omnium Christianorum editas, laudamus et approbamus tamquam in æternum valituras.

Et si quis ausu temerario, inimico humani generis suadente, quocumque modo has

infringere tentaverit, indignationem Dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, se noverit incursurum.

(*Sequitur tenor dictarum legum Frederici II:*)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator, et semper Augustus, marchionibus, comitibus, cunctisque populis, quos clementiæ nostræ regit imperium, salutem et gratiam. In die qua de manu sacratissimi Patris nostri summi Pontificis recepimus Imperii diadema; curavimus ad Dei et Ecclesiæ suæ honorem, edere quasdam leges, quas in præsente pagina jussimus annotari, per totum nostrum imperium publicandas; per imperialia vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus eas quisque litteras, in suo districtu irrefragabiliter et inconcusse servet, et sunt hæ leges:

Ad decus et honorem imperii et laudem Romani Principis, nihil omnino magis videtur accedere, quam ut expurgatis quibusdam erroribus, et iniquis quorumdam statutis penitus destitutis, de cætero Ecclesia Dei plena quiete vigeat, et secura gaudeat libertate. Sane adeo infidelium quorumdam et injustorum iniquitas abundavit, ut non dubitent contra Apostolicam disciplinam, et sacros canones, statuta sua confingere contra ecclesiasticas personas et Ecclesiæ libertatem. Cum ergo, dispositione divina favente, nihil velit Ecclesia, quæ nihil debet præter bonum appetere, quod nobis eodem concursu et eadem non placeat voluntate : nos Fridericus, Romanorum imperator et semper Augustus, hac edictali lege irritamus et irrita nunciamus omnia statuta, et consuetudines, quæ civitates, vel loca, potestates, consules, vel quæcumque aliæ personæ, contra libertatem Ecclesiæ, vel ecclesiasticas personas edere, vel servare, adversus canonicas vel imperiales sanctiones præsumpserint. Et ea de capitularibus suis mandamus, infra duos menses post hujus publicationem edicti, penitus aboleri. Et si de cætero similia attentaverint, ipso jure decernimus esse nulla, et eos sua jurisdictione privatos, superiori protinus applicanda. Nec non locum ubi deinceps talia præsumpta fuerint, banno mille marcarum præcipimus subjacere. Potestates vero, consules, rectores, statutarii et scriptores dictorum statutorum, necnon et consiliarii locorum ipsorum, qui secundum statuta vel consuetudines memoratas judicaverint sunt ex tunc ipso jure infames. Quorum sententias, et actus alios illegitimos præcipimus aliquatenus non tenere. Quod si per annum hujus nostræ constitutionis, inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum nostrum imperium, mandamus impune ab omnibus occupari. Salvis nihilominus aliis pœnis contra tales in generali Concilio promulgatis.

Item nulla potestas, vel persona publica vel privata, collectas sive exactiones, angarias vel parangarias, ecclesiis, vel aliis piis locis, aut ecclesiasticis personis imponere, aut invadere bona ecclesiastica præsumat. Quod si fuerint, et requisiti ab ecclesia vel ab Imperio emendare contempserint, triplum refundant, et nihilominus banno imperiali subjaceant, quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur. Item quæcumque communitas, vel persona per annum in excommunicatione facta propter libertatem ecclesiæ perstiterit, ipso jure Imperiali banno subjaceat, a quo nullatenus extrahatur, nisi prius ab Ecclesia absolutus fuerit.

Item statuimus, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel civili trahere ad judicium sæculare præsumat contra constitutiones Imperiales, et canonicas sanctiones. Quod si fecerit, actor à jure suo cadat, et judicatum non teneat, et judex sit ex tunc judicandi potestate privatus. Statuimus etiam ut si quis clericis, vel personis ecclesiasticis justitiam denegare præsumpserit, tertio requisitus, suam jurisdictionem amittat.

Gazaros, Patarenos, Leonistas, Speronistas, Arnaldistas, Circumcisos, et omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus. Præcipientes ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur, ita quod filii eorum ad successiones pervenire non possint, cum longe gravius sit æternam quam temporalem offendere Majestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles (nisi ad mandatum Ecclesiæ, juxta considerationem suspicionis ac qualitatem personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint) tanquam infames et banniti ab omnibus habeantur. Ita quod si sic per annum manserint, ex tunc eos sicut hæreticos condemnamus.

Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut potestates, consules, seu rectores, quibuscunque fungantur officiis, pro defensione fidei præstent publice juramentum, quod de terris suæ jurisdictioni subjectis, universos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt. Ita quodammodo quandocumque fuerit quis in potestatem, sive perpetuam vel temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum juramento firmare. Alioquin nec pro potestatibus, nec pro consulibus habeantur, et eorum sententias irritas extunc decernimus et inanes.

Si vero dominus temporalis, requisitus et admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica pravitate, post annum a tempore admonitionis elapsum, terram illius ipsis exponimus Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, absque ulla contradictione possideant, et in fidei pietate conservent, salvo jure domini principalis, dummodo super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod aliud impedimentum opponat. Eadem nihilominus lege servata, contra eos, qui non habent dominos principales.

Credentes præterea, receptatores, defensores, et fautores hæreticorum bannimus, firmiter statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit ab Ecclesia excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso jure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia, vel ad eligendum aliquos ad hujusmodi, neque ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ei [respondeat] super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte judex extiterit, ejus sententia nullam habeat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta per eum confecta, nullius penitus sint momenti.

Navigia quocumque locorum pervenerint, si quo casu contingenti rupta fuerint, vel aliter ad terram pervenerint, tam navigia, quam navigantium bona illis integre reserventur, ad quos spectabant antequam navigium illud periculum incurrisset. Sublata omnium locorum penitus consuetudine, quæ huic adversatur sanctioni, nisi talia sint navigia quæ piraticam exerceant pravitatem, aut sint nobis, vel Christiano nomini inimica.

Transgressores vero hujus nostræ constitutionis bonorum suorum publicatione mulctentur. Et si res exegerit, eorum audacia juxta mandatum nostrum modis aliis compescatur.

Omnes peregrini et advenæ, libere hospitentur ubi velint, et hospitari, si testari voluerint de rebus suis ordinandi liberam habeant facultatem, quorum ordinatio inconcussa servetur. Si qui vero intestati decesserint, ad hospitem nihil perveniat, sed bona ipsorum per manus episcopi loci tradantur hæredibus (si fieri potest) vel in pias causas erogentur. Hospes vero si aliquid de bonis talium, contra hanc constitutionem nostram habuerit, triplum episcopo restituat, cui visum fuerit assignandum, non obstante statuto aliquo, seu consuetudine, seu privilegiis, quæ hactenus contrarium inducebant. Si qui autem, contra præsumpserint, eis de rebus suis testandi interdicimus facultatem, ut in eo puniantur, in quo deliquerint, alias prout culpæ qualitas exegerit puniendi.

Agricultores, et circa rusticationem occupati, dum villis insident, dum agros colunt, securi sint quacumque parte terrarum, ita ut nullus inveniatur tam audax, qui personas, vel boves, agrorum instrumenta, aut si quid aliud sit, quod ad operam rusticalem pertinet, invadere, capere, aut violenter auferre præsumat. Si quis autem hujusmodi statutum ausu temerario violare præsumpserit, in quadruplum ablata restituat, infamiam ipso jure incurrat, imperiali animadversione nihilominus puniendus.

DE L'EXCOMMUNICATION.

Le *Dict. encycl. de Théol.* de Goschler commente la Constitution de Frédéric II dans les termes suivants :

« Au moyen âge, les États se reconnaissaient, en leur qualité d'États chrétiens, obligés d'appuyer en général l'exécution des peines ecclésiastiques par le bras séculier, comme on le voit déjà dans le *Decretum Childeberti* (596), c. 2 ; dans Pépin, cap.

Vern. (755), c. 9; dans *Const. Loth.* (825), c. 1, et c'est ainsi que le droit civil de cette époque mit l'excommunié au ban de l'empire.

« C'est d'après ce principe que la Constitution de Frédéric II (1220), c. 7, dit : « Et quia gladius materialis constitutus est in subsidium gladii spiritualis, excommunicationem, si excommunicatos in ea ultra sex septimanas perstitisse prædictorum modorum aliquo nobis constiterit, nostra proscriptio subsequetur, non revocanda nisi prius excommunicatio revocetur. » Cependant, pour que l'excommunication majeure eût tous ses effets civils, et qu'ainsi l'excommunié, mis au ban de l'empire, fût privé de toute capacité légale du droit de poursuivre en justice, de rendre témoignage et de juger, il fallait qu'elle eût été prononcée par un jugement public, c. 5, X, *de Exc.* (II, 25); c. 7, X, *de Judic.* (II, 1); c. 38, X, *de Test.* (II, 20). C'est pourquoi, la Constitution de Frédéric, citée plus haut, dit encore : « Item, sicut justum est, excommunicatos eorum, dum tamen ab ipsis viva voce, vel per litteras eorum, vel per honestos nuntios fide dignos, nobis denuntiati fuerint, vitabimus, et, nisi prius absolvantur, non concedimus eis personam standi in judicio, etc. » Comme cela se comprend de soi-même, l'Église pouvait aussi exclure de ses propres tribunaux les excommuniés, en tant que demandeurs, témoins, mandataires; les déclarer incapables de tester (parce que le bras ecclésiastique était nécessaire pour l'institution et l'exécution d'un testament). C'était tellement la règle, au moyen âge, que l'excommunié fût au ban de l'empire, que les Conciles, en prononçant l'anathème, proclamaient en même temps la mise au ban de l'empire, comme par un mandat tacite de la puissance civile, *Conc. Trid.*, sess. XXV, c. 19, *de Reform.*

« Du reste, l'Église avait déjà aboli, pour toute une série de cas, la défense d'entrer en rapport volontaire avec un excommunié, défense qui portait beaucoup de trouble dans la vie civile, et ces exceptions étaient exprimées par ce vers de la glose : « Utile, lex, humile, res ignorata, necesse ». Martin V, dans une Constitution particulière rendue au Concile de Constance, qui fut adoptée dans le concordat provisoire de la nation allemande, comme § 1er, restreignit la défense de communiquer avec les excommuniés au cas où l'excommunication avait été promulguée par le juge, et le jugement rendu public. Cette constitution porte : « Insuper, ad vitandum scandala et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus christifidelibus tenore præsentium indulgemus quod nemo deinceps a communione alicujus, in sacrorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel ex prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ, a jure vel homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut ecclesiasticum interdictum observare, nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra personam, collegium, universitatem, ecclesiam, communitatem aut locum, certam vel certum, a judice publicata vel denuntiata specialiter et expresse, constitutionibus Apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, salvo si quem, pro sacrilega manuum injectione in clericum, sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri, juxta canonicas sanctiones. » C'est sur cette constitution que les auteurs fondent la distinction entre les excommuniés à éviter et ceux qu'on peut tolérer, *excommunicati, vitandi et tolerati* ».

La Constitution de Frédéric II tient ainsi une place dans l'histoire de l'excommunication, que la bulle *Apostolicæ Sedis*, de Pie IX, est venue réglementer à nouveau.

NOTES COURANTES SUR LES ÉPITRES DU LIVRE V.

Ep. 5. La *procuratio* accordée à l'év., non-seulement pour se rendre à Rome auprès du Pape, mais pour se rendre à la cour de l'empereur ou du roi. — Ep. 6. Un frère appartenant à un ordre religieux ne peut être élu évêque, contre les statuts du Concile : six élections antérieures, suivies de refus, peuvent motiver une dispense. — Ep. 8. Pouvoirs de la *rectoria*, à la fois spirituels et temporels. Qualités du supérieur : « Amari vis amplius quam timeri ». Devoirs du supérieur : Recta regere dirigere indirecta, corripere inquietos, pusillanimos consolari, mansuetos exaltare, deprimere pertinaces, etc. — Ep. 9, l. 14, lisez : Sententia suspensionis. — Ep. 10. Ordination reçue avec contrainte, réputée nulle. — Ep. 13. La direction des aumônes pour la Terre-Sainte et l'opportunité des envois, réservées au Pape. — Ep. 14. Un statut anglais qui déclare les Irlandais exclus de toute dignité ecclésiastique, annulé. Cf. ép. 16. — Ep. 17. L'év. de Metz a encouru l'excommunication pour défaut d'accomplissement de son vœu de Terre-Sainte : le Pape ne lui écrit pas, pour ne pas avoir à insérer dans sa lettre la formule de salutation. — Ep. 20. Eloges pour le roi de Jérusalem; craintes inspirées par son départ de Damiette; menace d'excommunication s'il fait la guerre aux Arméniens. — Ep. 24. Un chevalier marié depuis trente ans avec la filleule de son père : le Pape accorde l'habitation commune, à raison de l'âge et des enfants survenus, à charge de garder la continence. — Ep. 29, col. 512, l. 11 : Quocumque justo titulo, ipso irrequisito, à quelque titre que ce soit, et sans

avoir besoin de son assentiment. — Ep. 32. Evêq. déclaré suspens pour défaut d'âge et de science. — Ep. 37. Dern. lig., lisez : septembris. — Ep. 42. Le *percussor clericorum*, excommunié dénoncé. — Ep. 44. Le clerc coupable du même fait, déposé. — Ep. 47, col. 525, au bas, correction probable : celebre haberi. — Ep. 55, col. 532, au bas : servare debeat. Sens : Lui qui doit conserver dans ses actions une gravité ou modération suffisante pour l'empêcher de s'emporter à de tels excès dans sa propre cause. — Ep. 57. Les statuts des villes lombardes, hostiles à la liberté de l'Église, suspects d'hérésie. — Ep. 60. Une année de probation nécessaire avant d'admettre parmi les religieux. — Ep. 62. Douceur et modestie, qualités d'un légat Apostolique. — Ep. 63. Dispense d'irrégularité pour un clerc qui a tué des Sarrasins, lorsqu'ils se précipitaient sur les chrétiens, « malens occidere quam occidi ». — Ep. 69. L'incendiaire étant excommunié et le prêtre ne pouvant célébrer en présence d'un excommunié, il se trouve par suite de guerres, de pillages et d'incendies nombreux, que nul prêtre ne peut célébrer avec sécurité dans le diocèse de Ratisbonne : il faut user d'indulgence. — Ep. 73. Absolution de l'excommunication, après caution juratoire d'obéissance à l'Eglise. — Ep. 81. L'adultère de la femme ne rompt pas le mariage, et l'époux ne peut passer à de nouveaux liens. — Ep. 84. Les rois chrétiens d'Espagne ne doivent pas revêtir les Juifs de la qualité d'ambassadeurs près des rois musulmans. — Ep. 87. Concession à l'évêque du pouvoir d'accorder des indulgences à ceux qui visiteront l'église qu'il fait construire en l'honneur d'un martyr dont la cause n'est pas encore pleinement jugée à Rome : « Quia vero nondum super his nobis potuit plene liquere ». — Ep. 89. Lettre d'envoi des Constitutions qu'il faut persuader à Frédéric II de promulguer au jour de son couronnement. — Ep. 97. L'enfant étouffé dans le lit par la négligence de la mère : le père ne peut être responsable et puni aux termes du droit. — Ep. 102, 124. Le Pontife doit même protection et justice aux petits et aux grands. — Ep. 108. Les habitants de Parme imitent contre les clercs la cruauté de Néron. Détail curieux : ils vont jusqu'à défendre de les raser. — Ep. 114. Administration du diocèse pendant l'absence de l'évêque parti en Terre-Sainte : conférer les bénéfices aux clercs lettrés et honnêtes, prêcher et confesser. — Ep. 125, col. 188 : Cudendam monetam. — Ep. 130. Expression de rare bienveillance pour Frédéric II. — Ep. 133. Sub annuo censu. — Ep. 138. Idem. — Ep. 139. Correction probable : Nobis carissimus in Christo filius. — Ep. 141. Le chapelain devait avoir son habitation séparée de celle des lépreux, qui voulaient le contraindre à habiter avec eux, et manger avec eux. — Ep. 143. Cf. supr. Appendice, col. 907. Le Pape concède au grand maître des Teutoniques ce qu'il pourra ravir aux païens de la Prusse. — Ep. 155. [Et nisi] aliquo remedio subveniatur. — Ep. 161. Témoignage rendu à l'orthodoxie de l'abbé Joachim. — Ep. 166. Pouvoir donné au légat de corriger et de punir, sous réserve de la déposition des évêques, réservée au Pontife. — Ep. 174. Correction prob. : Timens se, ac fratres suos conscios, istius facti causa, irregularitatis vitium incurrisse. — Ep. 186. Cf. supr. note sur l'ép. 42. — Ep. 186-197. Nombreuses faveurs accordées aux Teutoniques. — Ep. 199-201, 203-207, idem; 209-214, id. — Ep. 214. Droit concédé aux Teutoniques de choisir, pour le service religieux, des prêtres de tous diocèses, légitimement ordonnés et ayant la licence de l'évêque. — Ep. 215. Cf. *Quint. Compil.*, lib. II, tit. 2, c. 2 ; lib. III, tit. 2, c. 2. — Ep. 251. Baptême à donner aux enfants trouvés exposés à la porte des Teutoniques. — Ep. 255. Très-remarquable. Le legs fait aux Teutoniques exige seulement la présence de deux ou trois témoins pour la validité du testament. — Ep. 263. Les clercs qui, par dévotion, serviront durant un ou deux ans dans les hôpitaux des Teutoniques, ne perdront pas les bénéfices ecclésiastiques. — 268. Evêque violent, s'emparant par force de l'argent destiné au Saint-Siége. — Ep. 294. L'Avocat céleste proposé pour modèle à ceux qui sont chargés de l'*advocatia* des églises. — Ep. 284. Sentence d'interdit nulle. Par ménagement pour celui qui l'a portée, ce sera lui-même qui la révoquera, et non le Pontife. — Ep. 290. Ne pas exiger, pour la sépulture des sujets des Teutoniques, au delà de l'offrande volontaire. — Ep. 296. Cf. note de l'ép. 274. — Ep. 300. Cf. *Quint. Compil.*, lib. I, t. 3, c. 3, tom. I, col. 130. — Ep. 304. Prescription pour l'enseignement, dans les écoles, de la Constitution de Frédéric II. — Ep. 311. Lutte du trésorier et de ses adhérents contre le chapitre et l'évêq. — Ep. 316. Les *percussores clericorum* absous sans pouvoir suffisant du Siége Apostolique, doivent être absous de nouveau. — Ep. 321. Invective véhémente contre les pirates Slaves et Dalmates, dont le Pontife demande la répression : paroles énergiques et style chaleureux. — Ep. 324. Cf. ép. 321. — Ep. 337. Fuite des excommuniés. — Ep. 348. Les chrétiens, libres ou esclaves, ne doivent pas cohabiter avec les Sarrasins, devenus nombreux et influents dans la Hongrie. — Ep. 350. Les Juifs doivent être éloignés des emplois publics, et distingués par leur vêtement. — Ep. 360. Cf. ép. 42, 44, 316. — Ep. 374. Cf. ép. 274, 296. — Ep. 385. Le Saint-Siége accorde parfois, par rescrit spécial, ce qui est accordé déjà par le droit commun, afin d'inspirer plus de respect pour ce qui est concédé. — Ep. 386. Défense aux habitants de Bénévent, dans leurs discordes civiles, de s'emparer de la maison d'autrui, sous peine de confiscation. — Ep. 388. Meditarium, colon partiaire. Sens : l'archevêque devra prouver qu'au temps où le colon Herbert a

fait appel devant lui, en omettant le tribunal intermédiaire de l'évêque, il était déjà en quasi-possession de recevoir l'appel, par le fait du doyen de Beaumont. — Ep. 392. On doit interdire, là où il n'en existait pas, la construction de nouvelles synagogues. — Ep. 393. Toutes les fois que la règle de S. Benoît sera lue dans le Chapitre des religieux, on en fera, en même temps, l'exposé en langue vulgaire. — Ep. 397. Le Chapitre de la cathédrale ne peut introduire des coutumes nouvelles sans l'assentiment de l'évêque. — Ep. 410. La désobéissance aux ordres du légat pourrait être punie par la perte du titre de ville épiscopale, enlevé à une cité rebelle. — Ep. 429. Moine prisonnier volontaire : sera rendu au couvent. — Ep. 444. Cf. *Quint. Compil.*, tom. I, col. 168, note de Cironius sur les chevaliers militaires du midi de la France. — Ep. 445. Cf. lib. III, ép. 190, col. 202.



INDEX MATERIARUM

QUÆ IN HOC TOMO III CONTINENTUR.

EPISTOLÆ LIBER TERTIUS.

LIBER QUARTUS.

LIBER QUINTUS.

EPISTOLÆ SINE DIE.

APPENDICES.

APPENDICE DU LIVRE III.

APPENDICE DU LIVRE IV.

APPENDICE DU LIVRE V.

EXTRAIT DU CATALOGUE DE LA BIBLIOTHÈQUE ECCLÉSIASTIQUE

Pagnier et Cie, **Avenue d'Orléans, 32, à Paris.**

Sancti Gregorii VII, Romani Pontificis, Epistolæ et Diplomata pontificia, accedunt Vita ejusdem Pontificis et Appendices amplissimæ veterum ac recentiorum monumenta perplurima Gregorii VII apologetica, vel ætatem ejus illustrantia complectentes. 2 vol. in-8° raisin. 10 fr.

Sancti Thomæ Aquinatis Summæ theologicæ Compendium auctore P. Alagona, S. J., notis locupletissimis ditavit et collatione perpetua cum variis auctoribus, tum in Philosophia, tum in Theologia aut in Jure probatissimis et vulgatissimis, necnon SS. Patrum sententiis auxit Horoy, Dr Rom. in sacra Theologia, etc. 1 vol. in-8°. 5 fr.

Le principal ouvrage d'Alagona, savant jésuite du XVIe siècle, est le *Compendium* de la *Somme* de S. Thomas, qu'on a réimprimé à Rome, à Cologne, à Venise, à Lyon, à Rouen, et dans les derniers temps à Turin. Cet ouvrage n'eut pas moins de dix éditions consécutives, ce qui nous dispense d'en faire l'éloge. Le savant P. Ant. Zaccaria a revu l'édition du *Compendium* de la *Somme* publiée en 1763 et fit entrer ce livre dans son *Trésor théologique* où il figure dans le treizième volume.

Nous avons ajouté à Alagona des notes explicatives du sens de saint Thomas, de sa doctrine et de ses formes de langage. En outre, nous avons renvoyé constamment, pour chaque question traitée, aux auteurs les plus répandus, en indiquant le tome et la page de ce tome où se trouve développée la question. Nos renvois se font ordinairement aux livres classiques qui sont dans toutes les mains, ou du moins à portée de chacun.

La Clé du Syllabus, nouveau Commentaire historique et doctrinal d'après les *Acta*, avec une Introduction faisant connaître : 1° le sens général et la portée du *Syllabus;* 2° sa signification spéciale comme condamnation de la Révolution; ouvrage renfermant, pour la première fois, les divers compléments d'après les *Acta*, et une Note sur : Ce qui n'est pas dans le *Syllabus*, par Horoy, avocat romain, Dr en théologie. 1 fr. 50

Le but de cette édition est de mettre le *Syllabus* à la portée de tout le monde, dans un volume à bas prix, de le faire lire, étudier et comprendre. Tout le monde parle du *Syllabus*, on s'en fait une idée monstrueuse; mais où sont ceux qui l'ont lu, étudié et compris?

Essai théologico-philosophique sur la Providence DANS L'ORDRE PHYSIQUE, MORAL, RELIGIEUX, SOCIAL ET POLITIQUE, *et dans l'ordre surnaturel de la rédemption et de la vie future*, d'après les Livres Saints, la tradition sacrée, la philosophie et l'histoire profane, par M. l'abbé Mazagot, chanoine honoraire de Saint-Flour. 1 vol. in-8° 460 pages, *franco*. 4 fr.

Origine divine du Pouvoir civil et *Constitution divine des Nations dans l'Eglise*, ou l'UNIQUE SALUT DES NATIONS, par Mgr Maupied. 1 vol. in-12 de XVI et 362 pages. 3 fr. 50

La Science sacrée, par M. l'abbé Berseaux, ancien professeur au grand séminaire de Nancy. 4 beaux vol. sur papier vergé. 16 fr.

1° Préparation évangélique. — 2° Démonstration biblique. — 3° Démonstration ecclésiastique. — 4° La Trinité chrétienne. — 5° Le Dieu-Homme et la Vierge-Mère. — 6° Les sept Sacrements. — 7° Splendeurs du culte.

Cet ouvrage est une mine inépuisable pour les conférences ecclésiastiques. Il est malheureux, nous écrit un prêtre à qui nous l'avons expédié, qu'il ne soit pas mieux connu du clergé; il devrait être dans tous les presbytères.

La Vie chrétienne, *lectures pour les familles et instructions pour les paroisses*, par M. l'abbé Berseaux; nouvelle édition. 2 vol. in-12. 5 fr.

Cours d'Instructions pastorales, par M. l'abbé Barbier, du diocèse de Cambrai, ancien aumônier du Lycée, à Douai, et depuis vingt-huit ans, curé de Saint-Souplet; *avec approbation des Supérieurs ecclésiastiques*.

1re partie, le Symbole. 3 vol. in-8° compacts, d'environ 600 pages, 2e édition. Prix, 10 fr.

Les Mystères divins, Trinité, Création, Incarnation, Rédemption, Éternité, en 186 Instructions, par M. l'abbé Himonet, curé-doyen de Souilly, diocèse de Verdun. 3 beaux et forts volumes in-12 de 1,406 pages. 9 fr.; et, rendus *franco* par la poste, 10 fr. 50

Marie, ses Mystères et son Culte, ou 83 Instructions inédites sur la sainte Vierge, par le même. 2 vol. in-12. Prix, *franco*, 4 fr.

L'Oraison dominicale développée en 26 Instructions nouvelles. 1 vol. in-12; *franco*, par la poste, 1 fr. 70

La Voix du pasteur au jour de la première communion, *ou vingt-quatre Instructions nouvelles et très-variées pour ce grand jour.* 1 vol. in-12. 1 fr. 50; *franco*, par la poste. 1 fr. 70

Premiers communiants en retraite, ou Trois cours divers d'exercices préparatoires à la première communion. 1 vol. in-12, *franco*, 2 fr.

Ces trois derniers ouvrages sont de M. le curé-doyen Himonet.

Marie invoquée sous le titre de N.-D. Auxiliatrice, pour la délivrance des âmes du Purgatoire, par M. le Dr Horoy. 1 vol. 50 c.

Origines du Christianisme *d'après la tradition catholique*, par M. l'abbé Castan, chanoine de Moulins, docteur en théologie. Un beau volume in-8°, 4 fr.

Exposition du mystère de la Souffrance, développement du livre de Job, par l'abbé Castan ; ouvrage dédié à Mgr l'Archevêque de Paris. 1 vol. in-12, *franco* par la poste, 1 fr. 75

De l'Union de la Religion et de la Morale, du même auteur. Un beau volume in-8°, 4 fr.

De l'Idée de Dieu *d'après la tradition chrétienne et les diverses autres théodicées*, du même auteur. Deux beaux volumes in-8°, 8 fr.

Du progrès dans ses rapports avec l'Église, du même auteur. Un beau volume in-8°, 4 fr.

J. de Maistre. **Considérations sur la France,** suivies de l'*Essai sur le principe générateur des constitutions politiques*, avec un Aperçu sur le cléricalisme, des Notes et Appendices par Horoy. 1 vol. in-18, 3 fr.

La réimpression de ces deux ouvrages de de Maistre ne pouvait manquer d'actualité. Les événements postérieurs à de Maistre, les aspects nouveaux, le *Syllabus* et le Concile du Vatican, un catholicisme libéral, un libéralisme non catholique, mais laïque à outrance, etc., etc., tout cela demandait quelques notes ou chapitres que nous avons ajoutés à notre auteur.

Le Haut Enseignement, *Universités, Droits et Prérogatives de l'Etat, Valeur des grades canoniques*, par M. le Dr Horoy. 1877. 1 fr.

Mariage, *Unité, Indissolubilité, Nullités*, du même auteur. 2e édition. 1877. 2 fr.

Philosophie : *Mathématiques, Médecine.* De l'alliance des mathématiques et de la philosophie, du même auteur. 1877. 60 c.

Paris, typ. Pagnier et Cie, Avenue d'Orléans, 32.

